V.

f. Li Mayo 1°

INSTITUTIONES
CRIMINALES
TOMUS TERTIUS.

INSTITUTIONES

CANONICÆ, CIVILES, ET CRIMINALES

CUM RECENTIORI PRAXI ROMANÆ CURIÆ

Ad eorum Juvenum usum, qui post Theoriam Forensi Exercitationi sunt vacaturi.

OPUS IN QUATUOR TOMOS DIVISUM

AUCTORE

PETRO ANTONIO DANIELI ROMANO

IN ARCHIGYMNASIO URBIS JURIS PROFESSORE, ET IN ROMANA CURIA ADVOCATO.


TOMUS TERTIUS

INSTITUTIONES CRIMINALES.

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XIII.

P. O. M.



ROMÆ MDCCLIX.

TYPIS GENEROSI SALOMONI BIBLIOPOLÆ

SUPERIORUM PERMISSU

ET SUMMI PONTIFICIS PRIVILEGIO.

BEATISSIME PATER

NEcesse quidem non fuit me diu, multumque hærere cogitantem, cuinam poſt editas jam, evulgataſque Canonicas, & Imperatorias Inſtitutiones, Tertium hunc Tomum Criminalium inſcriberem,

ac

blicæ noxios opportune confodias; ſuo propemodum jure Te Mæcenatem, & Auſpicem Tractatus depoſcunt, in quibus crimina, & pœnæ improbis debitæ examinantur. Indoles inſuper, & natura rerum hic pertractatarum idipſum expoſcit; cum enim Juſtitia illa, quam vindicativam vocant, utpote ad coercenda hominum crimina deſtinata, harum Inſtitutionum ſcopus, & fundamentum exiſtat, ad eamque res hic actæ dirigantur; cumque eadem ultrix, & vindicativa Juſtitia Principem maxime deceat; Tibi idcirco deberi Inſtitutiones haſce, earumdem rerum, quas continent, indole inſpecta, nemo in dubium vocabit. Accedit, plurima in Inſtitutionibus hiſce, arrepta occaſione proferri, quæ ad Jus Canonicum ſpectant, quæque ideo fuerunt in Canonicis a me nu-

per

per adornatis; & Benedicto XIV. Prædeceſſori tuo inſcriptis prætermiſſa, ut huic ſcilicet loco reſervarentur: Nemo autem non videt, eum ſibi Mæcenatem res hujuſmodi poſtulare, cui cum vicaria Chriſti Domini in Terris Poteſtas concredita reperiatur, univerſi etiam Juris Canonici condendi, interpretandi, & relaxandi facultas tribuitur.

Verum ſi cæteræ omnes cauſæ deeſſent, obſequium certè meum, conſtantiſſimaque illa obſervantia, qua Te perpetuo ſum proſecutus, ac ſingularis illa, Tibique ingenita benignitas, qua me olim ad Te ventitantem pro incredibili humanitate tua complecti conſueviſti, non ſolum ſufficeret, ſed plane exuberaret. Memini enim, nec ulla ex animo meo delebit oblivio, non vulgaribus bene-

benevolentiæ argumentis me a Te exceptum fuiſſe, & cum inter Præſules, Sacræque Rotæ Auditores, & cùm inter Cardinales accenſereris; nec alia me poſſe ratione eidem pro viribus reſpondere ſum arbitratus, quam ſi pars ſaltem quædam laborum meorum Tibi ad Pontificatum aſſumpto tributi loco rependeretur. Neque illud poſtremo hìc præteribo, quod ad idem conſilium me alacrius excitavit, ſive ut verius dicam, adegit; Nempè Carolum Cardinalem Rezzonicum S. R. E. Vice-Cancellarium Fratris tui Filium, Tibique non magis ſanguinis, & naturæ vinculo, quam arctiſſimo virtutum nexu conjunctiſſimum, inter meorum Operum ſocios adſcribi pro ea qua pollet humanitate voluiſſe, qua re & lætatus incredibiliter, & in certam ſpem erectus ſum, Te non

improbaturum hoc Opus, quod Fratris tui Filius Cardinalis Amplissimus, sui nominis accessione illustrasset. Accipe igitur hanc obsequii mei Tibi tot nominibus debitam significationem, quam si (quod spero fretus singulari Clementia tua) intellexero, Tibi non ingratam fuisse, me non mediocrem, sed eum, quem maxime optarim, laborum meorum fructum cæpisse gloriabor.

INDEX

INDEX

LIBRORUM, ET TITULORUM

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LI-

LIBER IV.

De Pœnis. 335

APPROBATIONES CENSORUM.

POstquam Clarissimus Auctor Petrus Antonius Danieli in Romano Archigymnasio Antecessor, ac Jurisconsultus, Canonicas, ac Civiles Institutiones, quammaximo studiosæ Juventutis commodo ediderat, exoptandum sane erat, ut eam quoque Juris partem, quæ ad criminum coercitionem pertinet, quamque in priorum Librorum publicatione promiserat, inlustrandam sibi assumeret. Quum igitur Institutiones quoque Criminales prælo subjicere decernat, atque ita fidem, quam desponderat, exolvere, eas jussu Rmi Patris Sacri Palatii Magistri attente perlegi, dignasque censeo, ut publico bono evulgentur, eodem enim dilucido, subactoque docendi genere, ac aliæ Institutiones, elucubratæ sunt, nihilque occurrit, quod bonis moribus, ac Catholicæ Fidei adversetur. Datum Romæ die 4. Junii 1759.

Dominicus Archiepiscopus Nicomediensis, ac S.Cong. super Disciplina Regul. Secretarius.

VIri Clarissimi Petri Antonii Danieli publici in hoc Romano Archigymnasio Juris Professoris, & in Curia Advocati Tractationes de delictis, & pœnis *Ecclesiasticis* summa diligentia lucubratas, studiosæ Juventuti magnopere profuturas censeo. Duodecimo Kalendas Februarias 1759.

J.B.Bartholus olim in Universitate Patavina Sacrorum Canonum Professor Primarius, nunc vero Archiepiscopus Nazianzenus, & Sacræ Cong. Visitationis Secretarius.

IN

IN Opere, cui Titulus eſt, Inſtitutiones Criminales, magno ſtudio, parique eruditione a Clariſſimo Collega meo Advocato Petro Danieli, elaborato, quod mandante Rmo P. M. Sacri Palatii Apoſt. attente perlegi, nihil comperi, quod Religioni, aut bonis moribus adverſetur, immo in eo evolvendo multa perſpexi, tam in ſcholis, quam in foro verſantibus utilia, ideoque publici Juris fieri poſſe cenſeo, ſi ita videbitur Illmo D. Archigymnaſii noſtri moderatori, aliiſque, ad quos ſpectat. Romæ 1. Julii 1759.

Darius Guicciardi in Romano Archigymnaſio J. V. Profeſſor.

POST Canonicas, & Imperiales Inſtitutiones, Criminales etiam doctiſſimus Vir Petrus Antonius Danieli Romanus, Archigymnaſii Urbis Anteceſſor, & Cauſſarum Patronus, Legum ſtudioſis offert; quas cùm Rmi P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Prædicatorum S. Apoſt. Palatii Magiſtri juſſu libentiſſimè legiſſem, nihil quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus adverſaretur, in iis reperi; ſed potius res ea perſpicuitate, & methodo expoſitas ſum admiratus, quæ omnium animos ad legendum facile ſtimulent. Idcirco publici juris fieri eas poſſe & cenſeo, & ſummopere opto. Romæ VIII. Eidus Quintiles MDCCLIX.

Proſper Petronius S. Theologiæ Profeſſor, & J. V. Licentiatus.

Imprimatur ſi iis ad quos pertinet ita videbitur.

Nicolaus Maria De Vecchis Rector Deputatus.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F.M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicatorum, Rmi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici Socius,

AD

AD CRIMINALES
INSTITUTIONES
INTRODUCTIO.

ERRANT profecto, imò in ſumma rerum ignoratione verſantur, qui ſecum animo reputant, ſatis omnino eſſe ad abſolutam, cumulatamque Juris utriuſque facultatem comparandam, Canonici, Civiliſque Juris elementa privatim, vel in publicis etiam Archilyceis a Profeſſoribus illis excepiſſe, qui cum a Principe ad docendum ſeligantur, aptiores, magiſque idonei plerumque cenſentur; quin neceſſe inſuper ſit, eas etiam res didiciſſe, aut ſummo ſaltem digito deguſtaſſe, quæ cùm de Criminibus, pœniſque eiſdem debitis agant, Criminales dicuntur. Etenim ſive eas ſpectemus Sacrorum Canonum, & Legum diſpoſitiones in corpore Juris Canonici, & Civilis ſparſim contentas de Criminibus pertractantes, aut Delictorum pœnas in genere continentes, ſive preſſius Titulos illos perſcrutemur, ac revolvamus, in quibus in ſpecie nonnulla Crimina exa-

in pœnarum præsertim distributione spectanda ad examen revocatur, vacare neglexerit.

4. Non me quidem latet a pluribus asseri, non justitiam distributivam objectum esse Criminalium Institutionum, nec ad eam eas esse directas, sed potius justitiam vindicativam ad ultionem Criminum destinatam: Ut ut autem res se habeat, admissoque etiam non quidem distributivam, sed vindicativam Justitiam ad Criminalem jurisprudentiam spectare: Tantum tamen inde abest, ut minori pretio eadem facultas Criminalis habenda sit, ut potius cùm vindicativa justitia magis in Bonum publicum tendat, quam commutativa altera, aut distributiva Justitia; nobilior hinc, & eminentior se manifestat illa jurisprudentiæ pars, nempè Criminalis, quæ ex vindicativæ justitiæ præceptis resultat, atque componitur.

5. Et quidem vindicativam Justitiam, commutativam, & distributivam supereminere, & utramque multum excellere ex pluribus demonstratur. Hanc enim Sanctissimus Deus O. M. ad ulciscenda Hominum delicta inter præcipua sibi naturalia, &, ut inquiunt, essentialia attributa habere profitetur, undè Regius Vates exclamat (a): *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt*, & alibi (b) Christum D. quasi præsentem admirans: *Erit*, inquit, *justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus* ut scilicet intelligeremus, misericordiam, & justitiam vindicativam pari sede conspicuas *Divinæ* ostendere *miraculum Majestatis*. Id ipsum præterea exemplo Romanæ Reipublicæ æque suadetur: Neminem quippe latent Crimina illa, quæ apud Persas, Indos, Lacedæmones, Germanos, Gallos, aliasque Provincias grassabantur, quæ tamen deinde ope, & præsidio Legum a Romanis statutarum, & præcipue illarum, quæ contra delinquentes indictæ sunt, aut fuerunt undique

(a) *Ps.* 41. (b) *Ps.* 43.

abolita, aut saltem imminuta, adeo quidem, ut jure dixerit Sanctus Augustinus (a) *placuisse Deo per Populum Romanum Terrarum Orbem debellare, ut in unam Societatem Reipublicæ perductum longe, lateque pacaret.*

6. His accedit, omnia Judicia, aut dirimendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa, quæ a Justitia vindicativa spectantur, esse comparata, *ut Cicero* pro Cæcinna scriptum reliquit, cum eo solum discrimine, quod judicia primi generis ad particulare privatarum Personarum commodum ordinantur, alterius vero, nimirum Criminalia, vitam, famam, humanæ Societatis conservationem, publicam demum totius Reipublicæ incolumitatem respiciunt, ideoque quo magis salus Populi privatæ utilitati præcedit, eo magis vindicativæ Justitiæ præcepta, quæ in Criminalibus Institutionibus traduntur, Civili Jurisprudentiæ, in qua commutativa, aut distributiva justitia explicatur, videntur anteferenda, & sicuti omnium Hominum cœtus uni præfertur Homini, ita hæc Justitiæ species alias præcellit, tantoque amplius debet æstimari.

7. Nemo autem hinc in dubium revocabit, Criminalium Institutionum studium omnibus expedire, imo necessarium cuicumque Hominum generi undique existere; præsertim, si momentis hactenus congestis adjiciatur, quod ea sit humanæ naturæ imbecillitas, ut pauci solo virtutis amore ad Legum observantiam, ex qua salus, & tranquillitas ejusdem Reipublicæ pendet, excitentur, longe vero plures existant, qui ex metu pœnarum subeundarum leges transgredi reformident; quo posito nihil certe potest esse opportunius in universa Republica, quam Criminum, & pœnarum accuratam, absolutamque habere notitiam, quæ contra Reos a Jure statutæ reperiuntur, unde de Criminali facultate peculiari jure asserere possumus, quod in genere de

(a) *Lib. 18. de Civit. Dei.*

de scientia Legali affirmavit Cujacius (*a*), *neminem* scilicet, *non solum ad judicandum, sed ad quodvis Ministerium accedere debere, nisi cum aliqua Juris peritia*, cujus cognitionem (de Criminali agendo) ad studium ipsiusmet Sacræ Theologiæ posse conferre, post *Dianam* docuit *Cutel.* (*b*), & confirmare videtur Mabillonius *de studiis Monasticis* (*c*).

8. Et meritò; nedum quippe Criminalium materiarum cognitio, & ordo ille juridicus, quo in instructione, prosecutione, & absolutione criminalis Causæ proceditur ad Criminum punitionem, Coercitionemque conducit, sed ut nobis æque ac aliis Criminum fugam, ab iisque abstinendum esse suadeamus, quo nihil utilius figurari aut asseri potest juxta illud Jacobi Falcon. (*d*) Poetæ Valentini.

Pulchrius est sano prohibere a corpore morbum,
Ægrotum medica quam recreare manu.

Unde Professoribus Criminalibus jure tribuitur, & applicatur *Novella Theodosii, & Valentiniani de postulando*, ubi disertissime innuitur, condigno non posse præmio literarios horum virorum labores compensari, ibi: *quo bonore impares esse credimus eos, qui vita, & eloquentia Reipub., & privatorum commodis serviunt?*

9. Postremo, illud ad alliciendos omnes ad Criminale studium non præteribo, Canonicas nempe, Civilesque Constitutiones, quibus Civile Judicium constituitur, longe esse origine Criminalis Judicii posteriores, quandoquidem Canonicæ, Civilesque Sanctiones ab hominibus processerunt, si illam dumtaxat partem Canonici Juris excipiamus, in qua præcepta veteris Testamenti, quæ a Deo per Moysem, vel alia, quæ in Testamento novo a Christo Domino fuerunt promulgata, continentur; At Criminalis Judicii primus, atque

(a) *Lib. 3. obser. cap. ult.* (b) *De prisca Ecclesiæ libertate q. 1. num. 72.* (c) *Part. 2. cap. 5. n. 3.* (d) *Lib. 1. Carm. Epigram. 102.*

que immediatus Author, Magister, & Conditor Deus ipse fuit, qui completa Mundi Creatione, nedum in Luciferum, ejusque Asseclas perduellionis Reos, verumetiam in primos humani generis parentes ob notissimum lapsum idem Criminale Judicium exercuit, nec dissimiliter in Cain fraterni homicidii Reum procedere voluit, eosdem Divina voce interpellando, eosque audiendo, & interrogando antequam sententiam pronunciaret.

10. Tantam porrò Criminalis Jurisprudentiæ præstantiam, atque excellentiam plane intellexerunt primi Romanæ Academiæ Restauratores, qui probe, optimeque animadvertentes satis esse non posse Juris Tyronibus pro cumulata legalis disciplinæ intelligentia, tradere iis Criminales materias in 4. *lib. Canonicarum*, vel *Civilium Institutionum* summatim expositas, distinctum interpretem deputarunt, qui pro dignitate easdem peculiari libro imposterum explanaret, ad cujus instituti, & laudabilis consuetudinis tramites Institutiones hasce Criminales post editas jam Canonicas, & Civiles confecimus, nihil (nisi laborum nostrorum amor plus æquo nos abripit) prætermittentes, quod uberiori studiosorum Juris, solidiorisque Jurisprudentiæ amatorum profectui expediret, atque conferret.

11. Quoniam vero Juri operam daturum præcipue oportet Personas illas exploratas habere, quibus Judicium componitur, vel per quas exercetur: Eadem idcirco methodo, qua in Institutionibus Canonicis, & Cæsareis, Personas, res, & tandem vel actiones, vel modum, quo Judicio contendere possumus, Interpretes, & Professores Juris exponere solent, nosque ipsi hoc eodem ordine Institutiones nostras Canonicas, & Imperiales conscripsimus, & explanavimus, quæ jam typis fuerunt evulgatæ; Ita in hujus etiam Criminalis Juris elementis tradendis eadem methodo utemur, agentes primo de Personis, quæ Judicium Cri-

mi-

minale conſtituunt, necnon a quibus Crimina in Urbe præſertim & temporali Pontificia ditione cognoſcuntur, debitiſque pœnis coercentur, deinde de ipſis Criminibus, quæ materiam Criminalis Judicii conficere ſolent, & poſtremo de forma, qua quidem Criminale Judicium inſtituitur, atque completur; Cumque in decurſu iſtarum Inſtitutionum ſæpe pœnas innuere debeamus, non incongrue Tractatum quemdam, ſeu quartum Librum de pœnis ſubjicere ulterius decrevimus, quo Inſtitutionibus noſtris ultimam, benedicente Domino, manum imponamus. Præſertim, quia cum in *Inſtit. Canonic.* (a) de pœnis Eccleſiaſticis agere propoſuiſſemus, hujus materiæ Tractatum tunc differre debuimus, ne eædem Inſtitutiones Canonicæ in volumen excreſcerent, unde ut nihil pro Inſtitutionum omnium complemento deſiderandum ſupereſſet, è re credidimus earumdem pœnarum Tractatum quarto Criminalium Inſtitutionum libro opportune, ni fallimur, reſervare. Ut autem accuratius ſingula pertractentur, cum tres præcipuæ Perſonæ in Judicio Criminali indiſtinctè, & generatim interveniant, illudque componant; Actor nempe, ſive Accuſator, Reus, & Judex, de iſtis primum agetur: in ſequentibus vero hujus primi libri Titulis, per quos Judices in ſpecie Criminales Cauſæ diſcutiantur, inveſtigabimus, præcipuè in hac Romana Curia, & Urbe, ad cujus ingenuos, optimoſque Juvenes peculiari quodam Jure Inſtitutiones has dirigimus, quamquam Judices etiam alibi vindicativam Juſtitiam exercentes ſimus attacturi, ne quidquam Tractatui de Judicibus Criminalibus deſit.

CRI-

(a) *Lib. 3. poſt Tract. de Judiciis.*

CRIMINALIUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Accusatore.

POrro si Accusatoris nomen, sive etymologiam perscrutemur, non incongrue a verbo *Cuso* derivatur, unde *accusare* communiter dicimus. Cusum vero a cudendo, sive feriendo nomen sortitur, ideoque incudem instrumentum illud intelligimus, quo aliquid quasi sauciamus, sive ferimus, quod analogice illi accommodatur, qui ad publicam vindictam, & alterius utilitatem quasi alterum sauciat ad Judicem illius Crimen deferendo (*a*); vel, ut placet Isidoro (*b*), Accusator dicitur *quasi Adcausator*, quia alterum pro commisso Crimine ad Causam vocat; Vocatio autem libello concepto peragitur, quia Criminale Judicium ad instar Civilis instituitur (*c*), in cujus tamen locum in Criminali Causa querela Verbalis successit a Notario, seu Actuario Curiæ in scripturam redigenda, ut notavit *Scaccia* (*d*), & nos fusius alibi, nempe *titulo primo libri tertii* harum Institutionum explicabimus, ubi etiam notabimus, quæ conditiones in accusatorio libello concurrere debeant, nempe nomen accusatoris, accusati, & Judicis, itemque circumstantias omnes delictum concomitantes designari oportere, prout

(a) *L. 1. §. Sane Cod. de famosis libellis.* (b) *Cap. Forus vers. Accusator de verb. significat.* (c) *L. libellorum 3. ff. de accusationibus.* (d) *De Judiciis lib. 1. cap. 51. num. 27.*

prout etiam qui accusare, vel accusari possint, quibusque ampliationibus, vel limitationibus hæc intelligantur.

2. Olim sane sequenti ordine accusatio peragebatur: Accusaturus scilicet Rei nomen ad quæsitorem primum deferebat, ad eum, nempe, cui cognitio Criminis concedebatur, ut Dictator, vel Consul, vel Prætor, quem quæsitorem vocabant, ut notat *Sigonius* (a); Die vero cognitionis Prætor, seu quæsitor accusatorem, & reum citabat, si uterque interesset, & Oratoribus alterutrius, vel utriusque Causam agere concedebatur; Testes insuper citabantur, & publice interrogabantur, causaque utrinque perorata Prætor, *dixisse Oratores*, pronunciabat, vocatisque deinde per eumdem Prætorem ad consilium Judicibus ad sententiam dicendam omnes admittebantur; Tabellas inde accipiebant, ut absolutionis, vel condemnationis litteras scriberent, atque signarent, quas, cum in urnam deinde conjecissent, quæsitor auctoritatem suam adjiciebat, quod erat *Sententiam pro Tribunali a Prætore pronunciari* (b). Quamvis autem solemnis hic ritus aliquantulum fuerit Pompeja lege, aliisque Constitutionibus immutatus, quia tamen Imperatores Honorius, & Theodosius (c) rescripserunt, *accusationis ordinem jamdudum a legibus institutum servari jubemus*, hinc vetustæ accusationis substantia (si solam subsciptionem accusatoris cum obligatione subeundi pœnam Talionis excipiamus, quæ ex Tribunalium placito evanuit, quia plures ab accusando retrahebantur) *in Ordinariis, publicis, legitimis, solemnibusque Judiciis* ad hæc nostra tempora viget, ut late *ostendit Milioruccius* (d). Consulto autem dixi *in Ordinariis, legitimis, publicis, solemnibusque Judiciis* vetustæ accusationis substantiam, excepta pœna Talionis, ad hæc

 usque.

(a) *De antiquo Jure lib. 2. cap. 4.* (b) *Sigonius cap. 6.* (c) *In l. Accusationis 17. Cod. de accusation.* (d) *Instit. Canonic. lib. 4. tit. 1. num. 74., & seqq.*

uſque tempora perduraſſe, actuque vigere. Nam leviora delicta, in quibus plerumque ſummarie, & de plano proceditur, nec Libellum, ſive querelam in ſcripturam redactam, nec aliam ſolemnitatem expoſtulant, *ad Textum literalem in l. levia 6. ff. de accuſat.*, ubi Ulpianus: *Levia*, inquit, *Crimina audire, & diſcutere de plano Proconſulem oportet, & vel liberare eos, quibus objiciuntur, vel fuſtibus caſtigare, vel flagellis ſervos verberare* (a): Idemque dicendum in caſu, quo evidenter, & notorie de Crimine conſtet, ſi enim verum eſt, quod præclare dicitur *in cap. Evidentia, de accuſat.* ibi: *Evidentia perpetrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris*, multo minus accuſationis ſolemnitates, & Formulæ ſuperius enunciatæ concurrente evidentia criminis requiruntur, ut advertit, inter alios, *Gonzal.*(b). In Officio pariter Sanctæ Inquiſitionis ſolemnitates iſtæ non adhibentur, imo nec per accuſationem proceditur, ut ait *Carena* (c); Idemque poſtremo dicendum in Cauſis Militum, vel Regularium, in quibus, non ſervata forma Judicii, & abſque ſtrepitu procedi conſuevit, ut notavit Petrus de Angelis (d); licet ſi de Regularibus, eorumque Cauſis agere oporteat, & de gravamine ipſis irreparabiliter inferendo, ſolemnitates Judiciales non ſint prætereundæ, ut fuſius adnotabimus, cum de Juriſdictione Criminali Prælatorum Regularium amplior infra ſermo redibit.

3. Dixi inſuper, *ex Tribunalium placito retentis ferè omnibus antiquæ accuſationis formulis Talionis pœnam evanuiſſe*. Nemo tamen inde inferat, perperam alios Accuſantes pœnam omnem evadere; loco enim Talionis extraordinaria, ſive arbitraria pœna ſucceſſit, gravius quidem infligenda in eos, qui per calumniam, mitius

(a) *Late Carpzovius in praxi Crimin. p.3. quæſt.106. num. 35.*
(b) *In eod. cap.* (c) *De Officio S.Inquiſitionis part.3. §.1.p.240.*
(d) *Tract. de Ord. Judiciario cap.78. pag.78. num.5.*

mitius in illos, qui absque calumnia alios accusant, si in delati Criminis probatione deficiant, ut diserte cavetur *in cap. super his, de accusation.*, & latissime probat Guazzinus (*a*). Et merito quidem gravius contra Calumniatores proceditur, nihil enim turpius figurari potest, quam alteri falsum Crimen scienter objicere, ut ex sacris etiam paginis edocemur (*b*) ibi: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit; delaturam Civitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem super mortem omnia gravia*. Unde in arbitrio Judicis est juxta gravitatem Criminis objecti, perpensoque damno alteri per Calumniantem illato, pœnam usque ad mortem extendere, ut notavit *Clarus* (*c*); Imo pœnas etiam certas habemus in Jure contra Calumniatores statutas. Infamia enim præscribitur *in Can. omnis 5. quæst. 5.*; Censuras quoque contra eosdem indixit S. Fabianus Papa *Epistola 2.*, eædemque repetuntur *in cap. cum dilectus, de Calumniatoribus*; Exilio, etiam, verberibus, & degradatione Clerici calumniatores puniuntur *in cap. 1. eod. tit.*, ipsamque Talionis pœnam in Tribunalibus Ecclesiasticis esse veris Calumniatoribus imponendam, sublata tantum necessitate inscriptionis ex Constitutione S. Pii V. incipien. *Cum primum*, sustinet inter alios *Ludovicus de Ameno* (*d*).

4. Cæterum si citra Calumniam fuerit Crimen alicui objectum, quin tamen fuerit comprobatum, quamquam ex Tribunalium stylo deferens, seu Crimen objiciens, non puniatur, injuriarum tamen actio competet offenso, nec Infamiæ notam Accusator evitabit (*e*), ita tamen ut si per unum Testem Accusator Crimen probaverit, aut si fuerit Delator publicus, nec de Calumnia, seu de animo calumniandi dubitari possit, pœ-

(a) *Ad defens. def. 3. cap. 13. n. 2. §. Et quia.* (b) *Eccles. 26.* (c) *Lib. 5. Recept. Senten. q. 81. in fine.* (d) *In tract. de delictis tit. 5. § 4. verbo Calumniatio n. 14.* (e) *Scaccia lib. 1. de Caus. Crimin. cap. 51. n. 18.*

na undique exclusa remaneat, ut late tuetur Mascard. (*a*). Atque hæc de pœna Calumniantium dixisse sat est.

5. Altero item modo potest quis in accusatione deficere, *prævaricando* scilicet, *&* *tergiversando*. Prævaricator sane is dicitur, qui dum fingit se alterum accusare, potius agit, ut Reus absolvatur, quasi *obvaricator*, cum cuipiam quis occurrens impedit, ne rectum iter conficiat (*b*); ut si quis delato Crimine ejus exceptiones, licet futiles, & inanes admitteret, quod tamen intelligendum est in publico Judicio, in privato enim Crimen non est prævaricari, cum sibi soli accusans fraudem agat, ut notat *Cujacius* (*c*); Cæterum prævaricantium pœnæ magis a consuetudine locorum, quam a Juris censura mensurantur, ut notat *Angelus* (*d*).

6. Prævaricationi affine est Crimen alterum *tergiversationis* ab Accusatoribus patrari consuetum; quod in eo consistere dicitur, quod Criminalem Causam intra biennium absolvendam (*e*), post Accusationis solemne, seu delato Judici Crimine, & probationibus inchoatis, quis *absque ulla abolitione derelinquit*, unde Tergiversatores, quasi terga vertentes versutos, & callidos Glossa vocavit *in cap. tantum*, *de collusione detegenda*, *verbo Tergiversationes*; Eisque pœnas etiam Jure Canonum infligi consuetas refert Thesaurus (*f*). Dixi *absque ulla abolitione*; est autem abolitio accusationis extinctio a Judice admissa (*g*), eaque vel generalis est, qualis in Feriis Paschalibus datur, quæ magis suspensiva, quam extinctiva vocatur,

(a) *Conclus.24. de probationibus volum.1. n.18.* (b) *L. Prævaricatores 211. ff.de verb. signific.* (c) *Ad l. Prævaricatores ff.de verb. signific.* (d) *De delictis part.1. cap.105. n.7.* (e) *Ad tex. in l.3.Cod. ut intra certum tempus, l. in Sen. Cons.§. qui post ff. ad Sen. Consult. Turpilianum.* (f) *Part. 2. de pœnis verbo Accusatores cap.3.* (g) *Ad Text. in l. abolitio, Cod. de abolitionibus.*

tur, ut notat Cujacius (*a*), vel eſt ſpecialis, quæ, vel per expreſſam abſolutionem Criminis, vel ejuſdem præſcriptionem in caſibus a jure permiſſis, vel ex aliis Cauſis Judici beneviſis admittitur, quæ late exponuntur ab eodem Cujacio (*b*): Cauſæ autem præcipuæ ſunt, metus, error, calorque Juvenilis, cujus intuitu poteſt quis a Judice, apud quem delator Criminis fuerat, facultatem diſcedendi a Judicio libere obtinere, ut idem Cujacius advertit (*c*). Quoniam vero in praxi rara eſt hujus Criminis coercitio, ejus ſcilicet, qui, non petita a Judice venia, ab accuſando, ſeu ab accuſationis proſecutione ſe ſubtrahit; Supervacaneum eſt ulterius deſuper immorari, prænotatiſque hinc modis, quibus Accuſatores plerumque delinquere poſſunt, cum altera Perſona Criminale Judicium conſtituens ſit *Reus*, præſtat, ut aliqua de iſto attingamus.

TITULUS II.

De Reo.

QUemadmodum Accuſator ab *adcauſando* nomen ſortitur, vel *cuſando*, ut ſupra notavimus, ita etiam Rei nomen in genere quidem a Re in Judicium deducta, in ſpecie vero Judicii Criminalis *a reatu* derivatur, quod ita debet intelligi, ut reatum non tam Crimen deſignet, prout gratis aſſeruit Accurſius (*d*), ſed potius ſtatum illum ſignificet, quo Reus capite ſubmiſſo, ſordida veſte, ac ſquallore confectus, poſtquam ad Quæſitorem Crimen fuerat delatum, ut ſupra notavimus, apparebat; ab interrogatione enim per eumdem Quæſitorem Accuſato facta de Crimine, Accuſatore, & Teſtibus præſentibus, ſpa-

(a) *Ad tit. Cod. de general. abolitione.* (b) *Loco citato.*
(c) *Ad rubric. Cod. de abolitionibus* (d) *In leg. & qui, §. quod Pater ff. de muneribus, & honoribus.*

ſpatio Accuſatori ad probationes agendas aſſignato, Accuſatus in ſtatu Reorum, ſeu inter Reos conſtitutus, & receptus dicebatur, ut notavit Cicero (*a*), ſeu, quod idem eſt, lis, & Cauſa cum Reo conteſtabatur, ut explicant Guazzinus (*b*), & Julius Clarus (*c*).

2. Conteſtatio igitur litis, ſeu Cauſæ Criminalis cum Reo fundamentum eſt, a quo Cauſæ Criminales inchoantur, ut eſt *Textus litteralis*, cæteris omiſſis, *In l. Criminales Cod. ut intra certum tempus*, ibi: *Criminales cauſas omnimodo intra duos annos, a conteſtatione litis connumerandos, finiri cenſemus*; Eademque conteſtatio reſultat ab interrogatione per Judicem Reo facta, ut delictum neget, vel fateatur, exemplo Judicii Civilis, in quo ſimilis conteſtatio requiritur per ea, quæ fuſe notavimus in Inſtit. Canonicis (*d*), cum eo ſolum diſcrimine, quod non ea ſervanda eſt Judicii ſolemnitas, ut in Criminalibus Cauſis Litis conteſtatio habeatur, quæ in Civilibus negociis adhibetur, ſed ſolum per interrogationem Judicis, & Rei reſponſionem conteſtatio eadem inducatur, ut totidem fere verbis reſpondent Scaccia (*e*), & Peregrinus (*f*).

3. Ampliatur autem neceſſitas conteſtandi litem cum Reo in Criminalibus cauſis, etiamſi Accuſatus ſit abſens, imo etiamſi Judex non per modum accuſationis, ſed per viam inquiſitionis procedat, in utroque enim caſu conteſtatio dicitur dari, non quidem vera, & realis, ſed ficta, & præſumpta, cum in primo caſu abſentiæ, & contumaciæ, ipſa contumacia pro litis conteſtatione accipiatur, ut ſolide oſtendit citatus Scaccia (*g*), in altero vero reſponſio Rei ad Judicis inquiſitionem conteſtationem inducat, *ut poſt Text. in cap. unico, de litis conteſtatione* ratiocinatur citatus Peregri-

(a) *In Verrem actione ultima*. (b) *Defenſ.20. cap.7. num.9.* (c) *Quæſt.14. n.13.* (d) *Lib.3. tit.11.* (e) *De Judiciis Criminal. cap.103. n.9.* (f) *In part.4. ſect.9. de Exam. delinquentis num.55.* (g) *De Judiciis lib.1. cap.91.*

regrinus (a); Idemque est affirmandum, si Reus præsens sit, & interroganti Judici respondere detrectet, monitio enim per Judicem acta, ut respondeat, litis contestationi æquipollet, ut notavit Carolus de Rosa (b); Contestationem item Litis facti notorietas supplet (c); & demum si Promotor inquisitionis, quem Fiscalem vocant, ad promovendam inquisitionem se offerat, cum eo lis contestatur, *ad Text. in cap. cum dilectis vers. dictus vero Presbyter, de purgatione Canonica*.

4. Unica videtur promoveri posse contra hactenus dicta difficultas, quando scilicet de punitione, seu condemnatione defunctorum agitur, ut in Crimine hæresis, læsæ Majestatis, aliisque *in 2. libro* explicandis contingere solet, cum quibus tamen lis contestari non potest; Egregie autem controversiam dissolvit citatus alibi Milioruccius (d), aut enim agitur de delictis, quæ morte non extinguuntur, ut hæresis, Crimen læsæ Majestatis &c. & inquisitio ante punitionem agenda contestationi æquipollet; aut agitur contra defunctum, ut ejus bona confiscentur, seu publicentur, & cum ejus hæredibus citandis, aut cum bonorum defensore, seu cum Curatore hæreditatis jacentis a Judice deputando lis contestabitur; aut demum ad solum effectum damnandi defuncti memoriam causa agitur, eoque casu Promotor Fiscalis accusationem proponet, instanter insuper petet contra Rei memoriam procedi libello ad id opportune concepto; Tum citari debent omnes, quorum interest memoriam defuncti illæsam, incolumemque servari; quod si nemo ex vocatis ad Judicium accedat, tunc Judex ex officio Procuratorem, & Advocatum defuncti constituet, cum quibus litis contestatio sequatur.

5. Atque hæc de Accusatore, & Reo dixisse sit satis, am-

(a) *In Prax. Criminal. part.4. sect.2. n.30. pag.257.* (b) *Cap 2. decretorum n.26. pag.34.* (c) *Follerius in pract.Criminal.part.1. 2. p. vers. item.* (d) *Instit. Canonic. lib.4. dissert.4. n.98.*

amplior enim de Accusatore sermo redibit *lib.3. tit.1. harum instit.*, prout de Reo late tractabimus *eodem lib.3.*, ubi Criminalem praxim exponemus, seu modum, & formam, qua Criminalis processus instituitur, unde de Reorum captura sermonem habebimus *lib.3. tit.6.*, de legitimatione processus contra Reum *tit. 7.*, de defensoribus Reorum *tit. 8.*, de Reorum tortura *tit.9.*, de modo demum Reos, sive præsentes, sive absentes damnandi *tit. 10. & ultimo*; Quoniam vero præter Accusatorem, & Reum præcipua, & nobilior Persona, qua Criminale Judicium constituitur, Judex existit, a quo Criminales Causæ absolvuntur, præstat, ut de Judice in genere aliqua proferamus, ut deinde in specie ad peculiares Judices Criminales Urbis, & Status Pontificii, vel etiam alibi vindicativam justitiam exercentes progrediamur.

TITULUS III.

De Judice, ejusque Officio, & qualitatibus.

Inter tres Personas, ex quibus Judicium quodcumque, præcipue autem Criminale componitur, Actorem scilicet, Reum, & Judicem, nemo non videt, Judicem singulis præeminere, longeque præesse; Unde Judices dicti sunt merito Judicii *Duces*, *& Imperatores, imo basis, & fundamentum Judicii*; ipsi enim sunt, qui Processum judiciarium dirigunt, quid a Litigantibus agendum sit, evitandumque decernunt, publicaque demum auctoritate adeo funguntur, ut versus ille Davidis (a): *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, ex plurium Interpretum sensu Judicibus applicetur, & clarius hoc ipsum habetur Exodi *cap.22. Si quis commodaverit Amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint &c., si latet fur*,

(a) *Psalm.81.*

fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui; Et post *ad Deos utriusque Causa perveniet*, hoc est *ad Judices*: Et rursus *ibidem*, *Diis non detrahes*, idest, *Judicibus*, ut Ecclesiæ Patres, & sacrarum paginarum interpretes explicant.

2. Variis autem modis accipi solet Judicis nomen, Aliquando enim significat *Speculatorem, & Inspectorem*, cui rerum publicarum cura concreditur, aliquando pro rerum æstimatore usurpatur, & sæpe hoc vocabulo decorantur, qui de Partium consensu controversias, & lites de bono, & æquo componunt, quibus tamen arbitrorum nomen melius tribuitur, ut *ex Jure Canonico in Rubrica de Arbitris* patet; Aliquando demum (cæteris omissis) sub Judicum nomine veniunt, qui Judicem aliquomodo instruunt, unde passim Consultores, ac Assessores Judices nuncupantur.

3. Frequentius tamen, & strictius Judicis nomen adhibetur, quia is Jus, & Justitiam religiose custodit, atque impertitur, seu quia Juris est vindex, istudque ministrat (a), significatque hinc Judicis nomen Personam illam, quæ auctoritate publica liti, & controversiæ, *servatis de Jure servandis*, finem imponit, seu est *Persona publica habens auctoritatem, juxta leges, & consuetudines judicandi* (b). Dixi *servatis servandis*; Non debet enim Judex præpropere, & festinanter sententiam proferre, sed re mature perpensa, *ad pænitendum enim properat, qui cito judicat*, ut vetus fert Juristarum proloquium; prout etiam cohærenter ad Leges communes, Locorumque statuta debet causam absolvere; Unde Judicibus præcipue indicitur *Textus in cap. 1. de Constitut.* ibi: *Canonum statuta custodiantur ab omnibus, & nemo suo sensu, sed Juris auctoritate ducatur*; Cavendumque postremo a

(a) *L. rem novam 14. in princip Cod. de Judiciis*. (b) *Cap. forus 20. de verb. signific.*

Judice accuratissime est, ne ab administratione Justitiæ favoribus, vel muneribus abripiatur, & cum Personarum delectu, sive acceptione dijudicet, cum in Judiciis acceptio Personarum rigidè interdicatur (*a*).

4. Cæterum ultra qualitates enunciatas, amplioresque alias in Judice in genere requisitas, quas in Institutionibus Canonic. (*b*) exposuimus, præsertim in Criminalibus Causis, in quibus de vita, fortuna, & fama aliorum tractatur, prudens Judex esse debebit, exacteque curabit, ne vel facile in nimium rigorem inclinet, vel in summam benignitatem descendat. Ideoque ab iracundia abstinebit, quam odisse, & fugere quibuslibet maximè commendatur, multoque magis Judicibus; Experientia enim teste didicimus, verum esse, quod S. Gregorius Magnus (*c*) scriptum reliquit; *Per iram Dei relinquitur Justitia, quia dum perturbata mens sibi rationis Judicium exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat*: Et Plutarchus (*d*); *Quæcumque*, inquit, *ira commoti faciunt Homines, ea necessum est cæca sint, & imprudentia, non enim fieri potest, ut concitatus ira ratione utatur*. Vulgata hinc provide fuit lex Imper. Theodosii (*e*), quod scilicet Jussa Principis irati post triginta dies executioni mandarentur, ne quæ forte iræ tempore injuste decrevisset, cessante ira ægre ferret fuisse executa. Accedunt his salutaria illa monita, quæ continentur in Opusculo Petri Corsignani Italice Romæ impresso anno 1708. sub titulo; *Avvertimenti Civili, politici, e morali per un Giovane, che desidera esercitarsi nei Governi*; necnon alia, quæ edidit Petrus Paulus Guazzinus ad defensam Reorum &c., præsertim *cap.13. lib.2. n.3., & seq*; ubi quæ servanda sint a Judice Criminali diligenter expendit; consonantque observationes Criminales Philippi Mirogli Fiscalis Urbis nuper evulgatæ, qui

(a) *Cap.12. de Reg. Juris*. (b) *Tit.1. lib.3*. (c) *2. Moral. cap.30*. (d) *De cohibenda ira*. (e) *In l.ult. Cod. de pœnis*.

qui *cap.* 1. *lib.* 1. qualitates Judicis Criminalis apposité profert.

5. Jurisdictio sanè Judicis, quæ a Jure dicundo nomen sortitur, cæteras Judicis qualitates superemi-net, sine qua, ut in Institutionibus Canonicis (*a*) dicebamus, omnia acta nullitatis vitio laborant, & sunt undique infecta; eaque, omissis variis divisionibus, quæ congeri possent, in Jurisdictionem simplicem, & Imperium dividitur: simplex in simplici administratione Justitiæ pro Causis Civilibus constituitur; Imperium verò, quod *ab imperando* dicitur, ultra jussionem, per coercitionem, seu punitionem Reorum principaliter exercetur, & in Imperium merum, & mixtum dividi solet.

6. Merum Imperium est *Jurisdictio, quæ officio nobili Judicis exercetur, publicam utilitatem principaliter respiciens, ad eamque directa*, ut definitur a Bartolo (*b*), ut si minor, vel Ecclesia læsa restituatur, vel contractus rescindatur, vel vicinus adstringatur, ut de damno infecto caveat, aliaque his similia exempla profert Anacl. Reinfestuel (*c*), in varios actus eam distinguendo, qui, vel ad instantiam partis, vel motu proprio a Judice exerceantur; Mixtum autem ab eodem Bartolo (*d*) definitur: *Jurisdictio nobili quidem officio Judicis exercita, privatam tamen utilitatem respiciens*, ad eamque spectat veniam ætatis minoribus dare, illegitimum legitimare, seu Natalibus reintegrare, infamem famæ restituere, Tutores assignare &c.

7. Plura porrò de Judice, ejusque qualitatibus in *Institutionibus Canonicis* (*e*) dicta sunt, ut supra etiam innuimus, unde ne rem actam agamus, ad eas Institutiones Juris studiosos remittimus. Cum vero in *iisdem* animadverterimus, inter alias Judicis spe-

C 2 cies

(a) *Lib.* 3. *tit.* 1. (b) *In l.* 3. *ff. de Jurisd. n.* 6. (c) *Lib.* 1. *tit.* 32. *de Offic. Jud. n.* 28. (d) *Loco citato.* (e) *Tit.* 1. *lib.* 3.

cies adſcribi Ordinarios, eos ſcilicet, qui ratione ſui muneris, vel ex conſuetudine legitimè præſcripta jus dicere ſolent, ac Delegatos, qui ex delegatione, ſeu commiſſione Judicis Ordinarii in Cauſis ſe ingerunt (*a*); Cumque ulterius animadverterimus, ad exhibendas delegationis ſuæ facultates Judices delegatos adſtringi, itemque facultates eorumdem ſtrictiſſime eſſe intelligendas, Theſim hanc ad Criminalem materiam applicando, præſtat hic adnotare, quod ſi Judex delegatus pro confectione proceſſus aliquem citet, & ad ſe venire compellat, debet in Citatione tenorem ſuæ delegationis inſerere, alias Citatus non tenetur accedere (*b*); Idque ampliatur, etiamſi Delegatus ordinaria juriſdictione polleret, adhuc enim in eadem Citatione debet delegationem exprimere, & ex quo capite reum ad comparendum vocaverit enunciare; quo omiſſo, cum Reus citatus contumax dici non valeat, ſententia contra eum tamquam contumacem lata non ſuſtinebitur (*c*). Quod quidem exemplificari etiam poteſt in iis, qui non ab homine, ſed a Jure delegantur, ut ſunt Epiſcopi, qui ſæpe tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati conſtituuntur, & contra exemptos etiam procedunt, ut *in iiſdem Inſtitut. Canon.* animadvertimus (*d*), ſed hoc non obſtante, & licet, ad effectum, de quo agitur, Ordinariis Judicibus æquiparentur, ſe Delegatos eſſe Apoſtolicæ Sedis in negociis, de quibus tunc agitur, debebunt exprimere; Quamviſque non deſint, qui Judicem Delegatum ab hoc onere eximendum eſſe crediderint, & non teneri delegationis litteras exhibere Reo, & multo minus, ſi abſit,

(a) *L. More Majorum ff. de Juriſd., & notant DD. in rub. de off & poteſt. Judicis Delegati.* (b) *Guazzinus ad defen. Reor. defenſ.1. cap. 1. n.18., Scaccia de Judiciis lib.1. cap.32. n.35.* (c) *Menoch. conſ. 690. num. 6. cum ſeq., Gratian. diſcept. 170. num. 15., Cit. Guazzin. defenſ.13. cap.2. num.16.*
(d) *Sub tit. de Epiſcopis.*

absit, easdem ad illum transmittere (a), præsertim si scientia Delegationis possit a citato commodè haberi (b); Prima tamen opinio verior judicatur, & in praxi recipitur (c). Urgetque ratio invictissima, quod scilicet Delegatus nihil habet de proprio, atque universa, quæ in ipso residet, jurisdictio per litteras Delegantis eidem committitur, & consequenter cum nemo eidem credere, absque litteris Delegantis, teneatur, debet easdem, vel exhibere, vel transmittere, ut concludit Raynald. (d)

8. Diximus insuper, strictissimi Juris esse Delegationem; Id autem ad Criminale Jus pariter applicando, planè descendit, Judicem delegatum ad conficiendum processum, non censeri ad sententiam proferendam etiam delegatum (e); Multoque minus ad Civilem Causam delegatum in exercitio Causæ Criminalis se ingerere potest (f), etiamsi partes consentiant (g). Idque unice limitatur circa incidentia Causarum, sicuti enim Judex Criminalis potest de incidenti Civili cognoscere, ut tradit inter alios Card. de Luca (h); Ita Civilis Judex non prohibetur super incidenti Criminali pronunciare, dummodò Causa Criminalis incidens in Civilem talis existat, ut sine ea Civilis controversia absolvi non possit (i); Quod quidem exemplificatur in Teste falsum deponente coram Judice Civili, qui potest ab eodem, etiamsi alias sit incompetens, pro falsitate puniri (k), nisi fortasse sit Cleri-

(a) *Tenent plures relati a Farinac. in fragmentis p.1. verbo Delegatio n.92., & a Raynald. cap.32. §.4. n.50.* (b) *Vant. de nullitat. ex defectu Citationis sub n.47.* (c) *Fermosin. in cap. Præterea, quæst.2. de dilatione, Scaccia de Jud. lib.1. cap.32., Ubert. de citation. cap.9. n.88.* (d) *Observation. cap.32. §.4. num.49.*

(e) *Menoch. de arbitr. lib.1. quæst.37., Farinac. cons.156. n.1.*

(f) *Ad Text. in l. solemus, Cod. de Judiciis.* (g) *Ad Text. in l. Testam., & l. si quis ex consensu, Cod. de Episcoporum aud.*

(h) *De Judic. discurs.115. n.15.* (i) *Guazzin. defens.1. cap.23. n.7.* (k) *Guazzin. def.1. cap.23. n.5., & cap.25. n.81., & cap.27.*

Clericus, qui a Judice fæculari, coram quo falfum Teftimonium perhibuit, ex defectu Jurifdictionis, neque in Perfona, neque in Bonis puniri poteft, fed Judici Ecclefiaftico debet remitti, ut multis relatis tenent Fachin. (*a*), & Farinaccius (*b*). Idque pari Jure ampliatur in terminis Sententiæ per Laicum latæ contra Clericum, qui tacuit, nec de Clericatu unquam oppofuit, ea enim eft, non obftante hac taciturnitate, imo etiamfi expreffus confenfus accederet, indeclinabiliter nulla (*c*): Et merito quidem, vel enim agitur de Clerico fuum Privilegium reticente, & Judex ad judicium accedens prius debet qualitatem, & conditionem ejus, contra quem vult Judicium inftituere, diligenter inveftigare (*d*); Vel de Clerico confentiente, exploratumque eft, per hujufmodi confenfum juribus Clericalis ftatus præjudicium non irrogari (*e*); Eademque ratio videtur fibi locum adfcifcere in Proceffu contra Familiares Epifcopi efformato, tametfi privilegium non fuerit allegatum, & revera, quamvis Textus in *cap. fi Judex Laicus, de Sent. Excom. in 6.*, aliique loquantur de Clericis, illos tamen Sperellus (*f*) ex rationis identitate ad prædictos familiares extendit. Quod quidem eft intelligendum, feclufa Summi Pontificis difpenfatione, & Privilegio, vi cujus Judicibus Laicis facultatem committi poffe, & quandoque committi, procedendi criminaliter contra Clericos, notarunt Reinfeftuel (*g*), Fariuac. (*h*), aliique communiter.

9. Judex porro Criminalis Prætor etiam dici confuevit,

(a) *Contr. lib.9. cap.27.* (b) *Quæft.8. n.26., & quæft.67. & num. 54.* (c) *Cap. fi Judex Laicus, de fent. excommunic. in 6.*

(d) *Per Text. in l. fi quando Cod. de dilat., l. qui in alterius, ubi Gl., & DD., & præcipue Dec., & Cagnol. ff. de Reg. Jur.*

(e) *Cap. fi diligenti cum aliis de foro competen.* (f) *Sperellus decif. 129. num. 20.* (g) *Lib. 1. decretal. tit. 29. §.4.*

(h) *Quæft. citata 8.*

ſuevit, Prætor enim ad hoc inſtitutus provide eſt, ut Jus diceret in Urbe, ut dixit Pomponius (a): prout etiam Præfectus Vigilum aliquando nominari promeruit, forte ex onere, quo gravabatur, luſtrandi Curiam diù, noctuque cum apparitoribus, & ſatellitibus, vigilando, ut criminoſos proſequeretur, atque puniret.

10. Quamvis autem ampliſſima ſit Criminalis præſertim Judicis Juriſdictio, nequit tamen is, aut pœnam delictis augere, aut imminuere, ſi fuerit a jure conſtituta, cum nequeat in lege diſpenſare, cujus miniſterium exercet (b), rationemque affert Angelicus (c) ſequentibus verbis: *Duo ſunt*, inquiens, *quantum ad propoſitum pertinet, circa Judicem conſideranda, quorum unum eſt, quod ipſe debet judicare inter Accuſatorem, & Reum; aliud autem eſt, quod ipſe non fert Judicis ſententiam quaſi ex propria, ſed ex publica poteſtate. Duplici ergo ratione impeditur Judex, ne Reum a pœna abſolvere poſſit; Primo quidem ex parte Accuſatoris, ad cujus Jus quandoque pertinet, ut Reus puniatur: alio modo ex parte Reipublicæ, cujus poteſtate perfungitur, ad cujus bonum pertinet, quod Malefactores puniantur*. Hactenus S. Thomas; Quod tamen intelligitur, ſi arbitrarie velit, & gratis a Jure recedere, ſecus vero ſi ex aliqua rationabili cauſa ex actis reſultante, ut conciliant Interpretes in *l. hodie ff. de pœnis*.

11. Quæri ſolet, an ex quo Judex *ſit Perſona publica, & ſecundum Leges, & conſuetudines debeat judicare*, cujus rei intuitu pœna ab ipſo augeri, aut minui non poſſit a jure conſtituta, ut mox innuebamus, niſi ex cauſa ab actis reſultante; quæri, inquam ſolet, an valeat aliquando quem certo ſcit ex privata ſcientia innocentem, damnare, ſi ex actis Reum eſſe cogno-

(a) *In l.2. §. Cumque Conſules ff. de origine juris.* (b) *L.1. §. quorum 4. ff. ad Turpill. l. ſi operis pub. Cod. de pœnis.*
(c) *2. 2. quæſt.67. art.4. in corpore.*

cognoverit, & an quem certo pariter ſcit Reum; poſſit abſolvere, ſi ex actis innocentem eſſe deprehenderit? Qua tamen in controverſia, quæ hinc inde tenet Theologos, & Canoniſtas implexos, probabilius videntur ſequentia eſſe diſtinguenda: Primò ſcilicet, ſi non adeo clarum ſit ex actis prætenſi Delinquentis delictum, ut undique comprobatum remaneat, tunc enim debebit Judex prætenſum Delinquentem abſolvere, cum nihil certius in jure habeamus, quam quod favorabilior debeat eſſe cauſa Reorum, & quod Actore non probante, Reus abſolvatur: ſi vero ex actis non dubia, ſed clara res contra Reum omnino reſultet, Cauſæ Civiles a Criminalibus ſunt diſtinguendæ, eædemque Cauſæ Criminales inter majores, & minores dividendæ: minores ſunt, in quibus de pœna pecuniaria, vel de privatione Officii; majores verò, in quibus de morte, vel mutilatione tractatur; Porro de quavis cauſa in genere ſermo ſit, nihil intentatum Judex relinquet, ut eum abſolvat, quem certò ſcit eſſe innocentem, licet ex actis Reum eſſe deprehenderit; Obvia autem remedia erunt iterum Teſtes examini ſubjicere, inſtrumenta producta ad novum examen revocare, exceptiones Reo favorabiles ex actis eruere, & ſi iſta non proſint, Cauſam ad ſuperiorem Judicem remittet, certamque Rei innocentiam ſibi notam aperiet. Quod ſi in ea circumſtantia ſit Judex conſtitutus, ut debeat omnino ſententiam proferre, poterit quidem in Cauſis Civilibus, & ad ſummum in Criminalibus minoribus, actis ſe conformare, adhibitis prius mediis omnibus ſupra indicatis; ſi vero Criminales Cauſæ graviores, in quibus, ut diximus de morte, vel mutilatione tractetur, Judici occurrant, eum, quem certò ſcit innocentem, damnare nequit, etiamſi Officium foret dimiſſurus, indignationem Principis ſubiturus, & quodvis alterum malum incurſurus, ut concludunt Reinfeſtuel.

ſtuel. (*a*), & Leurenius (*b*); Et merito quidem, quia univerſa Judicis juriſdictio, vel a Supremo Principe, vel a Republica pendet, cujus vices repræſentat. Quidquid autem ſit, an Supremus Princeps, & Reſpublica poſſit in Judicem auctoritatem transfundere, ut ſecundum acta, & probata procedat, etiam damnando eum, quem Judex ſcit eſſe innocentem in Cauſis Civilibus, vel criminalibus levioribus; nullo tamen fundamento adſtrui poteſt in Principe, vel Republica Jus eamdem auctoritatem transfundendi, ut innocens morte puniatur, ut ratiocinantur Auctores ſupracitati, aliique communiter. Nunc ad Judices Criminales Romanæ præſertim Curiæ in ſpecie enumerandos, ut promiſimus, accedamus, eos etiam attingendo, qui alibi coercitiva auctoritate fruuntur.

12. Præſuppoſita autem differentia cauſarum Eccleſiaſticarum, ac temporalium, quam fuſius in Inſtitutionibus Canonicis (*c*) expoſuimus, certa plane res eſt, in utroque cauſarum genere, Criminalibus etiam compræhenſis, Romano Pontifici peculiari quodam jure auctoritatem competere, unde principem inter Judices eundem Pontificem juriſdictionem habere merito dicimus, a quo deinde tamquam a mari in rivulos in reliquos diffluit; quoniam vero multiplicem ipſe gerit perſonam, Capitis nimirum ſupremi totius Eccleſiæ, Urbis Epiſcopi, Archiepiſcopi Italiæ, Patriarchæ Occidentis,& Principis temporalis Pontificiæ ditionis, ut fuſius innuimus in iiſdem Inſtitutionibus Canonicis (*d*); Hinc ſubalternos, & inferiores etiam pro Criminalibus Cauſis Judices habet, Vicarium nempe ſub repræſentatione Epiſcopi Urbis, vel ut aliqui ſentiunt, etiam Archiepiſcopi Italiæ,& Patriarchæ Occidentis,cujus tamen Vicarii facultates pro cauſis in Italia vergentibus am-

(a) *Lib. 1. decretal. tit. 22. §. 2: per tot.* (b) *Dicto tit. 22. quæſt. 894. per tot.* (c) *Lib. 3. tit. 1. §. 23. & ſeq.* (d) *Lib. 1. tit. 4.*

pliare deberet: Insuper Gubernatorem, & Senatorem sub respectu Principis temporalis; & demum Auditorem Cameræ sub eminentiori altero intuitu capitis Ecclesiæ; unde hos Ordinarios Judices Urbis, & Districtus vocare consuevimus. Pro Causis autem etiam extra Urbem occurrentibus jurisdictionem exercent Episcopi, Gubernatores locales, Barones, Prælati Regulares, &, si de gravioribus Criminibus disceptetur, pro sæcularibus quidem erecta est pro universa Pontificis Ditione Congregatio Consultæ, pro aliis vero, quæ in materia Religionis ubique locorum contingunt, Tribunal S. Inquisitionis fuit provide institutum, de quibus omnibus hic erit agendum. Cumque in hisce Tribunalibus Advocati Pauperum, & Fisci interveniant, de iis quoque aliqua pro Coronide hujus primi Libri proferemus, quamquam de omnibus hisce Personis, vel Tribunalibus uberior sit *in Tractat.u de Romana Curia*, qui in quarto nostrorum operum Tomo, Deo benedicente, evulgabitur, sermo rediturus.

TITULUS IV.

De Summo Pontifice.

QUamvis de Summo Pontifice *in Instit. Canon.* (*a*) amplissime egerimus, de eoque etiam *in enunciato quarto* Tomo sit pertractandum, cum plura tamen in ordine ad Criminales Causas dicenda supersint, eaque huic reservaverimus loco, præstat, ut id incunctanter impleamus.

2. Summum igitur illud, amplissimumque Imperium, quod perpetuo habuit Roma, non solum in cæteras alias ditiones excelluit divitiarum copia, animi magnitudine, generosæ inclytæque Nobilitatis splendore, ædificiorum superbia, aliisque omnibus rebus cui-

(a) *Lib. 1. tit. 4.*

cuique exploratissimis, quæque, inter alios, referuntur a *Bulengero* (a), sed vindicandorum etiam, coercendorumque Criminum disciplina. Urbe enim condita, Reges ipsi, ac primus omnium *Romulus*, juxta Dionysium (b), Reorum punitioni operam dedit, quod etiam *Tullus Hostilius*, & *Tarquinius Superbus* prosequuti sunt, ut apparet ex Livio (c), unde non obscure colligitur, idem ab aliis præstitum subinde fuisse. Regibus vero expulsis, Criminalia Judicia variis fuerunt in Urbe mutationibus obnoxia, seu Jus coercendi Reos pro temporum, & circumstantiarum varietate apud plures resedit; nam primo Consules in Crimina cœperunt inquirere; unde *Brutus* conjuratos, filiumque ipsum obtruncavit: quo tamen mortuo, Publ. Valerius Publicola collega eodem anno legem edidit, ut contra quoscumque Magistratus ad populum posset provocari (d), eamque Legem a Decemviris rescissam, & revocatam L. Valerius, & Marcus Horatius Consules restituere anno V. C. 345. (e), prout eam iterum abrogatam, iterum reddiderunt M. Valerius Cerrus, & Q. Apulejus Pansa an. V. C. 453. (f); unde Lex Valeria dicta est, quia a Pub. Valerio lata, & ab eadem familia bis fuit restituta.

3. Cum autem tunc Prætor, aut Dictator Senatus Consulto, aut Lege ex peculiari veluti mandato in certis tantum Criminibus procedere, & Jus dicere consuevissent, perpetuæ subinde quæstiones institutæ sunt; I. Lucius Piso Plebiscitum condidit, ut quæstio repetundarum Prætori quolibet anno demandaretur per Legem ita conceptam, *de ea re Prætoris quæstio esto*. 2. Quæstionem repetundarum sequutæ sunt tres aliæ, nempe *de peculatu*, *de Majestate*, *de ambitu*. Et 3. tandem quatuor alias quæstiones L. Cornelius Sylla Dictator adjecit, *de*

D 2

(a) *De Imper. Rom. lib. 2. cap. 5.* (b) *Lib. 2. antiquit.* (c) *Lib. 1.* (d) *Liv. lib. 2.* (e) *Liv. lib. 3.* (f) *Liv. lib. 10.*

de Sicariis, *de Veneficiis*, *de Falso*, *de Parricidio*, totidemque novos instituit Prætores, qui super illis opportune cognoscerent, sententiamque proferrent.

4. Minor tamen non fuit Romanorum diligentia in Provinciis sibi subjectis, eamque non minus vigente Republica, quam sub Imperatoribus accuratissime exercuerunt; etenim Municipales Civitates suos habuere Magistratus pro Civilibus, & Criminalibus Causis, quos aliqui Urbis Consulibus exæquant, alii vero Civitatum Defensores appellant, & Tribunis Plebis comparandos existimant. Et quamvis sub Imperatoribus, & præsertim Antonino, omnia Coloniarum, & Municipiorum jura evanuerint, omnesque Romanis Magistratibus subjicerentur, dubitari tamen nequit, fuisse in particularibus locis Magistratus, qui in Causis Civilibus, atque humilioribus negotiis Jus dicendi potestatem haberent, reservato defensoribus Civitatum Jure Crimina cognoscendi, licet hi nec mulctam dicere, nec quæstiones exercere, nec in Carceres conjicere possent (a), ut amplius videri potest apud *Cyriacum Lentulum de statu Romanæ Reipublicæ prisco, & recentiori part.* 1. altera enim pars nimis suspecta est, & vix digna, quæ a Catholico homine legatur.

5. Spectant sanè hæc ad vetustum Imperium; translato autem in Romanos Pontifices Dominio, nedum spirituali, quod certa fide credimus a Christo Domino profluxisse, ut fusius ostendimus in Institutionibus Canonicis (b); Verum etiam temporali, sive Jure ipso divino (ut enim Christus Dominus, cum esset elevatus a Terra omnia ad se transferenda prædixit, sibique potestatem omnem in Cælo, & in Terra a Patre datam esse affirmavit (c), sic id ad ejus etiam Vicarios extensum fuisse plurimi censent) sive ex Populorum

(a) L. 1. *c. de exhibendis Reis*. (b) *In tit. de Roman. Pontific.* (c) *Matt.* 20.

lorum consensu, qui quidem videntes se ab Imperatoribus Iconoclastis in Orientalibus Partibus degentibus derelictos, atque impares & viribus destitutos, ut Longobardorum jugum excuterent, sponte sua se Apostolicæ Sedi dediderunt (a), sive ex celeberrima Constantini donatione, quam *in Can. Constantinus dist. 96.* inseruit Auctor Canonum *sub nomine Palea* in decreto Gratiani; quamque licet plures Eruditi in discrimen redegerint, & suppotititiam asseruerint, memorat tamen *Nicolaus III. in Cap. Fundamenta de electione in 6., & Clemens V. in Clementina 5. de jure jurando*, & illam defendit, inter alios, *Meglioruccius Institut. Canonic. lib. 1. tit. 8. num. 35.* Incredibile est quantam in vindicativa præsertim justitia exercenda iidem Pontifices vigilantiam habuerint, & quantum idcircò nova hæc Populos regendi ratio antiquam superaverit, ut patet ex Constitutionibus *in Corpore Juris Canonici* passim contentis, aliisque in dies addi consuetis.

6. Nullus autem ex Catholicis coercitivam hanc potestatem Romano Pontifici impugnavit, sive enim spectetur, ut Episcopus Urbis, quia per Cardinalem Vicarium, & per Congregationem Visitationis Urbis, aliasque Cardinalium Congregationes negociis hujus Civitatis invigilat (b); sive ut Archiepiscopus Italiæ, quia non intra modicam latitudinem Diœcesum suburbicariarum, ut aliqui affirmarunt, sed supra omnes Diœceses Italiæ, in quibus non erant Metropolitæ instituti, jurisdictionem olim habebat (c), unde constat, Legatum pro electione Archiepiscopi Mediolanensis a S. Gregorio Magno fuisse Mediolanum usque transmissum; sive, ut Patriarcha Occidentis, ratione cujus meri-

(a) *Thomassinus de benef. p. 3. lib. 5. cap. 29 P. Bianchi in tractat. della Potestà, e Pulizia della Chiesa, aliiq.* (b) *Card. de Luc. in Rel. Rom. Curiæ disc. 2. n. 11., Bened. XIV. de Syn. Diœces. cap. 3. n. 78.* (c) *Dortis in opusculo de suburbicariis Eccles. Card. Perronius in resp. ad Jacobum Regem Brittanniæ lib. 1. cap. 33.*

merito Arelatensis Concilii Patres Silvestrum Pontificem compellabant: *Tu, qui majores Diœceses tenes* (a); sive demum, ut Princeps temporalis Monarchicum habens Imperium in sua Ditione, coercitiva sane hæc facultas eidem competere debet, ne alias deterioris conditionis existat ab illis, qui aliquo ex istis respectibus vindicativam Justitiam exercent, de quibus infra tractabitur.

7. Magis vero hac potestate perfruitur, ut Pontifex Romanus, seu sub Romani Pontificis, & visibilis Capitis Ecclesiæ prospectu; nedum quippe de natura bene ordinatæ Reipublicæ est, ut qui eidem præest, potestate coercitiva fruatur, ut quos non retrahit amor virtutis a delinquendo, coerceat saltem formido pœnarum, verum etiam verba illa Christi Domini Petro (b): *Quodcumque ligaveris &c.* & (c): *Pasce oves meas &c.* quemadmodum certo præseferunt jus gubernandi, & pascendi Christianum populum, & quidem *absque ullo personarum discrimine*, ita absque ulla hæsitatione coercitivam jurisdictionem important, nempe Jus corporalibus pœnis damnandi eos, quos Summus Pontifex, adhibitis prius salutaribus remediis, iisque in irritum cessis, crediderit esse damnandos, ne alias dicamus, quod volito fine, nempe populi gubernio, media prohibeantur, sine quibus cæteroquin finis obtineri non potest, contra juris Censuram *in l.2. ff. de Jurisdict. omnium Judicum, & in cap. præterea, de offic. Delegat.*, ubi expresse cavetur, quod illi, *cui potestas commissa est, omnia censentur commissa, sine quibus potestas exerceri non potest*. Accedit his, quod Carceres detinere, in quos Delinquentes detrudantur, aliarumque omnium corporalium pœnarum inflictio, & in genere punitio Delinquentium pertinet ad merum Impe-

(a) *Latè Thomassinus Vet.*, *& Nov. Eccl. discipl. Tom.1. lib.1. cap.8. n.14.* (b) *Matth.16.* (c) *Joannis 21.*

Imperium, ut eſt *Text.* litteralis *in l. Imperium ff. de Juriſdict. omn. Judic.*; Ne autem dicamus, merum hoc Imperium ex vi Primatus, quem Papa habet in tota Eccleſia, eidem non competere, eundemque deterioris eſſe conditionis quovis altero Legislatore, & Principe merum hoc Imperium habente, concludamus neceſſe eſt, coercitivam hanc poteſtatem uſque ad ultimum ſupplicium extendibilem ſive incluſive, ſive excluſive, ut hinc inde diſceptatur, eidem Pontifici eſſe concedendam, ut concludit citatus Melioruccius (*a*); quam quidem facultatem ſpeciali quodam jure in cauſis Fidei, & ad ejiciendas ab Ovili oves, quæ Gregem poſſent corrumpere, atque vitiare, a Pontificibus ipſis commiſſam, delegatamque legimus Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis (*b*), de quibus infra tractabimus, licet, aut mitius agendo, & ne Eccleſiæ caput in alieno ſanguine manus immiſceat, a ſententia mortis ſoleat abſtinere, aut ſaltem per Judices Laicos, ſæcularemque Curiam ſit executioni demandanda, quia Eccleſia a ſanguine abſtinet.

8. Diximus ſupra, munus gubernandi Dominicum Gregem commiſſum fuiſſe Romano Pontifici, *quovis Perſonarum diſcrimine ſublato*, indeque facile intelligitur poteſtas illa indirecta, quæ ſuper Principes, & Reges in Romano Pontifice communius recognoſcitur; quidquid enim ſit de poteſtate directa ſuper omnes Nationes, quam aliqui eruere ſibi blandiuntur ex verbis S. Scripturæ (*c*), quibus Chriſtus Dominus de ſe ipſo diſſerens ait: *Data eſt mihi poteſtas in Cælo, & in Terra &c.*, & alibi (*d*): *Et adorabunt eum omnes Reges Terræ, & omnes gentes ſervient ei*: quibus Chriſto Domino, etiam tamquam homini, univerſalem poteſtatem in toto Orbe tributam Interpretes omnes affirmant, eamdemque hinc Romano Pontifici tamquam ejus

(a) *Lib.4. Inſtit. Canon. tit.1. diſſert.2.* (b) *In Clem.1., & 2. de hæreticis.* (c) *Matthæi ultimo.* (d) *Pſalm.71.*

ejus Vicario concedendam esse multi arbitrantur, & signanter *Marta de Jurisd. part. 1. cap. 24.*, ubi plurimos refert, iisdemque Textibus, cæteris omissis, additur alter Marci ultimo, ad omnes Apostolos a Christo directus: *Euntes in Mundum universum &c.* Quidquid inquam sit de hac potestate directa, a qua tamquam a Criminali materia prorsus extranea præscindere volumus: Potestas altera indirecta, per quam Pontifex supra omnes Principes, & Reges Christianos auctoritatem coercitivam exercere libere possit, si ipsi forsan abutantur Imperio, & spirituali subditorum bono ita expedire videatur, non videtur posse in dubium revocari, ut solidis fundamentis ostendit, inter alios, *Card. Bellarmin.* (*a*), & de facto propter hanc causam, boni scilicet spiritualis Populorum, Regem Francorum Regno privatum fuisse constat *ex Canon. alius 15. quæst. 6.*, & Pipinum Caroli Imperatoris Patrem in ejus locum substitutum. Ad hæc *ex cap. grandi, de supplen. neglig. Prælator. in 6.* plane colligitur, *Romanum Pontificem Lusitano Regi adjutorem dedisse*, quia ita Divinus Cultus, publicumque bonum postulabat, pluraque alia exempla recensent dictus *Card. Bellarm.* (*b*), *Suarez* (*c*) aliique communius.

9. Quin obstet, primis Ecclesiæ temporibus, nec Petrum, nec ejus Successores tanta usos fuisse potestate; id enim non ex potestatis defectu processisse asserendum est, sed potius ex defectu subjecti, cum tunc sæculares Principes essent Potentes, & Infideles, proindeque non subjecti Ecclesiæ, vires verò Ecclesiæ adeo debiles, ut Jus, quod habebat, executioni committere non valeret, &, ut præclare ait S. Augustinus relatus *a Gratiano* (*d*): *Tanta erat illius ætatis miseria, ut filia Matrem, discipulaque Magistram inten-*

(a) *De Rom. Pontific. lib. 1. cap. 5.* (b) *Loc. cit.* (c) *Lib. 3. cap. 11. num. 10. contra Anglor. Errorem.* (d) *In Canon. displicet 38. 23. quæst. 4.*

intenderet subjugare: Unde nil mirum, si postquam Divina clementia patrocinante, quæ singula moderatur, & regit, Respublicæ, & Reges fidem susceperunt, vires potestatis spiritualis auctæ sint, & ad exercitium redactæ. Minus verò obstat monitum Christi Domini Petro (a): *Petre, converte gladium tuum in vagina*; quibus verbis vetitus fuisse Petro, ejusque Successoribus videtur gladii temporalis usus; Inde enim unice infertur, eidem Petro, & Petri Successoribus injunctum fuisse moderationis, & discretionis remedium, nec quod indistincte temporali gladio uterentur pro arbitrio nullis limitibus, & habenis coercito: Quemadmodum tamen potuisset Petrus temporalem gladium adhibere, si tunc pro redemptione humani generis, nostroque exemplo eo uti oportuisset, ita ex objecto textu deducitur, non semper expedire Ecclesiæ, Romanoque Pontifici potestatem hanc coercitivam arripere, sed tunc præcise, cum improborum freno, & bonorum quieti eamdem exequi oportet, idque præsertim si per Laicos Ministros expleatur, ut fieri debet. Cæterum cum Romanus Pontifex in varios Judices pro exercitio Criminalis Jurisdictionis auctoritatem transfundat, vel intra Urbem, & districtum, vel extra, vel demum ad universum Orbem porrectam, ut supra præmisimus, de istis nunc Judicibus erit tractandum.

10. Quatuor porro Judices ordinarii in Urbe, & districtu sese offerunt, nempe Vicarius, Gubernator, Auditor Cameræ, & Senator; extra Urbem vero, imo etiam extra Districtum occurrunt Episcopi, Gubernatores Locales, Barones, & Prælati Regulares, quorum tamen aliqui etiam intra Urbem, nisi a Pontifice prohibeantur, Jus dicere possunt, ut sunt iidem Regulares Prælati. His accedit Tribunal Consultæ pro

(a) *Matt.* 26.

Pontificia ditione, ſicuti pro univerſo Orbe Catholico Sacræ Inquiſitionis Congregatio inſtituta, de quibus omnibus merito agendum.

TITULUS V.

De Cardinali Vicario.

Hujus Cardinalis nomine non intelligitur Vicarius ille, qui, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus olim eligebatur, cum Romani Pontifices Avenione reſidebant, quod quidem exemplum ſequutus Clemens VIII. Ferrariam pergens Cardinalem Innicum de Avalos ſuum Vicarium Romæ deputavit, ut conſtat ex ejuſdem Clementis Conſtitutione 53. *in Bullario tom.3.*, magis enim proprie Legatus a latere, quam Vicarius Papæ idem vocari merebatur; Loquimur ergo de Vicario, qui, ſive abſente, ſive præſente Romano Pontifice, ordinariam Juriſdictionem in Urbe exercere conſuevit, ejuſdemque Pontificis, non tamquam Papæ, ſed tamquam Epiſcopi Romani Vicarius exiſtit. Is vero, vel in locum Archipresbyteri ſucceſſit, ut in Eccleſiaſticis Cauſis Pontificem adjuvaret, ut aliqui opinantur, vel exemplo aliorum Epiſcoporum, qui cum per ſe ipſos nequeant omnia concreditarum ſibi Diœceſum negocia explere, plerumque Vicarios Generales aſſumunt, ut fuſius advertimus in Inſtit. Canonicis (*a*), a Summo etiam Pontifice tamquam Urbis Epiſcopo pro Urbe, ejuſque Diſtrictu a primis etiam Eccleſiæ Sæculis cæpit deſtinari, atque a multo tempore, præcipue vero a Pio IV., ut ex *Conſtitutione 3. dicti Pontificis*, unus ex S. Romanæ Eccleſ. Cardinalibus ad vitam conſtituitur, ut *notavit etiam Card. de Luca* (*b*); Unde dicitur Organum Papæ, cum per eum ſoleat Papa, quæ concernunt perſonam Epiſ-

(a) *Lib.1. tit.13.* (b) *De Juriſdict. diſcurſ.34.*

Episcopi particularis Urbis, explicare, ad differentiam negociorum, quæ ad Summum Pontificem pro totius Orbis regimine spectant, quæque per Datarium, Secretarium Brevium, aliosque Officiales declarantur, ut notavit *idem Card. de Luca (a)*.

2. Quamvis autem pro Caussis Ecclesiasticis cumulativa quædam Jurisdictio eidem competere videretur cum aliis sex Episcopatibus suburbicariis, ut notavit *Gonzal. in cap. tua nobis n. 6. de Offic. Vicarii*, id tamen intelligitur, *detractis finitimis Diœcesibus*, quæ a propriis Episcopis gubernantur, in quibus nullo potest ordinariæ Jurisdictionis exercitio persfungi, juxta decretalem Innocentii III. *in cap. tua nobis de Offic. Vicarii*, & juxta Constitutionem 115. Benedicti XIV. *incipien. Romanæ Curiæ* §. 21. *tom. 1. Bullar. ejusdem Pontificis*, de qua amplior *in Tractatu Romanæ Curiæ* sermo redibit, ubi expresse cavetur nullam in prima instantia in Diœcesibus suburbicariis Card. Vicario auctoritatem competere, solumque posse Romanos Clericos in Urbe existentes pro Caussis ad eum spectantibus convenire; Et merito quidem, alias enim sequeretur, Episcopos suburbicarios in Gubernio suarum Diœcesum otiosos remanere, aut saltem eorum auctoritatem absque ulla rationabili causa nimis imminui, ut, tam in eadem Decretal. Innocentii III. *cit. cap. tua nobis*, quam in d. Constitutione 115. Benedicti XIV. disertissime advertitur; atque hinc expresse cavetur, jurisdictionem Vicarii extra Urbem non extendi, nisi ei expresse concedatur.

3. Non solum vero in Civilibus, vel œconomicis negociis Urbis, finitimorumque Locorum Vicarius se ingerit, ut fusius *in Praxi Rom. Curiæ* videbimus, sed etiam Criminaliter procedit in Caussis Judæorum, necnon in aliis materiis, quæ vel Mulierum honestati adversantur, vel Ecclesiarum cultum imminuunt, vel Cle-

(a) *Disc. 32. num. 11. de Regular.*

ricorum vitam, ſacraque Miniſteria concernunt, vel Sacramentorum, & Reliquiarum Venerationem evertunt, vel bonis moribus quomodocumque repugnant, fidelibuſque ſcandalum ingerunt, ut ſatis eruitur ex Conſtitutionibus Clemen. VII., Pauli III., Julii III. Pii IV, S. Pii V., Clemen.VIII., & Benedicti XIII. relatis a cl. me. Card. Petra (a). Quum vero aliquando contingat, graviores quoſdam exceſſus a Perſonis præſertim Eccleſiaſticis perpetrari (licet cumulativam quoq. auctoritatem in delictis etiam Laicorũ indiſtincte eidem competere aliqui aſſerant) hinc, ut maturiori poſſint conſilio Criminales Cauſæ diſcuti, vel alia quævis negocia expediri, ſuos habet Conjudices, qui ſtatis diebus, & ſemel in hebdomada, ſignanter vero die mercurii coram ipſo conveniunt, nimirum Viceſgerentem, qui ejus Vices gerit, eſtque in Epiſcopali Ordine conſtitutus, ut pro eo etiam poſſit Sacras Ordinationes explere: Locumtenentem item in Civilibus, & deputatum pro Monialibus ex Prælatorum Ordine ſelectum (qui tamen raro aut nunquam ad Congregationem accedit): Locumtenentem ex Juriſconſultorum albo, & Togatum pro Cauſis Criminalibus, Procuratorem Fiſcalem, Promotorem pariter Fiſcalem Tribunalis, necnon Advocatum Pauperum, & Fiſci, qui ſolent eſſe iidem, ac pro Gubernatore, ſeu pro Cauſis Gubernii Urbis deſtinati. Unum itidem ex ſubſtitutis numerariis votum deciſivum habentem, ac alios ſubſtitutos ſupranumerarios, hac animadvertentia, quod Viceſgerens, Locumtenens Civilis, Locumtenens Criminalis, & unus ex ſubſtitutis numerariis habent ſinguli votum deciſivum; Advocatus, & Procurator Fiſcalis Generalis unum Votum efformant; Advocatus autem, & Procuratores Pauperum interveniunt tantum ad informandum in Cauſis Pauperum, deinde vero diſcedunt

(a) *In Commentariis ad Conſt. Apoſtolicas tom. 5. ad Conſt. 1. Paul. II. num. 65.*

dunt ab aula, ante quam per ſupradictos Judices ad deciſionem, ſeu reſolutionem Cauſarum deveniatur. Habet demum diſtinctum ſuum Militum Ducem, ſeu, ut inquiunt, Baroncellum, armatamque Familiam, quam, ſi neceſſitas urgeat, ab aliis etiam Judicibus mutuatur.

4. Poteſt inſuper Cardinalis Vicarius pœnis etiam corporalibus Delinquentes punire, quo caſu ad Gubernatorem Urbis tamquam Judicem Laicum Proceſſus remittere non tenetur, ut corporali pœna Delinquentes damnentur, ſed ipſe executioni rem judicatam mandat; quandoque autem & frequentius coercet Delinquentes, juxta Criminum qualitates mulctis pecuniariis: circa quas quidem mulctas, Vicarius pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, ita tamen, ut ex pecunia illa Officio Vicariatus pro neceſſariis expenſis provideatur, & Notariis, aliiſque Miniſtris dignum congruumque ſtipendium reddatur. Uberiora de Card. Vicario qui cupit, adeat *Card. Petram* (a), Ignatium a S. Maria (b), & Benedictum XIV. (c); Hæc enim pro nunc innuiſſe contenti ſumus, ne breviſſima, quam propoſuimus, Judicum Ordinariorum Urbis etiam pro Cauſis Criminalibus pertractatio, quam fuſius, ut innuimus, in quarto noſtrorum Operum Tomo de Romana Curia habituri ſumus, in volumen excreſcat.

TITULUS VI.

De Urbis Gubernatore.

Quemadmodum Cardinalis Vicarii poteſtas reſtricta, & coarctata videtur in coercendis illis Criminibus, quæ vel Eccleſiarum ſanctitatem reſpi-

(a) *In Commentar. ad Apoſtolic. Conſtitut. ad Conſt. Pauli II. tom. 1.* (b) *In notitia Rom. Cur. cap. 3. p. 1.* (c) *De Synod. Diœc. lib. 2. cap. 3.*

respiciunt, vel quomodolibet honestati repugnant: aut si in puncto Juris in horum Criminum finibus restricta non est, in praxi tamen ad ista pro arbitrio Vicariorum redigi solet, ut supra notavimus; ita Gubernator Urbis illis Causis Criminalibus praeest, quae Romanae Urbis tranquillitatem perturbant, quaeque Delicta saecularia vocantur. Unde licet cumulativam quamdam potestatem habeat procedendi etiam in delictis, quae mixti fori dici consueverunt, & quandoque ex oraculo Papae etiam contra Ecclesiasticos, imo & contra Regulares procedere possit, actuque procedat, ex objecto tamen, ut inquiunt, seu ex vi sui Officii in delictis dumtaxat Saecularibus, & contra Saeculares procedere solet, unde munus Saeculare communiter reputatur, quod licet ad libitum Papae sit amovibile, raro tamen amovetur, nisi per promotionem ad Purpuram. Singulis autem Hebdomadis coram Gubernatore duae Congregatio nes, ut inquiunt, Criminales habentur, diebus Martis, & Veneris, quarum prima *Ordinaria*, altera *Oeconomica* dicitur, cum interventu duorum Praelatorum, qui Assessores vocantur, quique voto decisivo fruuntur, & cum duobus Locumtenentibus Criminalibus Votum decisivum habentibus, ac duobus aliis substitutis numerariis locumtenentium consultive tantum suffragantibus, aliisque Criminalibus substitutis supranumerariis; Intervenit etiam Procurator Fiscalis Generalis, & Advoc. Fisci ad Fisci jura tuenda, & Pauperum Advocatus & Procurator, ut reorum defensiones proponant (ad oeconomicam vero Congregationem, quae die Veneris agitur, Pauperum Defensores minime accedunt); in iisdemque Congregationibus Defensores reorum audiuntur, aliaque explentur, quae pro recto, ordinatoque hujus Tribunalis regimine sanxit Benedictus XIV. in Constitutione incipiente: *Justitiae gladium*, edita die 12. Maii 1749., quae *est* 8. *tom*.3. *ejus Bull.*, quam infra fusius referemus.

2. Mu-

1. Munus certe Gubernatoris spectabilissimum est, & inter primaria Romanæ Curiæ accensetur, unde ipsum Auditorem Cameræ, cæterosque Cameræ Apostolicæ Clericos, imo Prælatos omnes, & Curiæ Officiales post Cardinales, & Regum quoque, Principumque Oratores, ac Pontificis Nepotes præcedit, aliosque omnes Magnates, qui ad Pontificium solium adsistunt; istaque supra omnes tamquam Vicecamerarius, & Camerarii personam repræsentans, Cardinalibus exceptis, præeminentia perfruitur, ratione cujus copiosam armatam familiam, & Satellites habet, necnon Satellitum Ducem ex Cameræ redditibus provisos.

2. Non solum vero jure novo in toto Urbis Districtu in Criminalibus quoque Causis Jurisdictionem exercet usque ad centesimum lapidem, juxta communiorem sententiam, cum reformatio exploratissima Districtus ad 40. milliaria facta a Gregorio XIII. temporale Gubernium non immutaverit, sed ad spirituale fuerit redacta (licet in praxi contrarium servetur) sed veteri etiam jure Gubernator Urbis eadem Jurisdictione præpollebat, ut patet ex Ulpiano *in l. 1. ff. de Offic. Præfecti Urbis*, ibi: *Omnia omnino Crimina Præfect. Urbis sibi vindicavit, nec tantum ea, quæ intra Urbem admittuntur, verum etiam ea, quæ extra Urbem, & §. Initio 4. ejusdem Textus*, ibi: *Sed si quid extra centesimum Milliarium admissum sit, ad Præfectum Urbis pertinet*; idemque habetur *in l. omnia, Cod. eodem*. Neque in discrimen revocari potest, Gubernatorem Urbis in locum antiqui Præfecti Urbani, qui Jus in Urbe dicebat, fuisse suffectum, ut firmat, cæteris omissis, Gravat. (a), qui ad examen revocando, an idem Gubernator Urbis antiquo Quæstori, vel Præfecto Urbano sit comparandus, allegando auctoritatem Bolognetti, & reiiciendo opinionem Purpurati, ita de Gubernatore Urbis loquitur: *Quam-*

(a) *In suis adnotat. ad Vestrium in Praxi Rom. Judiciorum tit. de Guber. Urbis cap. 5. fol. 30. num. 9.*

Quamvis Præfecto Urbis Gubernatorem æquari posse auguror, & huic opinioni majorem in modum convenit, quod acc.ssimus Præceptor meus Bolognettus scribit in rubric. de Offic. ejus num.17., ubi etiam de Magistratibus Neapolitanis scribens magnum Justitiarium Præfecto Urbis æquiparat, qui nempe Magistratus cum Urbis Gubernatore affinitatem habet. Præfectum vero Urbis, quasi alteram ab Imperatore personam repræsentasse disertissime habetur in *l.1. Cod. de Præfect. Prætor. lib.12., & l.1.ff. de Offic. Præfect. Urb.*, & testantur *Cujacius* (*a*), *Bullenger.* (*b*), aliique communiter (*c*).

4. Amplissima hinc sunt privilegia eidem Gubernatori a Romanis Pontificibus, præcipue pro Causis Criminalibus, attributa, quamvisque usque a tempore Eugenii IV., & Sixti IV., qui Sæculo XV. Pontificatum gerebant, universali pene Jurisdictione idem fuerit decoratus, eam tamen magis ampliavit Julius II. in principio Sæculi XVI. per Constitutionem incipientem *Decet 35. Bullario novo tom. 3. part.3.*, ut testatur etiam *Scannarola* (*d*). Uberiores insuper facultates Gubernatori concessit Leo X. Julii II. Successor in Constitutione incipien. *Etsi, quæ est 9. in Bullario novo d. tom.3. p.3. fol.48.*, vigore cujus Gubernator Urbis potest ex solo Processu informativo ad reorum torturam, imo etiam ad condemnationem, sola facti veritate inspecta, &, ut inquiunt, ex informata conscientia procedere, denegatis, etiamsi ita circumstantiæ suadeant, defensionibus in vim facultatum eidem extra ordinem per Leonem X. in dicta Constitutione 5. §. 3. concessarum; cui quidem Constitutioni cohærentem extitisse in ejus Tribunali consuetudinem asseruit *Bajard.* (*e*), & ex eo inferunt *Guaz-*

(a) *In eodem tit.* (b) *De Imperio Rom.lib.3. cap.11.* (c) *Ottoman. de Magistratibus Romanis.* (d) *De Visit. Carcerat. lib.1. §.8. cap.1. n.1. ad 3.* (e) *Ad Clar. quæst.64. n.90.*

Guazzin. (*a*), *Lucatell.* (*b*), & licet contrarium, de hac consuetudine loquendo, affirmaverint *Farinacc.*(*c*), aliique, non solum tamen in atrocissimis, & adversus Notarios delinquentes, Diffamatos, Grassatores, & alios his similes vigere, prout olim quoque vigebat, teste *Ambrosin.* (*d*), sed etiam in omnibus, & quibuscumque Causis Furtorum indistincte experientia comprobamus, quamvis *Scannarol.* (*e*) servari dumtaxat debere consuetudinem hanc asseruerit, duobus concurrentibus, nempe Furtorum frequentia, & quod illud, pro quo Tortura inferri prætenditur, mereatur pœnam, quæ non sit minor, quam Triremium.

5. Quamvis insuper non soleat Gubernator procedere contra personas addictas servitio Papæ, vel alteri Judici subordinatas, imo ex vi novorum Privilegiorum, quæ Præposito Familiæ Pontificiæ, vel alteri Judici concessa dicuntur, a procedendo semper abstineat; ex vi tamen Privilegiorum enunciatorum posset etiam contra Palatinos, imo etiam contra Regulares Causas definire, ut literaliter dispositum se manifestat *in dicta Constitutione Leonis X. in* §.2. ibi; *Ac tam per te ipsum, ac per tuos Auditores, aut Locumtenentes exercentes vices tuas in eisdem; & tam in Civilibus, quam in Criminalibus, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus Causis, & aliis quibuscumque negociis, tam contra Cives Romanos, quam Forenses Ecclesiasticos, & Laicos, & Incolas, necnon Religiosos cujuscumque Ordinis, Status, gradus, conditionis, seu dignitatis existant, active, & passive, & tam in Palatio Apostolico, quam in Burgo S. Petri, ac in Castro nostro S. Angeli, necnon in Capitolio, quam alibi*. Et licet nihil videretur ulterius desiderandum pro amplitudine Jurisdictio-

(a) *Def.21. cap.1.n.2.* (b) *Judicial. inspect.5. n.48.* (c) *Cons. 103. num.5. & seq.* (d) *Proc. infor. lib.3. cap.1. n.14., & seqq.* (e) *De visitat. Carcerator. lib.1. cap.8. sect.2. n.24.*

nis in eadem *Leonina Constitutione* Gubernatori concessæ, signanter attentis effrænatissimis verbis *in* §. 4. ejusdem Constitutionis repetitis: *Et quæ Nos ipsi in omnibus, & singulis præmissis facere possemus*; tamen Successores Pontifices novas etiam specifice facultates addiderunt, præcipue vero Urbanus VIII. in Constitutione incipien. *Decet*, *quæ est* 93. *in Bullario antiquo*, ubi cumulativam facultatem cum omnibus Tribunalibus, quæ haberent privativam, in omnibus Causis Criminalibus eidem Gubernatori concessit; extantque ulterius in Archivio Gubernii Motus proprii, seu Chirographi Pontificii, in quibus antiquæ Constitutiones confirmantur, & renovantur, quos inter prætereundus non est Chirographus Innoc. X. relatus per Advocatum Lalli (a), qui alias extraordinarias Gubernatoris Urbis facultates recenset.

6. Ne tamen sub hujusmodi Privilegiorum prætextu Ministri, & Officiales Gubernii arbitrarie, & gratis extendant jura illa magis singularia, quæ personam Gubernatoris respiciunt, & ad Gubernatorem diriguntur, V. G., denegatis defensionibus in nonnullis casibus, constito tamen aliunde de delicto procedendi, aliaque hujusmodi exequendi; nequeunt hinc ab Officialibus Gubernii, sine expresso Gubernatoris mandato, Jura eadem exerceri ex Constitutione Pauli V.; Imo ne præpropere a Gubernatore ipso in hoc præsertim rerum genere damnandi reos procedatur, & ne nimis rei iidem prægraventur, plura requiruntur, ut Privilegiis cæteroquin sibi competentibus Gubernator utatur; In primis enim Decretum, quo tortura mandatur, fieri debet in Congregatione Gubernatoris, præsentibus, & votantibus illius Judicibus, & substitutis, nec licet possit, solet ad hujusmodi Decretum deveniri, nisi auditis Advocato, & Procuratoribus Pauperum, qui ex officio tenentur diligenter inspi-

(a) *In novissimo Tractatu de Reo Contumace discept.* 18. *n.* 3.

inspicere, & Processum ad instantiam Fisci constructum ad examen revocare. Secundò, requiritur, ut constet de corpore delicti. Tertio, ut concurrant indicia. Quarto, ut Testes sint examinati per Judicem ejusdem Tribunalis, utque per confrontationem legitimentur. Quinto, ut præcedat probatio diffamationis rei. Sexto, ut qualitas delicti sit gravissima. Septimo, ut reo nulla, aut debilis, & insubsistens defensio adsistere videatur, ut notavit inter alios *Scannarol.*(a).

7. Quæri solet, an Gubernator Urbis possit punire exteros, qui delictum extra Statum Ecclesiasticum commiserunt? Controversiam sanè hanc examinans *Farinacc.* (b), concludit, puniri pœna extraordinaria arbitrio hujus Judicis Exterum posse; Prout certum est a Gubernatore posse quemcumque Reum absque Processu, exilio, vel alia pecuniaria pœna, coerceri (c). Prætereundum vero non est, ultra Causas Criminales, & delicta reorum a Gubernatore coercenda, causas induciarum, quietis publicæ, & ruptæ pacis ad eumdem Gubernatorem spectare; prout etiam audire ipsum querelas vassallorum adversus Dominos suos, & Causas mercedum, easque summarie, &, ut inquiunt, manu regia decidere; unde est in his omnibus inter ipsum, & Senatorem Urbis præventio, ita tamen ut si concurrat Gubernator postquam Senator prævenerat, Senator præferatur, ut notat *Vestrius* (d); at si Causæ ad Gubernatoris Tribunal fuerint semel delatæ, nemo, præter Summum Pontificem, possit ad aliud Tribunal illas avocare, ut definivit Leo X. in dicta Constitutione incipien. *Etsi*. Qui plura desiderat, adeat Advocatum *Ferdinandum de Valentibus* (e), & *Card. Petram* (f).

(a) *Loc. cit.*, & *fol.* 82., & 83. (b) *Quæst.* 7. *n.* 12., & *in fin. vers. Ex his*. (c) *Scannarola de Visit. Carcerat. fol.* 115. *n.* 32.
(d) *Lib.* 2. *cap.* 5. (e) *Dissert.* 2. *dissertat. Fiscallum tom.* 3. *præcipue n.* 76. (f) *Constit. Apostolic. tom.* 4., *ad Const.* 1. *Urbani IV. n.* 10.

8. Duas insuper edidit Bened. XIV. Constitutiones pro Tribunali Gubernatoris Urbis, unam *sub die* 26. *Decembris* 1743., alteram sub *die* 22. *Maii* 1749., cum declaratoria *sub die* 7. *Novembris* 1749., quæ extant *tom*. 2. *ejus Bullarii*. In prima Pontifex in Tribunali Gubernii numerum Judicum, & Notariorum Criminalium cum certa eorum provisione præfixit; illisque onus adimplendi Commissiones extra Urbem solo lucro Cibariorum injunxit, Cibaria vero, & alias expensas deducendas ex certa summa a Camera persolvenda mandavit, ita ut quod superest inter ipsos Notarios dividatur, & Gubernator Urbis aliam summam pro remuneratione digniorum recipere debeat; celerem insuper damnatorum ad Triremes expeditionem Pontifex fieri jussit, annuumque certum stipendium ad hunc effectum Baroncello constituit; alios denique abusus circa capturas, & perquisitiones prohibuit. Ad hæc examen Inquisitorum infra triduum fieri voluit, & demum processuum contra contumaces conficiendorum formam præscripsit. In altera vero, seu in Motu proprio expedito sub citata, *die* 22. *Maii* 1749. amplissimas Gubernatoris facultates confirmavit; Duos eidem Sacræ Consultæ Ponentes Assessores adjunxit, certumque modum sive in receptione querelarum in genere, sive in Causis sanguinis, servandum adjecit, easdemque querelas in duabus Congregationibus cum interventu Gubernatoris, duorum Prælatorum Assessorum, Advocati, & Procuratorum Fisci, duorum Locumtenentium, & duodecim substitutorum, a Notariorum capite, referendas decrevit. Celerem adhæc damnatorum ad Triremes, ad formam præcedentis Constitutionis transmissionem sancivit; addito, quod Nomina, & Cognomina eorum locis publicis Urbis cum titulo delicti affigerentur, ut ad hanc diem fieri videmus, aliaque pro ordine in Criminalibus Causis retinendo provide jussit,

ut

ut fusius in eodem Motu proprio continetur; qui quidem methodum etiam, & formam in visitatione carcerum retinendam, & exequendam determinat, de qua visitatione carcerum amplior in titulo *de Congregatione Visitationis carcerum in Tract. Rom. Cur.* sermo redibit.

TITULUS VII.

De Auditore Cameræ.

POst Gubernatorem Urbis Rev. Cameræ Auditor succedit, qui nedum amplissima pollet jurisdictione in Causis Civilibus, ratione cujus duos habet Locumtenentes in Præsulum albo constitutos, alterumque Præsulem, qui suammet personam repræsentat, unde A.C. met, seu Auditor Cameralis met vocari solet, ut fusius *in dicto Tractatu Romanæ Curiæ sub hoc titulo* advertemus; verum etiam in Causis Criminalibus se ingerit; nam non tantum est appellationum Judex in Causis Ecclesiasticis ex universo orbe delatis, sed ordinarius etiam Judex existit in causis temporalibus cumulative cum aliis Judicibus Urbis, & Districtus, & indistincte procedere potest, sive contra Laicos, sive Ecclesiasticos delinquentes; imo amplissimam quoque facultatem habet recipiendi spontaneas constitutiones reorum, etiam in prima instantia, licet constituti subjecti essent Curiis Ordinariis Episcoporum, & Baronum, ut declaratum est *in Concilio Romano in appendic. de appellat.*, & confirmatum a Benedicto XIV. *in Constit. inferius citanda*. Verum hujusmodi spontanea constitutio debet fieri intra carceres formales, & ubi agitur de delicto pœnam corporalem promerente. Rursus Auditor Cameræ ad instar Gubernatoris Urbis duos habet Assessores Criminales in Præsulum albo pariter cooptatos, necnon A. C. met, & unum in Crimina-

minalibus Locumtenentem, qui uno Voto decisivo in Congregatione Criminali fruuntur; Eademque Criminalis Congregatio die lunæ bis in mense coram eodem Auditore Cameræ convocatur, juxta reformationem ejusdem Benedicti XIV., & non ultra quindecim dies protrahi potest, ex ejus Constitutione incipien. *Ad coercenda edit. de anno* 1753. 3. *Kalendas Octobris*, *quæ est* 40. *in Bull. tom*, 3., fierique debet cum interventu prædictorum, aliorumque substitutorum, quorum tres Numerarii habent votum consultivum tantum, Advocato, & Procuratore Pauperum, & Procuratore Fisci pariter intervenientibus; suumque demum idem Auditor retinet Satellitum Ducem cum familia armata ab aliorum Judicum familia dictincta.

2. Quamvis autem eidem Auditori Cameræ *Innocentius VIII. in* §. 3. *Constitutionis* 7. illimitatis verbis, facultatem concesserit inquirendi de Criminibus, excessibus, & delictis in Curia Romana, vel extra eam quomodocumque commissis per quoscumque, tam Officiales Sedis Apostolicæ, quam alios Romanam Curiam sequentes, cujuscumque dignitatis, Status, gradus, ordinis, vel conditionis existerent, & contra eos procedendi, repertosque culpabiles puniendi, juxta excessuum per eos perpetratorum circumstantias; Itemque Pius IV. *in* §. *XI. Constitutionis* 33., Sixtus V. *in* §. 12. *Constitutionis impress. post Sallust. Tiber. in prax. pag.* 525., & demum Paulus V. *in* §. 72. *Constitutionis* 7. statuerint, eumdem Auditorem Cameræ cognoscere posse de omnibus, & singulis Criminibus quantumcumque enormibus, tam in Urbe, & Curia Romana, quam extra eas perpetrandis per quoscumque, tam ejusdem Curiæ, & Sedis Apostolicæ Officiales, quam dictam Sedem sequentes, & alios etiam a Jurisdictione Ordinariorum exemptos, dictæque Sedi immediate subjectos, cujuscumque pariter forent gradus, & dignitatis: Tamen pro eo, quod spectat ad Causas Cri-

Criminales *Julius II.* ad Pontificatum evectus post Innocentium expresse declaravit *sub* §. 4. *suæ Constitutionis* 28., quod in Criminalibus esset locus præventioni inter ipsum Auditorem Cameræ, & Gubernatorem Urbis; unde mirum non est, si prædictarum omnium Constitutionum vigore hodiernis temporibus etiamsi ageretur de delicto pœna capitali expiando, adhuc Auditor Cameræ facultatem habet inquirendi, & condemnandi, & sic pluries ad pœnam sanguinis devenire consuevit. Porro præter Civiles, & Criminales Causas peculiari quodam Jure olim Auditor Cameræ in Causis illis sese ingerebat, quæ directe, vel indirecte ad Ærarium Principis spectant, quæ tamen cum *ex Constitutione* 100. Sixti V. a Thesaurario privative noscantur, superfluum est hic easdem attingere.

TITULUS VIII.

De Urbis Senatore.

QUamquam si oculos convertamus ad amplitudinem, splendorem, & vere singularem vetusti Romanæ Urbis Senatus majestatem, facile, planumque fit vix, ac ne vix quidem umbram illius ætate nostra superfuisse; Ut tamen Summi Pontifices illa saltem vestigia sæcularis Imperii, quod in Romana Republica olim extabat, postliminio quodam veluti revocarent, Senatum Romanum ex tribus hujus Urbis Nobilibus, quos *Conservatores* vocant, provide erexerunt, & Senatore tamquam eorum capite, & principe cum omnimoda Pontificis dependentia, & subordinatione. Hujus vero Senatoris Jurisdictio, & auctoritas, non solum amplissima fuit Cæsarum, & Imperatorum tempore, adeo ut in locum Præfecti Urbis ex plurimorum sententia successerit, qui vice sacra judicabat, ordinariamque Imperatorum facultatem, tamquam Gu-

Gubernator exercebat, ut teſtantur *Gothofred.*, aliique apud *Scannarol.* (*a*), & apud Fenzonium (*b*); verum etiam Supremo Urbis dominio in Summos Pontifices translato, æquali poteſtate Senatores gaviſos affirmat, ultra Auctores citatos, *Scaccia* (*c*). Sequuta vero Occidentalis Imperii mutatione, ſummaque illa, qua perfruebantur, poteſtate Senatoribus abutentibus, factionibuſque Magnatum, & Populi hinc illinc excitatis, e re duxerunt Summi Pontifices, certo veluti freno, eamdem circumſcribere, non ſolum Senatoris auctoritatem minuendo, & illius electionem Pontifici reſervando, ſed ad annum illius Gubernium redigendo, niſi aliud Pontifici videretur, quod præcipue contigit tempore Urbani IV. anno 1264., ut refert *Ciacconius* (*d*), & uberius exponitur in Conſtitutione *Nicolai III. incipien. Fundamenta Militantis Eccleſiæ*, quæ etiam reperitur in Decretalibus *in cap. fundamenta, de elect. in 6.* ibi: *Ut ergo circa regimen ipſum talis adhibeatur in omnibus cum diſcretione ſolertia, per quam ipſi Romanæ Eccleſiæ plena libertas, quæ in omnibus, & per omnia ſibi debetur, optata proveniat, vitentur jam experta pericula, & Romanus Populus ab opprimentium protectus incurſionibus ſedeat, ſedendo quieſcat in pulcritudine pacis, in Tabernaculis fiduciæ, & temporalium requie opulenta*: & infra ibi: *Et qaotieſcumque Senatoris electio impoſterum imminebit, nullus Imperator, ſeu Rex Romanorum, aut alius Imperator, vel Rex, Princeps, Marchio, Dux, Comes, aut Baro, vel quicumque alterius notabilis præeminentiæ, Potentiæ, Excellentiæ, vel Dignitatis exiſtat, ad tempus, vel in perpetuum ultra annale ſpatium in Senatorem abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali per ipſius Sedis litteras conceſſionem licentiæ bujuſmodi ſpecialiter exprimentes aſſuma-*

(a) *De Viſit. Carcerator. lib.1. §. 9. cap. unic. ſect.1., num.12.*
(b) *Ad Statut. Urbis lib.1. cap.3.* (c) *De appellat. quæſt.16. ſim.4. n.1.* (d) *In ejus vita, tom.1., pag.713.*

matur &c. Hoc tamen non obstante, vetus Jurisdictio, & auctoritas, pro Causis tam Civilibus, quam Criminalibus, vel sarta tecta remansit, vel ab iisdem Summis Pontificibus fuit subinde Senatoribus ex integro data.

2. Instituti sane nostri ratio haud patitur, ut de Jurisdicti one illa Civili differamus, qua idem Senator perfruitur in Civilibus causis ad instar Auditoris Cameræ, de quo supra tractavimus, quique idcirco, ultra Auditorem, suos habet nobiliores Ministros, primum, nempe, & secundum Collateralem, Juris Consultos Togatos, & Capitaneum, ut dicunt, appellationum, ad quem in gradu recursus a Senatoris sententiis provocatur, quodque amplius est, cumulativa gaudet facultate judicandi, juxta ea, quæ latè exposuit *Card. de Luca* (a), *&* *Lucas Peti* in tract. *de Judiciaria Formula Fori Capitolini*, nosque etiam *in Tractatu Romana Curiæ* amplius exponemus. Sistendo igitur in Criminali jurisdictione, qua idem Senator pariter gaudet, certa res est, quod in ordine ad easdem Causas Criminales exemplo Auditoris Cameræ habetis Criminalem Jurisconsultum, qui judex maleficiorum dicitur a citato *Card. de Luca*; a præd. autem *Luca Peti* (b), *Locumtenens criminalis* vocatur, habetque diversum Satellitum Ducem, diversamque familiam, imo & carceres separatos, in quos Delinquentes conjiciat, licet eodem Advocato Pauperum,& Fisci a Principe pro Criminalibus negociis in genere assignatis, etiam Senator utatur. Utque maturius aliquæ Criminales causæ discutiantur, ad instar Vicarii, Gubernatoris Urbis, & Auditoris Cameræ, Congregatio Criminalis coram Senatore etiam habetur, cui ipso præside, interveniunt duo Collaterales, Judex maleficiorum, Fiscalis Capitolinus, aliique Ministri, necnon Pauperum advocatus, qui post Senatorem singulos alios præcedit, & Procurator pariter pauperum specialiter deputatus pro

(a) *In relat. Curiæ Rom. in hoc tit.* (b) *Cap. 1.*

Causis Criminalibus in hac Congregatione agitandis.

3. Et quoniam Jurisdictionis omnis acquisitio a concessione Roman. Pontif. pendet, in quos omnia Jura Populi Romani, ejusque Magistratuum fuerunt translata, ut inquit *Fagnan.* (*a*); hinc dubitari etiam non potest, quod pro Urbe, & Districtu ordinariam Jurisdictionem etiam pro Causis Criminalibus vigore concessionum Pontificiarum Senator Urbis valeat exercere, ut decernitur in *Constitutione Sixti IV.* relata apud *Fenzon.* (*b*), quæ est 13. prout etiam eruitur ex duabus Constitutionibus *Julii II.*, quæ exstant apud eumdem *Fenzon.* necnon ex aliis confirmatis a Paulo V. Constitutione, quæ est 71., concordatque plurium Sæculorum observantia, qua iidem Senatores ex quocumque delicto legitimare Processus per confrontationem, decernere torturam, denegatis etiam defensionibus punire, omnibusque illis uti facultatibus consueverunt, quæ Gubernatori Urbis a Leone X. concessæ reperiuntur in Constitutione, quæ est in Bullario novo 9. *tom.*3., quasque nos supra tetigimus, cum de Gubernatore Urbis ageremus. Imo, ultra disertas easdem Constitutiones Apostolicas, sæpissime, juxta casuum circumstantias, iidem Summi Pontifices concesserunt iisdem Senatoribus peculiares facultates, vel mediis Chirographis, vel per literas in forma Brevis, vel aliis similibus modis benevisis, ut testantur prædictus *Fenzon.* olim Urbis Senator (*c*), *Farinac.* (*d*), & *Scaccia* (*e*). Mirum autem esse non debet, si non attentis præfatis Constitutionibus, & Privilegiis, solum Civiles controversiæ levioris momenti in ejus Foro discutiuntur, gravioribus excessibus Tribunali Gubernii reservatis, ut debita pœna puniantur; id enim non ad defectum Potestatis coercitivæ, sed ad majorem Ministrorum nume-

me-

(a) *In cap. Perniciosa 39. de Offic. Ordinarii.* (b) *Post tract. ad Statut. Urb.* (c) *Ad Statut. Urbis lib.1. cap. 3. num.11.* (d) *Quæst.81. n.373.* (e) *De Judic. lib.1. cap.24. n.9.*

merum, copiamque uberiorem Familiæ armatæ referendum eſt Gubernatori Urbis concreditam, ac deſtinatam, qui præſumitur idcirco, & melius inquirere poſſe, & proniores porrigere manus, ut Juſtitia quantocyus executioni mandetur. Verum cum ultra quatuor Ordinarios Judices jam explicatos, ab aliis etiam coercitiva Juriſdictio etiam extra Urbem, ejuſque Diſtrictum, & in propriis reſpective locis exerceatur, præſertim vero per Epiſcopos, alioſque Ordinarios, ad hos eſt, ut promiſimus, tranſeundum.

TITULUS IX.

De Epiſcopis, aliiſque Ordinariis.

VErba ſane illa (a) ad omnes indiſtincte Eccleſiæ Prælatos directa: *Attendite vobis, & univerſo Gregi &c.*, non ſolum important facultates Diœceſim, vel Provinciam viſitandi, leges edendi, aliaſque ſimiles Epiſcopis omnibus, aliiſque Ordinariis competentes, quæ fuſius exponuntur *in Jure Canonico* (b), ſed æquali evidentia præſeferunt poteſtatem coercitivam, ſeu merum, & mixtum Imperium, quod in Delinquentium condemnatione, & punitione exercetur. Nemo enim non videt, quod vix, ac ne vix quidem concredito ſibi Gregi attendere poſſent Prælati, niſi reluctantes, & obedire renuentes legibus ſuis poſſent corporalibus pœnis ad obſervantiam Legum adſtringere, ut tali etiam exemplo alii perciti ad exactam, debitamque obedientiam inducantur, ut bene ratiocinantur *Bald.* (c), Petrus Barboſa (d), Sotus (e), & Marta (f), a quibus veritas hæc qnamplurimis momentis comprobatur.

 2. In-

(a) *Actor.20.* (b) *Sub titulo de Epiſcopis.* (c) *In l. non ſaltem §.fin.ff.de offic.Præfect.Vigil.* (d) *In l.2.art.5.n.33.* (e) *De Judice, de juſt., & jur. art.8. quæſt.2. verſic.ad ter,* (f) *De juriſdict. part.2. cap.29.n.5. & ſeqq.*

2. Inter alias vero auctoritates idipsum suadentes exuberat profecto *Textus in Cap. de offic. Ordinar.*, ubi diserte legitur, amplissimam potestatem Ordinariis collatam fuisse puniendi Delinquentes omnes eorum Diœcesum, idque provide confirmatum est a Concilio Tridentino *sess.25. cap.3. de reformat.*, ubi loquens de Episcopis, & de personarum, seu pignorum captione agens, per proprios, aut alienos Executores ab Episcopis id fieri posse decrevit. Ampliaturque hæc potestas Ordinariorum, ut ex vi coercitivæ hujus potestatis permissum iisdem sit ad conficiendos processus, Commissarios, eorumque Delegatos deputare, ut plene probant Anctores relati *per Setam* (*a*), & in praxi ita servari quotidie testatur Raynald. (*b*). Ulterius extenditur eadem facultas in terminis Laicorum, si de delictis Ecclesiastici, vel mixti Fori tractetur, de quibus in sua sede (*c*) differemus; in istis quippe delictis certa plane res est, etiam Laicos posse in carceres ab Ordinariis detrudi, debitisque pœnis damnari, ut *post text. in Cap. cum Episcopus, de Offic. Ordinar. in 6.*, advertunt *Villalobos* (*d*), & Barbosa (*e*). Idque intelligitur absque ulla necessitate recurrendi ad potestatem Laicam pro adjutorio, cum si necessitas ista admitteretur, supponenda necessario foret summa imperfectio in potestate Episcoporum, & Ordinariorum, & saltem indirecte auferretur, seu etiam destrueretur potestas spiritualis, quæ quoties ab altero, nempe a potestate Laica, dependere deberet, ut executioni demandaretur, imperfecta jam foret, & elusoria contra omnia Juris principia remaneret.

3. Quin obstet præcipuum illud objectum ab iis, qui Laicorum præsertim auctoritatem extendere, Ecclesiæ

(a) *De offic. Locumtenentis cap. 7. n. 17.* (b) *Observ. Crimin. tom 3. c. 32. §. 4., & 5. n. 29. & seqq. relat. a Set. ibidem.* (c) *In secundo libro Institutionum Criminalium.* (d) *De hæret. quæst. 11. n. 17.* (e) *August. de potestate Episcopi allegat. 107. n. 8.*

clesiæ vero potestatem minuere, & labefactare conantur, proferri solitum, quod Laici non sint Episcopis subjecti; id enim verificari ad summum potest de subjectione illa, quæ oritur ratione personarum, non vero ratione delictorum, ut opportune animadvertitur *in Cap. cum sit generale, & in Cap. conquestus, de for. competen.*, exploratum autem est, quod qualitas delicti competentiam, & jurisdictionem inducit (*a*).

4. Ampliatur insuper eadem Ordinariorum potestas, ut possint Episcopi, aliique Ordinarii Fiscum retinere non solum id intelligendo *pro Episcopali Ærario*, prout hujusmodi nomen usurpatur *a Gloss. in rub. Cod. de Jur. Fisci, & alibi sæpissime*, sed ulterius, vel pro deputatione loci, v. g. Cancellariæ, in qua Processus conficiantur, vel pro depntatione personæ, ad quam pœnæ pecuniariæ Clericorum pertineant, ut deinde in usus pios applicentur, de quo quidem Fisco expresse agitur *in Cap. Excommunicamus* §.1. *de hæret.*, *& in Cap. Quia diversitatem, de concessione præbendæ*, cum aliis Juribus, quæ consulto hic prætermittimus.

5. Ampliatur postremo eadem potestas, non solum, ut pœna carcerum, sed ut exilio, triremibus, imo etiam pœna mortis possint delinquentes (quidquid alii contrarium existiment) coercere ex late animadversis *a Mart.* (*b*), dummodo tamen si Delinquens mortis supplicio, seu membri mutilatione dignus videatur, tunc ejus loco, quia Ecclesia a sanguine abstinet, & quia præscindendo a Jure, quod habet Ecclesia, non decet aliquem per eam morte damnari, vel pœna perpetui carceris subrogetur, vel Curiæ sæculari tradatur, ut pœnas subeat per Leges Civiles impositas, ut firmat *Covarruv.* (*c*)

6. Cæ-

(a) *L. more majorum ff. de Jurisd. omn. Judic.* (b) *De Jurisdict. part.1. cap. 50. n.5. & seqq.* (c) *Varior. resolut. lib.1. cap.10. n.7.*

6. Cæterum, quamvis certa res undique sit, posse Episcopos, aliosque Ordinarios ex vi eorum auctoritatis etiam ad censuras procedere, quod nemo etiam Ecclesiasticæ Jurisdictioni infensus in discrimen redigere ausus est, antequam tamen ad spirituales istas pœnas deveniant, ad executionem realem, vel personalem debent devenire, juxta monitum *Trident. sess. 25. de reform. cap. 33.*, ne alias pœnæ istæ gravissimæ injusta quadam festinatione, & præcipitantia proferantur, ultimusque Ecclesiæ ensis nimia facilitate vilescat, ut cæteris omissis, docet *Suarez* (a), nosque etiam alibi, nempe *in quarto Libro harum Criminalium Institutionum* notabimus.

TITULUS X.

De Gubernatoribus Localibus.

DEbita profecto Reipublicæ sollicitudo, & vigilantia, Imperiique spiritualis a temporali discrimen exigit, ut quemadmodum Episcopis, aliisque Ordinariis spiritualium, & Ecclesiasticarum Causarum cognitio demandatur, & quidem, non solum pro Foro Civili, sed etiam pro Criminali, ut, tam Clerici indistincte, quam Laici in delictis, quæ ratione materiæ privative, aut cumulative ad Judicem Ecclesiasticum pertinent, ab iisdem Ordinariis coerceantur; Ita etiam Laici Judices, seu Civitatum Gubernatores deputentur, qui Civilibus Laicorum Causis præsint, eorumdemque crimina, quæ reservata non sint Foro Ecclesiastico, puniant; unde cum Episcopis in exercitio Criminalis potestatis Gubernatores succedant, vel cum iis cumulative aliquando concurrant, de his nunc pertractamus.

2. In-

(a) *De Censuris disp. 4. n. 4.*

2. Inter præcipuas igitur partes Gubernatoris ea recensetur, ut absque personarum acceptione, & delectu unicuique suum Jus impertiatur, ut supra de Judice in genere animadvertimus, unde præclare de Gubernatore loquutus est, cæteris omissis, *Plato (a)*: *Vir*, inquit, *sapiens, bonusque gubernabit semper, ita ad subditorum salutem respiciens, ut ad nautarum salutem navis respicit Gubernator*: Opportuneque hinc ajebat *D. Thomas (b)*: *Gubernandi munus aliquibus a Deo commissum extitisse, non quidem, ut propria lucra quærant, sed ut communem populi utilitatem procurent*.

3. Præstantissimum sane est, atque undique eximium munus Gubernatoris, atque iis committendum, qui prudentia præcipue, rerumque agendarum peritia præpollent; quamvisque in genere, qui ad gubernium assumuntur, nunc Prætores, nunc Capitanei, nunc Potestates, nunc Judices, nunc Correctores vocari consueverint, frequentiori tamen usu, iidem Præsides in Statu Ecclesiastico constituti *Gubernatores* dicuntur, ut advertit *Card. de Luca (c)*, iique plerumque in eodem Statu Ecclesiastico inter Præsules sunt cooptati.

4. Cum autem isti Gubernatores vices Principis agant, eidemque undique subordinentur, non solum idcirco tenentur ad Sacram Consultam, de qua infra, Processus illos transmittere, quos contra Delinquentes confecerint, sed & eligere sibi debent Locumtenentem, Jurisconsultum, scilicet Togatum, cujus doctrina, & experientia in gubernio subleventur; atque is quidem Locumtenens unum, idemque Tribunal cum Gubernatore constituit ad instar Vicarii Generalis cum Episcopo, ut notat *Scaccia (d)*; & quamvis absente Gubernatore, administratio Civitatis, & cognitio negocio-

(a) *In lib. 1. Politic.* (b) *In opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ.* (c) *De Judiciis discurs. 3. n. 4.* (d) *De appellat. p. 1. quæst. 8. art. 6. n. 130. vers. declarat. 1.*

gociorum Gubernii ad ipſum Locumtenentem pleno jure pertineat, ut notat *Sanfelicius* (*a*), ſi tamen pro Cauſis Criminalibus fuerit conſtitutus, nonniſi incidenter poteſt Civilia negocia cognoſcere, ut advertit *Farinaccius* (*b*).

5. Cæterum in caſu mortis, aut remotionis Prælati Gubernatoris uſque ad novam proviſionem in Officio, idem Locumtenens continuat (*c*), tum ne abſque Præſide Civitas, aut Provincia remaneat contra cenſuram *Text. in l. Nemini ff. de Off. Proconſul.*, tum etiam, quia regulariter ſubſtitutio morte ſubſtituentis minime expirat, & idcirco Locumtenentis Officium uſque ad novam Gubernatoris creationem perſeverat (*d*); extatque in hanc rem Conſtitutio Benedicti XIV. incipiens *Ad Populorum*, *edita Kalendis Aprilis* 1745., *quæ eſt in Bullario Tom.*2., ubi etiam decernitur, quod ſi Gubernator inferioris ordinis, aut Viceſgerens per Apoſtolicas litteras *in forma Brevis* deputatus deceſſerit, Procurator Fiſcalis actualis ejuſdem Gubernii Miniſter ſuccedere debeat, aliaque pro vacantia Gubernii in diverſis caſibus ſervanda, in eadem Conſtitutione provide ſtatuuntur.

6. Licet autem Locumtenens a Gubernatore dependeat, nequit tamen a Gubernatore Locumtenentis juriſdictio ſine cauſa legitima ſcindi (*e*); Maximeque curare debet Gubernator, ut non originarium, ſed extraneum in Locumtenentem aſſumat, ne alias eligendo originarium amicitiæ, vel inimicitiæ facile exortæ ab adminiſtratione Juſtitiæ eumdem abducant, ut advertit *Seta* (*f*); quod etiam pro deputatione Vicarii Generalis ab Epiſcopis facienda, *in Concilio Romano*

(a) *Deciſ.* 362. *per tot. lib.* 3. (b) *Conſil.* 4. *n.*48., *conſil.*40. *n.*58., & *conſil.*69. *n.*3. (c) *Citat. Sanſelic. dec.*362. (d) *Ad Text. in cap. ſi Delegat. de Officio*, & *poteſt. Jud. Delegat. in* 6. *Boer. deciſ.*144. *num.*14. (e) *Novar. de Gravam. Vaſſallor. tom.*1. *gravam.*202. *Seta de Offic. Locumtenentis cap.*2. *n.*7. (f) *De Offic. Locumtenentis cap.*1. *n.*7.

mano (*a*) ſub Benedicto XIII. cautum eſt, ut ſcilicet non niſi in extraneorum defectu originarios, & domiciliarios in Vicarios Epiſcopi aſſumant. Verum cum, non ſolum a Pontifice pro Civitatibus, aut Provinciis Status Eccleſiaſtici, ſed etiam a Baronibus pro ſuis reſpective Feudis Juriſconſulti togati in Gubernatores eligantur, & deputentur, non incongrue hinc de Baronibus pertractamus.

TITULUS XI.

De Poteſtate Baronum in Criminalibus.

QUamvis exiſtere Baronia, & dari Feudum poſſit abſque Criminali Juriſdictione, neque repugnet a duobus, pluribuſve Baronibus in eodem feudo juriſdictionem eamdem poſſe exerceri, quorum unus privative Civiles, alter vero Criminales cauſas cognoſcat, ut advertit *Card. de Luca* (*b*); plerumque tamen, & regulariter loquendo, Barones ex Principum beneficio, atque in ditione Eccleſiaſtica ex Indulto Pontificum, mero, & mixto Imperio fruuntur: ideoque, non ſolum Civiles Vaſſallorum Cauſæ in prima inſtantia ad ipſos devolvuntur, & ſpectant, verum etiam cum juxta leges Inveſtiturarum ordinarii eorumdem Vaſſallorum Judices deputentur, etiam in Criminalibus Cauſis ſe libere ingerunt, unde merito aliqua de Criminali Baronum poteſtate ſunt proferenda.

2. Ex vi igitur ordinariæ Juriſdictionis, qua Barones perfruuntur, non ſolum pœnas, mulctaſque indicunt, ſed carceres ad Reorum cuſtodiam, vel punitionem, imo carcerum quoque cuſtodes, militeſque armatos cum eorum Ducibus habent, ut notat *Clarus* (*c*); Et ulterius poſſunt reorum bona proſcribere,

(a) *Tit. 8. cap. 2.* (b) *De Juriſdict. diſc. 1. n. 4.* (c) *§. Fin. quæſt. 46.*

bere, ſeu, ut inquiunt, confiſcare, Vaſſallos remigio damnare, & in delictis illis, quæ tranſactionem admittunt, tranſigere, atque componere, ut notat Maſtrill. (*a*).

3. Id tamen limitatur, & fallit in delictis atrocioribus, in quibus, vel Majeſtas Supremorum Principum, vel ſalus publica læditur, in iſtis enim debet Oraculum Principis a Baronibus exigi, ac expectari, cum delicta iſta atrociora, eorumque cognitio Supremo Principi reſervata intelligatur, adeo quidem ut in generali quavis Juriſdictionis conceſſione, iſta non intelligatur indulta, cum nunquam in generali facultate comprehenſa intelligantur ea, quæ ſpecialem mentionem deſiderant, ut in puncto advertit *De Francb.* (*b*). Limitatur ulterius in delictis, in quibus ob facultatem cumulativam præventioni ſit locus, ſi enim Baro fuerit ab alio Judice forte præventus, in criminali cauſa ſe immiſcere nequibit, ut notat *cit. de Francb.* (*c*). Ad hæc non poſſunt Barones in Criminali cauſa tranſigere, niſi intereſſe habentium conſenſus accedat; neque itidem poſſunt, poſt latam a Judice ſententiam, pœnas commutare, quod ſoli Supremo Principi reſervatur; Et ſicuti prolata ſententia, quiſque Judex, utpote ſuo officio functus, quavis facultate deſtituitur, *ad Textum in l. Judex 55. ff. de re judicata*; ita nequit alter, niſi in gradu appellationis, eamdem revocare, ut fuſius advertimus in Inſtitutionibus Canonicis (*d*). Præterea nequeunt Barones Criminalem Cauſam cognoſcere, ſi iidem ex capite inimicitiæ fuerint allegati ſuſpecti (*e*); aut ſi agatur de injuriis ſibi, vel ſuis, vel Officialibus ſuæ Curiæ irrogatis, ne alias in propria Cauſa judicent (*f*). Idemque eſt affirmandum, ſi Baro excommunicatione ſit irretitus, ut ad-

(a) *De Magiſtrat. lib.4. cap.6.* (b) *Deciſ.275.* (c) *Deciſ.142.* (d) *Sub tit. de appellationibus.* (e) Cancerius *variar. reſolut. cap.13.* (f) Maſtrill. *de Magiſtr. lib.4. cap.16.*

ut advertitur in Jure Canonico (*a*), vel ſi Vaſſallus deliquerit in Curia Supremi Principis, quo quidem caſu ipſius Supremi Principis majeſtatem læſiſſe cenſetur, a quo idcirco eſt judicandus (*b*); & demum ſi Reus ad Supremum Principem provocaverit; vel ſi in carceribus curiæ Principis ſe conſtituerit, ut advertit *Card. de Luc.* (*c*).

4. Acerrima ſane fuit controverſia, quæ ab eodem *Card. de Luca* (*d*) diſcutitur, an ſcilicet rei Curiarum Baronalium Ditionis Pontificiæ coram Principe ſponte comparentes in Tribunali A. C., ſeſeque intra carceres conſtituentes, de qua quidem ſpontanea conſtitutione ſupra (*e*) tractavimus, an inquam ſint a Principe audiendi, vel petentibus Baronibus ad eos ſint remittendi, & ſaltem an id agere oporteat in bannitis *intra annum* a contumaciali ſententia earumdem Curiarum appellantibus, ſeſeque iiſdem carceribus Urbis intra idem tempus conſtituentibus? Hæc autem controverſia, quæ diu in ſuſpenſo remanſerat, tandem ſub Clemente XII. a.1736. fuit contra Barones definita viviſſimis ſane, atque urgentiſſimis juris momentis; primo enim loco inter modos legitimos, quibus cauſæ etiam in prima Inſtantia ad Principem devolvuntur, ſpontanea reorum Conſtitutio intra formales carceres coram eodem Principe, ejuſque Tribunali A. C. acta recenſetur, ut teſtatur *Raynald.* (*f*), eaque ratio ſi in terminis Ordinariorum, ſeu reorum Curiarum Epiſcopalium admiſſa eſt a Benedicto XIII. pro Cauſis Criminalibus, in quibus de pœnis corporalibus agitur, ut nempe ſe intra carceres Urbis conſtituentes, ſint ab A. C. judicandi, neque ad eoſdem Epiſcopos remittendi, ut patet ex Decreto ejuſdem Benedicti *poſt*

(a) *Inſtit. de Sent. Excommunicationis.* (b) *De Franch. dec.* 129.
(c) *De Juriſdict. diſcurſ.* 88. *per tot.* (d) *Dict. diſcurſ.* 88.
(e) *In tit. de Auditore Cameræ.* (f) *Obſervat. Crimin. in proœmio* §. 10. *num.* 21. *& ſeq.*

Concil. Rom. in appendic. fol. 286. & ſupra de Auditore Cameræ agentes innuimus, eo ſane fortius id locum ſibi debet adſciſcere in reis Curiarum Baronalium, cum non a jure communi, ut accidit in Epiſcopis, ſed ex privilegio, ſeu inveſtitura Pontificis Baronum Juriſdictio deſcendat, ut advertit *citatus Card. de Luca (a)*.

5. Et indubitantius, quia Summus Pontifex abdicare a ſe videretur ſupremam illam poteſtatem, quæ Principem facit, ſi teneretur remittere ab Barones reos coram ſe conſtitutos pro delictis intra ſuum Statum, vel Provincias commiſſis, ut in terminis advertunt *Decian. (b)*, *Guazzinus (c)*, aliique communiter. Hiſque omnibus accedit, quod cum ſpontanea comparitio, ſeu conſtitutio in carceribus re ipſa ſuſpicionem Curiæ Baronalis importet, cumque ex opinione a nemine contradicta nequeant Barones prætendere cognitionem cauſarum Vaſſallorum, quando ſuſpicio contra eoſdem Barones concurrit, ut ſupra tetigimus, & advertit etiam *Roſental. (d)*, inde ſequitur, a Baronibus prætendi non poſſe reorum remiſſionem, ſi in carceribus Urbis conſtituantur.

6. Id vero potiori quodam jure locum ſibi vindicare debet in terminis Bannitorum, qui per Curias inferiores in contumaciam damnati *intra annum* in iiſdem carceribus Urbis ſeſe conſtituunt; ultra enim juris communis diſpoſitionem, ſuffragantur ipſis Bannitis *Conſtitutiones Pii IV.*, & *S. Pii V.*, in quibus diſerte optio libera datur Bannitis, vel in Curia Baronali, vel in Curia generali Provinciæ ſe defendendi, & quidem, vel intra ſex menſes, ut decreverat *Pius IV.*, vel intra annum, ut *S. Pius V.* ampliavit. Niſi autem dicere velimus, Præſidem Provinciæ majori auctoritate potiri, quam Summus Pontifex habeat, aut quod ipſi

(a) *De Juriſdict. diſcurſ. 53. n. 5.* (b) *Tract. Crim. lib. 4. cap. 19. num. 1. tom. 1.* (c) *Ad defenſam reorum defenſ. 1. cap. 27. n. 26.* (d) *De Feud. cap. 12. concluſ. 4. n. 60. ad 66.*

ipsi Pontifices *Pius IV.*, *& S. Pius V.* admittendo recursum ad Præsidem Provinciæ propriam, supremamque Curiam excludere voluerint, asserere hinc necesse est, Bannitos ita se constituentes in carceribus Curiæ intra annum non esse ad Curias Baronales remittendos, ut, cæteris omissis, concludit *Guazzinus* (*a*), & revera, ut præmisimus, sub *Clemente XII.*, prævio disertissimo voto Stephani Mocci Locumtenentis Criminalis Auditoris Cameræ, fuit ita definitum.

7. Altera quidem quæstio agitata fuit in Signatura Gratiæ, mense Septembris anni 1746. super jure Baronum in Causis Criminalibus coram *Benedicto XIV.*, an scilicet Barones Urbis, & Status Ecclesiastici procedere possint ad pœnam extraordinariam, etiam triremium in Reos carceribus mancipatos, qui urgentibus indiciis, ultra torturam gravati reperiantur; in quo quidem dubio duæ inter se contrariæ afferebantur DD. opiniones: prima illorum, qui putant posse Judicem indiscriminatim condemnare Reum, omissa tortura, in pœnam extraordinariam corporis afflictivam, si pœna isthæc par sit delicto, & indiciis respondeat: altera vero affirmantium, hanc potestatem competere solum Majoribus, ac Supremis Magistratibus, non Judicibus ordinariis, qui dumtaxat possunt infligere pœnam extraordinariam mitiorem, pecuniariam scilicet, vel exilii, & ictuum funis; quam quidem postremam sententiam amplexi sunt *Farinacc.* (*b*), nonnullique alii illum sequuti. Verum, cum in Jure magis fundata visa sit prima sententia, quæ docet, ubi agitur de gravibus delictis, quorum pœna ordinaria est ultimum supplicium, si adsint urgentia indicia, ultra torturam, in arbitrio Judicis esse, Reum negativum torquere, vel ad pœnam extraordinariam, triremium, vel aliam corporis afflictivam eum condemna-

(a) *Dicta defens. 1. cap. 14. n. 16.* (b) *De Reor. confess. quæst. 86. n. 117. & seq.*

demnare, ut constanter firmat *Barbosa* (a), qui dicit, hanc sententiam esse veriorem, & in judicando amplectendam; hinc merito in dicta Signatura Gratiæ verior hæc, & communior sententia eo fortius recepta est pro Baronibus Urbis, quos a tempore fere immemorabili hac potestate in eorum Feudis usos fuisse non dubitatur, ut scilicet concurrentibus indiciis, ultra torturam, Reos negativos in pœnam extraordinariam corporis afflictivam condemnare consueverint, ut probatur, tum ex longa serie hujusmodi condemnationum ab anno 1617. usque ad annum 1746. a Curiis Baronalibus libere actarum, tum etiam ex publica voce, & fama, cujus amplissima documenta, occasione hujus Causæ, fuerunt deducta.

8. Huic autem consuetudini nullum jus resistere visum est, nulla enim adest lex, nulla Principis Constitutio, quæ Baronibus prohibeat, ne ex vehementibus, ultra torturam, indiciis Reos in pœnam extraordinariam condemnent. Jura vero, quæ in contrarium adduci possent, & fuerunt occasione hujus Causæ prolata, vel loquuntur de pœna capitali, & ordinaria, qua coerceri certe nequit Reus, nisi confessus, vel invincibili probatione convictus, & in his terminis loquitur *Text. in l. qui sententiam* 16. *Cod. de pœnis*, qui obtrudebatur; vel agunt de Reis non condemnandis ex meris suspicionibus, ut est alter *Text. in l. absentem* 5. *ff. de pœnis*.

9. Distinctio tandem, quæ fit a DD. inter Magistratus Supremos, & Judices Ordinarios, minime respicit pœnas extraordinarias ex indiciis infligendas, sed potius in hoc discrimen inter supremos, & inferiores Magistratus ad hunc effectum versatur, quod Magistratus Majores, ac Supremi possunt quandoque ex vehementissimis indiciis Reum condemnare in pœnam ordinariam, quod Baronibus, aliisque Judicibus mini-

(a) *In 1. parte lib. 2. in princip. ff. soluto matrim.*

minime licet (nisi jus sanguinis habeant, quo quidem casu in Statu Ecclesiastico sententiam inconsulto Pontifice executioni committere nequeunt) quin tamen iidem Barones liberam potestatem exercere non valeant ex iisdem gravibus indiciis Reos condemnandi pœna extraordinaria, non tantum pecuniaria, & exilii, verum etiam corporali, si ita criminis gravitas postulabit, ut distinguit *Carena* (*a*).

10. Quibus omnibus, aliisque rationum momentis, prælaudatus *Benedictus XIV.* non minus provide, quam juste decrevit, jus esse, & fuisse Baronibus Urbis, & Status Ecclesiastici procedendi ad condemnationem Reorum ex indiciis, ultra torturam, in pœnam extraordinariam, etiam triremium operis publici, vel deportationis. Illud vero pro coronide hujus Tituli non est prætereundum, quod nempe non solum lata mortis sententia, ut innuimus, sed etiam triremium a Curia Baronali, consentanee ad Jus commune *in l. Divus Adrianus 6. ff. de Custodia Reorum*, a Tribunali Supremi Principis est causa revidenda, antequam executioni mandetur, ut justa recognoscatur, ut firmat, cæteris omissis, *De Rosa* (*b*); verum hujusmodi revisio in Urbe in praxi non est recepta quoad pœnam triremium, vel aliam exraordinariam, nisi Reo condemnato provocante ad Suprema Principis Tribunalia.

TITULUS XII.

De potestate Prælatorum Regularium in Criminalibus.

EO sane Jure, quo Episcopi, aliique Ordinarii ad gubernandum in spiritualibus commissum sibi gregem, & Gubernatores Laici ad regendos populos in propha-

(a) *De offic. Inquisition. p. 2. de sortileg. §.22. n.264.* (b) *In praxi Criminal. cap.12.*

prophanis, seu civilibus causis assumuntur, & prout Barones judicant in causis Vassallorum, Prælati etiam Regulares, de quibus amplissime egimus in Institutionibus Canonicis (*a*), quovis nomine, juxta varios Religionum stylos, eos appellare velimus, eligi debent, ut religiosas Familias, tam in Urbe, quam extra regant, atque gubernent, ne alias verificetur illud Proverbiorum: *Ubi non est Gubernator populus corruet*; imo Jurisdictio, & Potestas eorumdem Prælatorum ordinaria, & quasi Episcopalis in jure vocatur, ut eruitur *ex Cap. Abbatis, de privileg. in 6.*, eo enim ipso, quod Summi Pontifices Religiosos ab Ordinariorum jurisdictione exemerunt, illam Prælatis ipsorum concessisse censentur, ut advertunt *Suarez* (*b*), *Navarr.* (*c*), aliique communiter; unde merito in albo eorum, qui Criminali auctoritate præpollent, Prælatos Regulares reponimus, & accensemus.

2. Ista vero Prælatorum Regularium facultas, & Jurisdictio, non solum emicat in statuendis Legibus, quas pro Religionis gubernio expedire censuerint, sed in corrigendis etiam excessibus, quos contra juris Divini, vel Canonici, aut etiam contra regularem observantiam, quam in solemni Professione devoverunt, ab iis patrari contigerit; cum enim sint Rectores Subditorum suorum, ex hoc sane regendi munere coercitiva etiam potestas descendit, sine qua munus regendi non datur, ut notat, inter alios *Emm. Sà* (*d*). Ampliatur hæc eorumdem Prælatorum Regularium Jurisdictio, non solum pro pœnitentiis salutaribus, quæ a Constitutionibus Ordinum pro levibus delictis statuuntur, sed etiam pro corporalibus aliis pœnis, quæ eorumdem delictis respondeant, pro quarum tamen impositione, Processum præmittere, aliasque juris solemni-

(a) *Tit. ultim. libri primi.* (b) *Tom. 4. de Religion. tractat. 8. lib. 1. cap. 1.* (c) *Commentar. 2. de Regular. n. 63. & seqq.* (d) *In Summa verbo Correctio n. 2.*

lemnitates servare tenentur; quamvis enim Regularium Causæ sint summarie, de plano, & absque strepitu Judicii regulariter decidendæ, tum quia non præsumuntur regulares de apicibus Juris instructi, tum quia non debent ad instar sæcularium eorum causæ resolvi, ut dixit *Cajetan.* (a), adeout a Prælatorum regularium decretis, juxta varias Pontificum Constitutiones, non detur ex hoc capite appellatio; Quemadmodum tamen eædem Constitutiones Pontificiæ intelliguntur in terminis sententiarum, & decretorum, quæ gravamen, & damnum irreparabile non inferant, ut clare sancitur *in cap. ad nostram, cap. novit, cap. reprehensibilis, de appellat.*, ideoque possunt Regulares notabiliter gravati appellationis præsidio sua Jura tueri: ita possunt Prælati regulares, si id causæ gravitas postulet, prævia tamen accusatione, judiciali denunciatione, & in inquisitione procedere, deindeque juridice confecto processu, pœna exilii, vel etiam triremium regulares subditos condemnare, dummodo a pœna mortis abstineant, quæ a nullo Judice Ecclesiastico potest imponi, juxta *Text. in cap. cum non ab homine, de judic.* Neque ulterius prohibentur adhibere torturam, quæ ab aliis Judicibus pro enormibus delictis indicitur, cum id a nullo jure regularibus Prælatis interdicatur, ut notat *Silvester* (b), uniceque excepta causa Fidei, vel simili, quæ ad Tribunal S. Inquisitionis privative pertineat (in qua quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliisque arbitrariis, Prælati regulares se ingerere nequeunt, ut referendo Constitutionem Pauli V., quæ est 26. *tom.* 3. *Bullar.*, notat *Filiucc.* (c), consonatque Edictum S. Inquisitionis, quod refert *Peyrinus* (d)) in aliis omnibus controversiis in prima instantia privative, & libere judicant.

(a) 2. 2. *Quæst.* 70., *art.* 2. (b) *Verbo inquisitio* 2. *dict. quinta.*
(c) *Tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 8. (d) *Tom.* 2. *privileg. Minimorum Const.* 9. *Pauli V. n.* 27.

3. Utilius vero, & salubrius est remedium, incorrigibiles Religiosos ab Ordine ejiciendi, si ita criminum gravitas postulet, juxta *Text. in cap. fin. de Regular.*, *& in cap. cum ad Monasterium, de Statu Monachorum*; tali enim medio resecantur carnes putridæ, ne sanas corrumpant, ut advertit *S. Hieronymus* (a), dummodo tamen in hac incorrigibilium expulsione, accurate servetur Constitutio Urbani VIII., prævio decreto S. Congregationis Concilii edita die 21. Septembris 1624., quod nempe incorrigibilis non censeatur, nisi Religiosus, qui pluries monitus non destiterit gravia crimina patrare, & pœnitentiam indictam agere noluerit, ulteriusque per anni spatium in Claustralibus carceribus in jejunio, & pœnitentia probetur, elapsoque anno, si in pertinacia persistat, a Generali Ordinis cum consilio, seu suffragio graviorum Patrum, prævio necessario Processu, tandem expellatur. De hac tamen incorrigibilium ejectione amplius sermo redibit *in Tractatu Romanæ Curiæ in tit. de Congregatione Episcoporum, & Regularium*, ad quem Lectorem remittimus.

4. Supra diximus, quod si de gravamine irreparabili tractetur, debent Prælati Regulares se cum Jure communi conformare; unde nullitatis vitio laborabit Processus contra Regularem confectus, si Judex Regularis fuerit allegatus suspectus, & hoc non obstante, ad ulteriora processerit, sententiamque protulerit, ut in terminis Regularium advertit Pignatell. (b), qui etiam refert resolutionem Congreg. Episcoporum *in una Ordinis S. Augustini 22. Novembris 1616.* Idemque dicendum, si Religiosus, de cujus criminali Causa tractatur, citatus non fuerit, neque ad examen Testium, neque ad se defendendum præfixo congruo termino, neque ad sententiæ publicationem, ut post *Text.* *in*

(a) *In Epist. ad Galatas cap. 5.* (b) *Tom. 1. Consult. 85. n. 2. in fine.*

in Clement. Pastoralis in fin. de re judic., advertit, inter alios, *Panimoll.* (*a*), & in terminis Abbatum definivit Leo X. in Lateranensi Concilio, *Constitutione* 7., quæ incipit: *Suprema*, relata a *Cherubin.* (*b*); Multoque magis nullus, & undique infectus Processus pariter foret, si non fuerint præmissæ monitiones judiciales cum comminatione pœnæ, & præfixione trium terminorum, ut post *Decret. Trident. Sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* advertit, inter alios, *Thesaurus* (*c*); vel si Testes fuerint examinati, non eis delato prius legitimo Juramento veritatis dicendæ contra censuram *Text. in cap. Tuis, & cap. Nuper, de Testib.*; vel si iidem Testes non fuerint repetiti, quod etiam in Causis, in quibus proceditur de plano, &, ut inquiunt, more Belli, requiritur, ut advertit *Farinacc.* (*d*); vel demum si cum nimia præcipitantia fuerit Processus absolutus, & sententia desuper edita, quo quidem casu sustineri non posset, ex litterali *Text. in cap. Cum ex literis, de in integrum restit.*, ubi Innocentius III. reprehendit Eugenii sui Prædecessoris sententiam, ex quo fuerat lata in primo mense sui Pontificatus, sicque intra brevem illum terminum de meritis causæ non præsumebatur instructus, & in puncto Regularis ab Officio præpropere, & festinanter amoti notavit *Card. de Luc.* (*e*), & *Rota* (*f*).

5. Illud vero ultimo loco superaddendum arbitramur, quod scilicet, si Religiosus quomodolibet ad Congregationem Episcoporum, & Regularium, quæ præcipue ad recognoscenda Regularium gravamina fuit provide instituta cum amplissimis facultatibus contentis *in Constitutione* 74. *Sixti V.*, de qua amplior *in Tractatu Romanæ Curiæ* sermo redibit; si, inquam, Religiosus ad dictam Congregationem appellaret, nulliter

 age-

(a) *Decis.* 96. *annot.* 1. *n.* 8. (b) *In Compend. Bullar. tom.* 1. (c) *De pœnis Eccl. seu Canonicis part.* 2 *verbo Censura cap.* 2. *vers. Declarat.* (d) *De Test. quæst.* 63. *num.* 3. (e) *De Regul. disc.* 15. *n.* 26. (f) *Decis.* 507. *n.* 5. *p.* 4. *tom.* 1. *recent.*

ageret Religio Causam contra appellantem, non obtenta ejusdem Congregationis venia, prosequendo, tum quia saltem in obsequium debitum S. Sedi, ut inquiunt, supersedere, seu Causæ cognitionem suspendere debet juxta *Text. in cap. Novit, de Iudiciis, cap. dilectus de appellat., cap. licet, de Sententia Excommunicationis in 6.*, tum etiam quia licet Religiosis extra Ordinem causas agere interdicatur, tamen non extra, sed intra Ordinem agi causæ dicuntur, quando in eadem Congregatione examinantur, ut concludunt *Card. de Luca(a)*, & ex variis ejusdem Congregationis Decretis *Pignatell. (b)*. Nunc ad duas, quas attingendas Congregationes proposuimus, unam pro ditione Pontificia, nempe Sacram Consultam, alteram pro universo Orbe Catholico erectam, a quibus Crimina cognoscuntur, atque damnantur, gradum faciamus.

TITULUS XIII.

De Sacra Consulta.

SPirituali æque, ac temporali bono Subditorum suorum intenta Sedes Apostolica, quemadmodum per erectionem Congregationia Sacræ Inquisitionis, de qua inferius agetur, erroribus Fidei expurgatis, sanam, orthodoxamque Doctrinam in universo Orbe constabilire fategit; ita per institutionem alterius Congregationis, quæ *Consulta* dicitur, a Sixto V. pariter erectæ in alias cit. *Constitutione* 74. politicum, seu verius mixtum Subditorum commodum promovere, atque ampliare curavit; Nec immerito dixi, *politicum, seu mixtum*; Congregatio enim altera a Clemente VIII. Sixti Successore instituta est, quæ extinguendis debitis Com-

(a) *In relat. Curiæ Rom. discurs. 26. n. 28.* (b) *Tom. 10. consult. 35. per tot.*

Communitatum Ecclesiasticæ Ditionis, earumque redditibus adaugendis erecta est, quæque *Boni regiminis* dicitur, de qua nostrum non est hic pertractare, cùm extra sphæram Criminalis instituti sit Judices illos attingere, qui nusquam, aut raro, & nonnisi per accidens Criminalibus Judiciis se immiscent. Contra vero prætereunda non est Congregatio Consultæ, cujus præcipuum munus est pro Statu Ecclesiastico delicta coercere, violentias, vel a Baronibus vassallis inferendas impedire, vel a Judicibus subditis suis jam illatas damnare, formamque in Criminalibus Causis servandam in eodem Statu præscribere, contraventores puniendo, quæ omnia ad politicum, seu mixtum regimen rediguntur. Non se extendunt tamen ejusdem Congregationis facultates, vel ad Urbem, vel ad Legationes Pontificias, nisi in gradu recursus, vel alicujus casus particularis; quo occurrente Legatis per Secretarium Status scribi consuevit, cum de cætero satis, superque ejusdem Urbis tranquillitati videatur consultum per Gubernatorem de commissis intra Urbem delictis Summum Pontificem certiorem reddentem; æqualique jure satis videatur Legationibus esse provisum per Legatorum Pontificiorum præsentiam, & auctoritatem.

2. Olim sane octo, vel novem erant Præsules Sacram hanc Congregationem conflantes, nunc vero 12. sunt, iisque accedunt quatuor Assessores eodem gradu donati, quorum duo Gubernatori Urbis, duo Auditori Cameræ Adjutores deputantur, ut supra notavimus, licet quatuor isti assessores numquam Congregationi Consultationis interveniant. Inter præcipuas autem partes, quas explere debent duodecim Prælati Congregationem hanc cum aliquot Eminentissimis Cardinalibus componentes, quique dicuntur *Ponentes*, ex quo bis in hebdomada, duabus tantum vicibus anni exceptis, nempe feria 6. hebdomadæ Sanctæ, & feria 3. Bacchanalium, quibus eadem Congregatio vacat (indi-

(indiſtinctè enim quovis alio tempore, etiam Sedis vacantis, convocatur, eamque, ultra Prælatos, Fiſcalis Urbis Generalis, ac totius Status, aliique Officiales cum Secretario conſtituunt, qui reſolutiones in gravioribus cauſis a plena Congregatione captas vacante Sede Pontificia Cardinalibus Capitibus Ordinum refert) Eminentiſſimis Cardinalibus eidem Congregationi Præpoſitis Statum Cauſarum Provinciarum ſibi commiſſarum referunt, atque proponunt; Inter præcipuas, inquam, partes adſcribitur relatio Proceſſuum, ſeu Summariorum, quæ Gubernatores Locales tranſmiſerint, ut a S. Congregatione, vel approbentur ſententiæ contra reos a Curiis Provincialibus editæ, vel augendo, ſeu minuendo pœnam revocentur, vel ſaltem quævis altera proviſio capiatur; In quo tamen negocio ita procedi conſuevit, ut capta reſolutione, vel delinquentibus diverſorum reſpectivè locorum per Conſultam damnatis, executio ſententiæ Gubernatoribus localibus remittatur. Quod ſi Clericus aliquis fuerit in delicto ſocius, aut particeps, neque Cauſa dividi valeat, cum Tribunal Conſultæ ſit ex ſui inſtituto mere ſæculare, & Politicum, Congregationis Secretarius, aut Cardinalis Præfectus, qui ſolet eſſe Secretarius Status, plerumque obtinet Pontificias facultates procedendi etiam contra Clericum, ne alias ex diverſorum Judicum mutatione ſententia contra ſententiam facile oriatur.

3. Immo (quod plus eſt) eadem Conſulta, ſi de delicto atroci, & exemplari tractetur, obtenta venia a Pontifice per Congregationis Secretarium, ſolet etiam decernere alicujus rei capturam in loco ſacro faciendam, qua quidem facultate deficiente, Congregatio id decernere nequit, neque ullatenus in Clericorum Cauſis ſe ingerit, ut advertit Seta (a). Ne vero Summaria

(a) *De Officio Locumtenentis cap.* 10. *num.* 11.

maria Processuum, quæ a Gubernatoribus Localibus ad Ponentes transmittuntur, indigesta, & illegalia remaneant, plura requisita postulantur, ut advertit, inter alios, *Scannarol.* (*a*); primo nempe, quod eadem sint composita cum præcisis verbis substantialibus querelantium, testium, & reorum, juxta prolationem præcisam verborum, & non cum aliis verbis ad sensum ejus, qui Summaria confecit, 2., quod non fiat relatio unius Testis ad alium, quando plures sint Testes idem deponentes, sed extendatur in Summario depositio uniuscujusque Testis, ut comperiatur, an vere contestes existant; 3., quod non omittatur extendi in Summario depositio alicujus Testis, vel Correi, non obstante, quod ei, qui conficit Summarium, non videatur esse necessaria, 4; quod si quis ex Correis, aut Testibus fuisset relaxatus cum fidejussione, aut absolutus, aut condemnatus, explicite de hoc fiat mentio, & ponatur in Summario, ut supra, substantia suorum examinum, & Constitutorum, 5.; quod mittatur cum ipso Summario copia attestationum ex parte Fisci, & ex parte rei, etiam in informationibus offensivis productarum, & Judici licet sub manica, ut inquiunt, porrectarum; 6., quod notetur in Summario dies examinum rei, & cujuslibet testis; 7., quod in folio separato mittatur votum cum rationibus, ad obtinendam causæ resolutionem. Quæ quidem omnia id circo requiruntur, ut visis videndis, vel demandetur Processus impinguatio, vel complicum captura, aut tortura, vel deputetur defensor, vel pœna exilii, triremium, aut etiam mortis imponatur, aut imposita a Gubernatoribus Localibus minuatur, vel augeatur, prout circumstantiæ postulaverint.

4. Cæterum cum usus, seu verius abusus invaluisset, quod sæpe pro levibus delictis vix pœnam

(a) *De Visitatione Carceratorum in appendic.* §. 2. *cap.* 6. *a num.* 1. *ad* 7.

nam corporis afflictivam promerentibus, Commissarii mitterentur, cum summo cæteroquin aliorum detrimento, hoc etiam præjudicium removere sategit Sacra Consulta indistincte statuendo, quod iidem Commissarii, seu, ut barbare dicitur, *Cavalcate*, sub pœna restituendi viatica, aliisque arbitrariis, nonnisi pro sequentibus causis, & indiciis concurrentibus ad torturam mittantur, ut notat *Raynald.* (*a*); Primum scilicet, si commissum fuerit homicidium; 2. Vulnera in casu, quo adsit relatio Chirurgi certa cum periculo vitæ, non autem cum aliquo, vel sine periculo concepta; 3. Abortus; 4. Explosio sclopi cum dolo, & cæsione in personam cujus, seu in quem fuerit jactus; 5. Offensio Judici facta, vel satellitibus, aliisque Officialibus Curiæ, & executoribus cum vulnere, & cruore; 6. Seditio, & tumultus populi: 7. Tumultus, seu, ut inquiunt, turbativæ; 8. Conventiculæ hominum armatorum, concurrentibus requisitis Bannimentorum Generalium Status Ecclesiastici; 9. Oppositio, & resistentia contra executores Curiæ, dummodo sequatur eximitio alicujus capti; 10. Receptio Bannitorum, Sicariorum, & Facinorosorum; 11. Violatio mœnium alicujus castri; 12. Fractura pacis, & verbi dati; 13. Deturpatio januarum, & fenestrarum cum immunditiis, aut picturis infamibus, dummodo constet, id factum fuisse in domo honestæ personæ; 14. Incendium appensatum, & dolosum; 15. Falsificatio monetæ, & Bullarum Apostolicarum; 16. Sodomia; 17. Raptus, & deviatio cum effectu virginum, & mulierum honestarum; 18. Stuprum cum violentia, vel commissem in virginem minorem duodecim annis; 19. Osculum cum violentia publice datum mulieri honestæ, vel ingressus ad ejusdem domum violenter itidem factus; 20. Crassatio; 21. Furta qualificata; 22. Fractura, seu violatio viarum. 23. Vulnera illata cum

(a) *Cap.* 32. §. 4. & 5. n. 209.

cum furto, dummodo furtum ſcuta decem excedat; 24. Scalatio, ſeu ruptura domorum, & apothecarum, dummodo furtum ad eamdem ſummam ſcutorum decem aſcendat. Ultimo demum quandocumque agitur de delictis, vel de jure communi, vel ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel ex bannimentis pœna mortis damnandis.

TITULUS XIV.

De Sacra Inquiſitione, ſeu Tribunali S. Officii.

QUamvis *in Praxi Romanæ Curiæ* amplior de hoc Tribunali tractatus ſit a nobis habendus, ne tamen qui Inſtitutiones haſce ſunt excepturi, de eodem ſint omnino jejuni, præſertim cum Criminales cauſæ, quæ circa Fidem verſantur, ab eodem diſcuti ſoleant, aliquam hic ejus notitiam apponere, opportunum judicavimus. Olim igitur, & per duodecim fere ſæcula ſolis Epiſcopis concreditum fuit contra hæreticos, vel de hæretica pravitate ſuſpectos procedere poſſe, ut oſtendit, inter alios, *Vaneſpen* (*a*), unde eo jure, quo ipſis fuit demandatum: *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* (*b*), & ex verbis ipſius Chriſti (*c*) poſt Apoſtolos ad ipſos directis; *Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis &c.* peculiarem hanc Miniſterii ſui ſollicitudinem in ſarta, tectaque ſervanda orthodoxa doctrina, & in refractariis coercendis ponere conſueverunt. Cum vero circa initium Sæculi 13. *Hæreſis* ſub ſpecie pietatis ſe non tantum inſinuaret, ſed latius diffunderet, itaut Galliam, Inſubriam, & Lombardiam plurimum inficeret, Innocentius III. Arnoldum Ciſtercienſem, & alios ejuſdem Ordinis, & reformationis Abbates ſcientia, & virtute præclaros ad

(a) *Jur. Eccleſ. univ. p.1.t.22.c.3.* (b) *Actor.20.* (c) *Matt.20.*

ad confundendos Albigensium errores destinavit; Cumque nihilominus *hæreses* grassarentur, itaut Episcoporum, & præfatorum cura, labor, & vigilantia ad eas extirpandas impar existeret, S. Dominicus celeberrimi Ordinis Prædicatorum Fundator, zelo fidei, & animarum percitus, apud eumdem Pontificem Innocentium III. institit, & obtinuit, ut contra omnes *de hæresi* insimulatos, suspectos, aut diffamatos verus institueretur Processus judiciarius, ut dein de *hæresi* judicialiter confessi, aut convicti debitis pœnis punirentur. Atque inde initium sumpsit S. Officium, seu Tribunal Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, in quo primus inquisitor fuit ipse S. Dominicus, & post ipsum alii ejusdem Ordinis Alumni: quibus substituti deinde & alii fuere Inquisitores inferiores, & locales in diversis Provinciis, & Diœcesibus, in Italia præsertim, & Hispaniarum Regnis electi.

2. Ægre quidem primum tulerunt Episcopi hanc Regularium ad inquirendum in fide assumptionem, ut testatur, inter alios, *dictus Vanespen* (a), sed probe, optimeque animadverso nullam eorum juri injuriam inferri, quod *una cum regularibus assumptis*, &, ut inquiunt, cumulative contra hæreticos invigilare non prohiberentur, postmodum acquieverunt, & Summorum Pontificum, præsertim vero Innocentii III., & Honorii III. auctoritate res tandem fuit ad concordiam redacta; Unde Gregorius IX. anno 1241. hoc Inquisitionis Officium solis Dominicanis per litteras ad Priorem ejusdem Ordinis in Lombardia, quæ extant *tom*. XI. *Conc. Generalium col*. 335. attribuit, atque mandavit.

3. Cumque adhuc Tribunalis forma desiderari videretur, arrepta hinc occasione, qua hæreses Lutherana, & Calviniana ortæ sunt, ad eas, & alias melius coercendas, & ne ulterius diffunderentur, utque Inquisitionis Officium ubique majori cum fructu, & accura-

(a) *In jur. Ecclesiast. univ. pa.* 1. *tit.* 22. *cap.* 3.

curatius exerceretur, Congregatio S. Officii fuit solemniter in forma Tribunalis instituta sub Paulo III. anno 1542. per Constitutionem incipien. *Licet ab initio*, quæ est 34. *Bull. Rom.*, subindeque ejusdem Pauli III. vestigiis inhærens Pius IV. octo Cardinalibus, duobus sex ab eodem Paulo III. deputatis adauctis, Congregationem Inquisitionis conflari jussit, decernens, omne id, quod a majori eorum parte statutum fuisset, perinde habendum, ac si ab omnibus ejusdem Congregationis Cardinalibus fuisset emanatum, ut constat ex Constitutione incipien. *Cum Nos* 79. ejusdem Pontificis, quam *S. Pius V.* confirmavit Constitutione *Cum felicis* 23. *in eodem Bullar. Rom.*, & denique *Sixtus V.* Constitutione incipien. *Immensa* 72. *vel* 74., qua quindecim Congregationes erexit, hanc primo nominavit, omnemque potestatem Cardinalibus ad eamdem delectis alias concessam, scilicet Inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, & definiendi in omnibus Caussis, tam hæresim manifestam, quam schismata, Apostasiam a Fide, Magiam, Sortilegia, Divinationes, Sacramentorum abusum, & quæcumque alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere viderentur, concernentibus pro universo Christiano Orbe, & super omnes indistincte Personas attribuit, atque concredidit.

4. Ultra vero Cardinales pro arbitrio Pontificis assumendos, alii etiam Ministri eamdem Congregationem componunt, ut latius *in Praxi Rom. Curiæ* advertemus, ubi etiam modum, & tempus ejusdem Congregationis habendæ subjicere non præteribimus. Illud interim subnectere oportet, immerito, & cum summa veritatis injuria ab Hæreticis contra hujus Tribunalis erectionem querelas & convicia proferri, cum certum undique sit tantam esse ejusdem clementiam in reos, ut si sponte compareant, absque ulla pœna dimittantur, præmissa dumtaxat monitione, quod a simili facinore abstineant; si vero postquam

fuerint iterato denunciati, apprehendatur, non alias contra eofdem proceditur, quam ex cenfura juris contra cujufcumque criminis reos procedendum effe, cautum, & definitum habemus. Imo plerumque, & regulariter nonnifi impofitis falutaribus pœnitentiis, fi iidem rei pœnitentes effe voluerint, & veniam imploraverint, relaxantur, ut teftatur, inter alios, *Bordonus* in egregio opere, quod circa Praxim hujus Tribunalis confcripfit. Qui vero plura defiderat, adeat *Card. de Luc.* (a), & paffim Canoniftas *lib.5. Decretal. tit.7.*, quos inter, *Anacletum Reinfeftuell.* (b).

5. Illud pro coronide non omittendum, nullum forfan Tribunal confultius erigi potuiffe, quam iftud; fi enim in veteri Teftamento Moyfes ipfe Inquifitoris munus exercuit, cum Idololatriam contrivit: Prophetæ item, & Reges ipfi Inquifitores fuerunt adverfus Ifraelis abominationes: multo fane rationabilius fuit, ut Romanus Pontifex, cui merito applicari poffunt verba Hierem. a Deo prolata (c): *Pofui te fuper Gentes, & Regna, ut evellas, & deftruas, & diffipes, & ædifices, & plantes,* fuper fide, fanaque doctrina, per fe, Miniftrofque fuos inveftigaret, ideoque hoc Tribunal erigeret, quo Principum quoque (ut plane dicamus quod eft) incolumitas confovetur, dum terrenæ poteftatis honor impetitur, ubi vera Fides, & Dei religio non cuftoditur; unde ad rem *Panigarola* de hoc Tribunali fcriptum reliquit: *Male fibi Provincias confulere, quæ illud habere recufant*: Præfertim, quia experientia compertum habemus, ejus ope, nedum Hifpanicas Regiones a Mahometifmo, Hæbraifmo, Hærefibufque omnibus immunes exiftere, necnon Italiam ab erroribus expurgatam; verum etiam fumma religione, & fide Regibus, & Principibus fuis regiones illas, ubi Inquifitionis extat Tribunal, effe devotas.

6. Hæc

(a) *In relat. Cur. Rom.* (b) *Eod. lib. & tit. §.10. de Judic. Crimin. hærefeos n.443. & plurib. feqq.* (c) *Hierem.1. 11.*

6. Hæc de præcipuis Tribunalibus, a quibus Crimina coercentur, quibusque Criminalis inest facultas, sive pro Urbe, & Pontificia Ditione, sive pro universo Catholico Orbe, dixisse sat est. Verum quum alias asseruerimus, Advocatum Pauperum & Fisci in Criminalibus negociis a Judicibus Romanæ Curiæ discuti assuetis operam, industriamque præbere, & Congregationibus Criminalibus, quæ fiunt, intervenire: non incongrue de istis etiam Officiis disserendum, licet enim hæ Personæ Judicium Criminale minime forment, ut agant Accusator, Reus, & Judex, de quibus pertractavimus, accessorie tamen, seu minus principaliter Criminali Causæ inserviunt, quia ad Criminale Judicium celerius absolvendum destinantur.

TITULUS XV.

De Advocato Pauperum, & Fisci.

NE imparibus armis decertetur, & ne quemadmodum Fiscus Advocatum habet, qui contra delinquentes insurgit, ita ne Pauperes delinquentes absque Adjutore, Defensore, & Patrono succumbant, & a potentia Fisci opprimantur, opportuno sane consilio institutus est Pauperum Advocatus in omnibus causis, sive Ecclesiasticis, sive Sæcularibus deputandus ex Constitutione *Pauli IV.* innixa juri communi *in l. 1. §. ait Prætor ff. de postulando, & in l. petitionem 13. de Advocatis diversorum Judicum*; quamvisque ijdem textus de miserabilibus Personis in genere agant ab Advocato pauperum defendendis, observantia tamen omnium fere Regnorum, quæ est optima Juris interpres, patentissime docet, munus hoc Advocati pauperum intelligendum de iis miserabilibus personis, quæ propter capitale, aut grave aliud delictum in carceres detruduntur, quibus ob pecuniarum defectum est a Prin-

Principe ſuccurrendum, ne indefenſi remaneant; Et merito quidem, tum quia una tantum perſona non poſſet omnium indigentiis occurrere, tum quia, agendo de Urbe, ex laudabili inſtituto Congregationis S. Ivonis, & Sodalium eidem Congregationi addictorum, Civiles cauſæ pauperum gratis defenduntur, neque deſunt etiam pro cauſis Criminalibus alii Defenſores, vel a Congregatione S. Hieronymi, quæ Charitatis dicitur, deputati, vel alii, quorum ope ex beneficio Principis certum ſalarium aſſignatur, ut eædem cauſæ æquali diligentia, & zelo defendantur, quin neceſſe ſit in omnibus Advocatum Pauperum adhibere.

2. Munus certe Advocati pauperum ſpectabiliſſimum eſt, unique ex Advocatis Conſiſtorialibus demandari conſuetum cum iiſdem Juribus, & emolumentis, quæ Advocato Fiſci, ſeu Ærarii Principis præfiguntur; ad hunc autem ſpectat occaſione viſitationis carcerum (quam cum Gubernatore Urbis, Procuratoribus pauperum, tam ſcilicet illo, qui in adjutorium Advocati a Papa deſtinatur, & de menſtruo ſalario providetur, quam altero, qui à Congregatione S. Hieronymi charitatis eligitur, *aliiſque perſonis eam Congregationem componentibus* facit) reos audire, eiſque defenſiones parare. Dixi *aliis perſonis eamdem Congregationem componentibus*; Nam ultra duos Procuratores, quos Advocatus pauperum habet ſibi ſubordinatos, quorum unus a Papa, alter a Congreg. S. Hieronymi Charitatis eligitur, duo ſuperadduntur Defenſores inferioris ſubſellii, quos ſollicitatores vocant, iiſque accedit Procurator pauperum pro cauſis Criminalibus in Curia Capitolina tractandis, quem ſupra *in titulo de Senatore* nominavimus. Cæterum expenſæ omnes actorum, & citationum pro pauperum defenſione a dicta Congregatione S. Hieronymi, impreſſiones vero ſcripturarum gratis a Typographo Cameræ Apoſtolicæ fiunt.

3. Tem-

3. Tempore porro propositionis causarum post communicata Judicibus reorum Jura, ipse quidem Advocatus informat, sed discedere inde cogitur a Congregatione, Advocato Fiscali in eadem Congregatione remanente, quod quidem esset plurium judicio prohibendum, ut auditis exceptionibus ab eodem Fiscali contra verbalem informationem Advocati pauperum promotis, ulterius posset idem Advocatus pauperum reos, reorumque causas melius, utiliusque defendere, nisi forte credatur ex facultate, & privilegio eidem Advocato concesso, ut ultimus scribat in causa, confectisque novis Responsionibus objecta Fisci submoveat, hujusmodi difficultatem elisam plane remanere. Verum ut totus sit idem Advocatus pauperum in causis defendendis, expresse eidem prohibetur aliarum causarum Patrocinium suscipere ex *Constitutione Benedicti XIV. incip. Inter conspicuos*, de qua infra.

4. Nunc ad Advocatum Fisci transeamus. Nomine sane Advocati Fisci non eum hic intelligimus, qui Jura Cameræ Apostolicæ tuetur, atque defendit, de quo Cujacius (a); cujus originem a Romano Imperio repetendam esse patet *ex l. non intelligitur* 3. §. *multa ff. eodem*, cujusque munus antiquitus erat Fisci Jura viriliter propugnare, & bona vacantia, thesauros, aliaque hujusmodi, sive in Urbe, sive in Provinciis Fisco, seu Principis Cameræ addicenda curare, quod quidem Officium videtur a Commissario Rev. Cameræ Apostolicæ nunc exerceri, cui privilegia Clericorum Cameræ indulsit *Sixtus V. in Constitutione* 14. *incipien. Ad excelsum*, vel ab altero Advocato Ærarii Principis, quem Advocatum Fiscalem dicimus, quique ad instar Advocati pauperum ex cœtu Advocatorum Consistorialium assumitur, forsan ex eo, quod sicuti ab Ecclesiis Occidentalibus defensores propriarum Ecclesiarum

(a) *In Leg. 1. ff. de Jur. Fiscl.*

rum eligi consueverunt, eumdemque morem Romana Ecclesia aliarum exemplo retinuit, ita & Patrimonii Pontificii Defensor eligi debuit, istaque cura a Pontificum vigilantia uni ex Advocatis Consistorialibus fuit hinc attributa, ut testatur P. Josephus Carafa olim Cler. Regul. Theatinus, & Academiæ Romanæ Professor, nunc vero Miletensis Episcopus (a). De eo igitur Advocato Fisci tractamus, qui in altero sensu ad agendas causas Fisci deputari consuevit, ut scilicet impunita non remaneant delicta, & sive in ære, sive in corpore facinorosi puniantur.

5. Quamvis autem olim etiam in causis privatorum Advocato Fisci agere permitteretur, deinde tamen, vel ob muneris præstantiam; vel ne distrahatur occupationum mole a publicis criminalibus causis, cautum provide est, quod nisi de causis propriam personam, vel familiam respicientibus agatur, privatas causas agere nequeat consentaneè *ad Textum in l. penult.*, *& l. final. ff. de postulando*, & advertit *Peregrin. de jure Fisci lib. 7. tit. de Advocato Fiscali*; quam quidem juris communis Sanctionem Benedictus XIV. confirmavit in Constitutione incipien. *Inter conspicuos Ordines*, *edita 4. Kalend. Septembris anni* 1744., quæ est *tom.* 2. earumdem Constitutionum.

5. Amplissimum verò est hoc munus in Urbe; nam, ultra summam mille aureorum a Principe assignatam, omnibus Congregationibus Cameralibus, & Criminalibus, sive coram Gubernatore, sive Auditore Cameræ, sive alibi intervenit, tamquam hujusmodi Tribunalium Consultor, aliisque honorificis juribus fruitur eidem ex Pontificum gratia concessis.

6. Cum vero Advocati hujus occupatio præcipua sit in iis constituta, quæ Ærarium respiciunt, & quamvis tam in Civilibus, quam in Criminalibus negociis occupetur, magis tamen in Civilibus se ingerere soleat, hinc

(a) *De Gymnasio Rom. cap. 8. n. 10.*

hinc alter deputari debuit pro delictorum punitione, quem vulgo Promotorem Fisci, sive Fiscalem dicere consuevimus, ex iis plerumque selectum, qui in munere Locumtenentis in materia Criminali peritiorem se ostendit. Hujus porro Officialis munus est pariter conspicuum, & ultra habitum Prælatitium, quo gaudet, in omnibus Congregationibus Criminalibus, tamquam Gubernatoris Assessor intervenit, cum eoque ad Pontificis Audientiam accedit, prout Commissarius Cameræ cum Thesaurario facere solet, unde æqualibus juribus, honoribus, & emolumentis uterque decoratur.

7. Hactenus de personis tractatum est Jurisdictione coercitiva pollentibus, vel de illis, qui iisdem personis, & Judicibus adsistere solent, alios Criminales Judices Urbis prætereundo, qui vel raro in Criminalibus causis se immiscent, vel de quibus amplior erit *in Tractatu Romanæ Curiæ* sermo rediturus, ut præcipue sunt Cardinalis Camerarius, Thesaurarius, Commissarius Maris, Præfecti Annonæ, Grasciæ, Militiarum, & similes. Nunc propositus ordo flagitat, ut ad delicta transeamus, ad quæ eadem Criminalis Jurisdictio dirigitur; ut vero clarius universa res digeratur, primum de delictis in genere, deinde vero de delictis in specie *in secundo, qui sequitur Institutionum Criminalium Libro*, pertractabimus.

CRIMINALIUM
INSTITUTIONUM
LIBER SECUNDUS.
TITULUS PRIMUS.

De Criminibus seu Delictis in genere.

DElictum in genere acceptum, quod a delinquendo nomen sortitur, quia per illud justum rectumque relinquitur, ut notat Vultejus (*a*), variis nominibus appellatur. Vocatur enim crimen, flagitium, maleficium, excessus, aliisque vocibus, quas e juris fontibus haustas affert Migliorucci (*b*); Definitur autem communiter: *Divinæ humanæque legis transgressio*, seu clarioribus verbis, *commissio, vel omissio dolo facta contra legem vigentem, & aliquid sub pœna imperantem, vel prohibentem*. Dicitur *commissio, vel omissio*; æque enim delinquimus, si contra id quod a lege jubetur aliquid facimus, ac si id quod a lege imperatur negligimus. Dicitur *contra legem vigentem*; quia ad delinquendum non solum requiritur, quod lex præexistat, quo sane spectant verba Apostoli (*c*): *Ubi non est lex neque prævaricatio*; sed ulterius debet lex actu vigere, seu requiritur, quod non fuerit vel per contrariam dispositionem, vel desuetudinem revocata. Quo quidem casu crimen constituit quidquid in spretum legis omittitur, vel committitur, sive re, sive verbis, sive scriptura. Factum tamen semper exigitur; sola enim intentio in foro fori non punitur, sed Deum judicem habet (*d*). Ad-

(a) *In inst. civ. lib. 4. tit. 1.* (b) *Inst. Can. lib. 4. tit. 2. n. 1.*
(c) *Ad Romanos 1.* (d) *L. Cogitationis ff. de pœnis.*

Additur *dolo facta*, quia ad delinquendum dolus præcipue requiritur, ut infra videbimus. Postremo dicitur *sub pœnarum incursu, sive sub pœna*, nam vis, & efficacia delicti est inducere in reo debitum pœnam subeundi, sive obligatio talis pœnæ a jure naturali derivet, sive a civili jure, quod ad sartam tectamque servandam publicam incolumitatem pœnas delictis imposuit, ut varie DD. disceptant apud Osvaldum (*a*).

2. Alii porro aliter delictum definiunt cum Grotio (*b*), nempe *factum illicitum sponte admissum, quo quis, & ad restitutionem, & ad pœnam colligatur*; cum enim in unoquoque delicto, ut idem Grot. advertit, reatus seu vitium ipsius actus, & effectus seu damnum alteri illatum concurrant, illi pœna respondet, huic damni reparatio; Etsi enim, cum delicta suos auctores sequantur, solum qui deliquerunt, pœnam subire cogantur, reparatio tamen damni, etiam ex bonis peti potest, ideoque ad hæredes transmittitur. Verum prima definitio est magis recepta, ideoque retinenda.

3. Dixi supra, ad delinquendum *dolum* requiri, qui definitur (*c*): *Calliditas, fallacia, & machinatio ad circumveniendum, decipiendumque alium adhibita*; Et in verum præsumptumque dividitur. Dolus verus est fallacia in alterius malum manifeste prorumpens: Præsumptus autem, qui a Bartolo (*d*) latior culpa appellatur, est *ars nocendi præsumptive adhibita*, ideoque ex præsumptionibus comprobatur ad differentiam doli veri, qui ex perspicuis actibus eruitur, atque resultat (*e*).

4. Dividitur insuper dolus in apertum, & velatum. Apertus est, qui cum violentia committitur, prout contingit in contractibus vi, metuque gravi celebratis: velatus autem, qui in simulatione, & dissimulatione

(a) *In Donell. lib. 15. cap. 23.* (b) *De jure belli, & pacis lib. 2. cap. 17. §. 22.* (c) *In L. 1. ff. de dolo malo.* (d) *In L. quod Nerva ff. depositi.* (e) *L. dolum ff. de dolo malo.*

tione consistit (*a*). Tertio demum dolus dividitur in dolum commissionis, qui in comittendo consistit, & dolum omissionis, qui aliquid omittendo exercetur. Gravior autem est dolus commissionis dolo omissionis, quia graviori pœna digna videtur simplici omissione vera commissio (*b*).

5. Dolo affinis est fraus, & culpa, licet invicem distinguantur. Fraus definitur; *Actus malitiosus tendens de permisso ad probibitum*: Ideoque fraus committitur, cum aliquid fit legi contrarium, licet non sit expresse a lege prohibitum. Exemplum esse potest, si prohibita extractione frumenti ab Urbe ad conservandam Annonam, aliquis farinam extraheret; licet enim talis extractio non sit expresse a lege prohibita, concurrit tamen in extractione farinæ eadem ratio, quæ in extractione frumenti militaret, ideoque per extrahentem mens legis eluditur (*c*).

6. Culpa vero definitur: *Imprudentia, seu negligentia in alterius damnum admissa*; Atque in latam, levem, & levissimam dividi solet: quam quidem culpæ divisionem licet in Instit. Civil. exposuerimus (*d*), cum tamen plurimum conferat ad materiæ Criminalis intelligentiam, hic iterum opportune proferimus. Lata est summa incuria in omittendo, quod omnes facere solent, vel non intelligendo, quod omnes intelligunt (*e*). Exemplum erit in eo, qui tempestatis tempore se mari committeret; pluraque alia recensentur exempla *in L. qui occidit §. hac actione, de injuria, & damno dato, L. sed si quis fundum ff. de locat. L. sed etsi pupillus ff. de instit. action.* aliisque Juribus. Culpa levis est incuria, seu prætermissio illius diligentiæ, quam homines diligentes communiter adhibent. Exemplum est

(a) *L. ea quæ §. dolum malum ff. de contrah. empt.* (b) *L. qui § qui fusem ff. de furtis.* (c) *L. contra legem, & L. fraus ff. de legib.* (d) *Lib. 3. tit. 14. §. 18. & seq.* (e) *L. Latæ culpæ L. cedere diem §. lata culpa ff. de verbor. signific.*

est in eo, qui lumen accensum in stabulo, vel alio periculoso loco suo famulo tradit; aliaque afferuntur exempla *in L. item quaritur, §. si fullo vestimenta ff. locati, in L.32. ff. depositi &c.* Levissima tandem culpa est defectus illius diligentiæ, quam diligentissimi ejusdem conditionis, & professionis homines habere consueverunt. Exemplum esse potest in eo, qui non clausit stabulum, in quo alius deinde incendium commisit; pluraque alia exempla recenset Raynaldus (*a*).

7. Porro in dolo, & lata culpa actio Criminalis admittitur. In dolo quidem, quia basis est & fundamentum delicti, in culpa insuper lata, quia dolo, & fraudi æquiparatur (*b*), saltem ad pœnam extraordinariam incurrendam. Pro levi tamen, aut levissima culpa, imo etiam pro casu fortuito, criminaliter agi non potest, quia abusive tantum, & improprie culpæ nomine veniunt, ut explicat Farinaccius (*c*), unde damnum culpa levi, vel levissima alteri illatum, non actione Criminali, sed actione legis Aquiliæ vindicatur, in qua quidem agitur de pœna mere Civili, non Fisco, sed parti applicanda, cui damnum fuerit illatum, ut fusius Interpretes docent in Institutionibus Civilibus, nosque etiam in iisdem (*d*) adnotavimus.

8. Plura tamen contra ea, quæ hactenus diximus, proferri possunt objecta, quæ cum soluta majorem claritatem definitioni delicti in genere, aliisque supra expositis afferant, non sunt silentio prætereunda. Diximus enim, dolum ad delinquendum requiri, & tamen in sacris paginis legimus (*e*), Deum sanguinem hominis etiam a bestiis, quæ cæteroquin doli incapaces sunt, requirere, ibi: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum;*

(a) *Observat. Crimin. tom. 2. cap. 13. §. 1. n. 32.* (b) *L. magno negligentia. de verbor. signific.* (c) *Quæst. 100. num. 20. & 33.* (d) *Lib. 4. tit. 3. de Lege Aquilia.* (e) *Genes. 9. 5.*

rum; item alibi (*a*): *Si bos cornu percusserit virum, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes ejus*; Et demum (*b*): *Qui cum jumento, & pecu coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos*. Additur, Athenienses, qui certe inter cultiores Populos debent adscribi, juxta leges Draconis non solum bruta punire consuevisse, si mortem alicui irrogassent, sed etiam arma, & quodcumque instrumentum, quo mediante mors secuta fuisset. Quodque plus est, Plato ipse (*c*) idem omnino decrevit, ab incurrenda pœna solum fulmen excipiens, aut aliud telum divinitus missum. Quibus stantibus, inferri posse videretur, dolum non exigi ad delictum, cum etiam res sive animatæ, sive inanimatæ, quæ doli incapaces sunt, punitæ legantur.

9. Facili autem negocio objectum dissolvitur, si animadvertatur, non ex hoc capite sive in sacris, sive in historicis aliis monumentis punitionem referri, quod nempe bestiæ, vel res inanimatæ deliquerint, sed quia probabiliter prætimetur, eas vitium aliquod contraxisse, ratione cujus aliorum offensiones, & mortes possent contingere, vel quia magis magisque ita homines retrahuntur a delinquendo, videndo scilicet, aut audiendo in odium Criminum animatas etiam, vel inanimatas res puniri consuevisse. Quæ quidem ultima ratio mirifice exemplificatur ex iis, quæ protulimus in Institutionibus Canonicis (*d*) de pollutione Ecclesiarum, quæ certe si ex casibus ibi relatis forte sequatur, vel est ab Episcopo, si consecrata, vel a simplici Sacerdote, si simpliciter benedicta, reconcilianda, non quod ipsa deliquerit, sed, ut disertissime dixit Concilium Coloniense anno 1536. celebratum: *Quo pec-*

(a) *Exodi cap.21.ver.28.* (b) *Levit. cap.20. ver. 15. 16.*
(c) *In lib. de Legib.* (d) *Lib.2. tit.11.*

peccatores inanimatum Templum purificari videntes delicti horroribus concutiantur.

10. Diximus insuper, factum externum requiri ad committendum delictum, quod satis innuunt verba *dolo facta*; Unde actum internum in foro externo non puniri affirmavimus. Et merito quidem, plurimum enim differt delictum juridicum, quod definivimus, a delicto Theologico, vel Philosophico, quod etiam per transgressionem mere internam patratur, ut quoad Theologicum fides catholica docet, & quoad philosophicum egregie Cicero dixit (a): *Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias: leges quatenus manu res tenere possunt: Philosophi, quatenus ratione, & intelligentia.* Huic autem assertioni, & doctrinæ nullatenus obsunt duo Textus, qui objici solent, unus *in L.14. ff. ad L. Corneliam de Sicariis*, ubi Imperator Hadrianus, teste Callistrato Jurisconsulto (b), ita rescripsit: *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus*; Cui etiam cohæret textus alter Imperatorum Arcadii, & Honorii *in L. quisquis cod. ad Leg. Juliam majestatis*. Objecti enim textus, & quotquot alii proferri possunt, intelligendi sunt pro actu interno exterius manifestato, seu cum exteriori aliqua circumstantia conjuncto, quam merito leges prohibuerunt.

11. Quæri hic solet, an, & contra quos delictum valeat perpetrari? Obvia tamen est generalis responsio, quod quomodolibet, vel in nobis, vel in aliis legem transgredimur, delinquere dicimur. Unde descendit, merito posse quemquam etiam contra se ipsum delinquere. Quamquam autem id arduum videatur, ex quo nemo sibi injuriam facere dicitur, præsertim quia in sacris paginis legimus (c), quod cum quidam Propheta a socio suo percuti, & vulnerari voluisset, cum-

(a) *Lib.3. De Officiis.* (b) *Lib.6. de Cognitionib.* (c) *3. Regum cap.20. vers. 35. & seq.*

cumque socius id facere recusasset, in pœnam a leone fuit occisus; His tamen non obstantibus verba illa in definitione Criminis superaddita *contra legem*, difficultatem omnem elidunt, cum quidquid sit, an in se delinquens injuriam sibi faciat, necne, in legem semper delinquit, quæ hujusmodi injurias interdicit. Factum autem, quod in medium obtruditur ex Sacra Sciptura depromptum, nihil concludit, cum ex peculiari Dei instinctu, & afflatu percussio, & vulneratio Prophetæ injuncta fuisset, quæ ad aliorum exemplum trahi non debet. Nunc ad divisionem delictorum progrediamur.

12. Præcipua sane delictorum divisio, quam afferunt Lancellottus (*a*), Clericatus (*b*), aliique, est, quod alia sunt delicta, per quæ principaliter divinam Majestatem offendimus, alia per quæ proximum principaliter lædimus; juxta quam divisionem delicta seorsim, & singillatim in sequentibus Titulis considerabimus. Delicta vero ita generaliter concepta iterum dividuntur in ea, quæ mere Ecclesiastica, alia, quæ sæcularia, & alia, quæ mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ ad Forum Ecclesiasticum spectant, etiamsi a Laico committantur, ut Hæresis, Simonia; Sæcularia, quæ a Judice Laico puniuntur, si a Laico perpetrantur, ut crimen læsæ Majestatis, aliaque, quæ infra describentur; Mixta, quæ ab alterutro Judice possunt puniri, ut concubinatus, usura, aliaque Crimina, in quibus præventioni fit locus.

13. Hæc autem præventio in eo præcipue consistit, quod Judex sibi soli in aliqua causa Jurisdictionem attribuat, ex quo prius in illa manus apposuit, vel una partium prius coram illo citavit. Nec immerito præventio isthæc fuit instituta, ad removendos scilicet varios Tribunalium circuitus, & ut ibi Judicium absolvatur, ubi originem habuit, ut dicitur *in L. ubi inceptum*.

(a) *Lib.4. Instit. Canon. tit* 2. §.6. (b) *Instit. Canonic. eodem libro tit.*3.

ptum 30. *ff. de Judic.* Variis autem modis præventio eadem inducitur, si scilicet quis coram uno Judice delictum fateatur (*a*); item si Judex pro summaria delicti probatione Testes recipiat, ut deinde contra Reum inquirere possit, *ex litterali textu in l.*1. *ff. de appellationibus*; & præcipue si Judex alium citaverit, qui frequentior esse præventionis modus dijudicatur.

14. Dividuntur item delicta in propria, & impropria, illa ex dolo, ista ex culpa sine dolo, committuntur, de quibus *in tertio libro Instit. Civil.* pertractavimus.

15. Delicta vero, quæ vere delicta sunt, & materiam Judicii Criminalis constituunt, dividuntur insuper in publica, & privata. Publica sunt, per quæ principaliter status publicus læditur, cujus generis sunt crimen læsæ Majestatis, Parricidium, Homicidium, Adulterium, aliaque, quæ recensentur *in l.* 1. *ff. de publ. Judiciis*, & idcirco publica nuncupantur, quia publica aliqua lege prohibentur (*b*). Privata autem sunt per quæ personæ privatæ principaliter offenduntur; unde discrimen est inter utramque delictorum speciem, quod actio delicti privati ad illum unice pertinet, cujus interest delictum fuisse commissum, seu ad quem damnum derivavit; In publicis autem delictis cuilibet de populo *regulariter de jure civili* accusare permittitur. Dixi *de jure civili*, nam si Sacros Canones attendamus, omnia delicta sunt publica; Ideoque cuique licet eadem Judici denunciare, nisi Statutis, & usibus locorum contrarium observetur; ut notat Julius Clarus (*c*); Imo jure etiam municipali omnium fere Gentium introductum est, ut etiam privata crimina publica censeantur, ut instante Advocato Fisci vindicentur, sicuti advertit Vinnius (*d*). Addidi *regulariter*,

(a) *Carleval. de Judicii disput.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 3. *num.* 889.
(b) *L. Julia Majest. l. Cornelia de Sicariis.* (c) *In §. fin. q.* 5.
(d) §.1. *tit. ult. Instit. Civil. de publicis Judiciis.*

aliqua enim extant delicta publica, in quibus non omnibus fas, licitumque eſt accuſare; Sic adulterium eſt delictum publicum, non tamen omnes deferre illud poſſunt, ſed illi ſolum, qui vero dolore ad accuſandum impelluntur, ſcilicet Pater, Maritus, Frater, Patruus; Avunculus vero & extranei ab accuſatione repelluntur (*a*); Sic etiam crimen ſuppoſiti partus eſt publicum, nec tamen omnibus accuſare permittitur, ſed illis tantum, quorum intereſt partum fuiſſe ſuppoſitum (*b*); unde merito addidi, *regulariter* delicta publica a quovis accuſari poſſe, ſi enim lex ſpecialis certam formam, & pœnam criminis ſtatuat, crimen publicum erit, licet accuſari a quolibet nequeat.

16. Delicta publica, vel ſunt capitalia, quorum pœna eſt vitæ, libertatis, vel civitatis privatio, per quas pœnas caput de civitate eximi dicitur, ut notatur in Inſtitutionibus Civilibus (*c*); vel non capitalia, quorum pœna eſt pecuniaria, aut aliqua corporalis coercitio, v. g. exilium, vel alia ſimilis pœna juxta qualitatem criminis infligenda. His accedit altera delictorum diviſio in notoria, manifeſta, & occulta; Notoria ſunt, quæ nulla tergiverſatione poſſunt celari, ut ſi committantur coram Judice pro Tribunali ſedente, vel coram majori populi parte (*d*): Manifeſta, quæ ex publica voce, & teſtimonio eorum comprobantur, qui ex certa ſcientia delictum ab aliquo commiſſum eſſe deponunt (communiter autem manifeſtum, & notorium pro eodem accipitur:) Occulta demum, quæ in abſcondito fiunt, & difficile probantur (*e*).

17. Poſtremo delicta innominata, & innominata dividuntur. Nominata ſunt, quæ expreſſo nomine deſignan-

(a) *L. 30. cod. ad l. Juliam de adul.* (b) *Ad Text. in l. 30. ff. ad l. Corneliam de falſis.* (c) *Lib. 1. tit. 16.* (d) *Cap. tua, & cap. veſtra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* (e) *Farinac. quæſt. 86. n. 35.*

ſignantur, ut hæreſis, Simonia &c. Innominata vero, quæ expreſſo nomine carent. Iſta autem in tres ſpecies diviſa conſiderantur. Alia enim ad Forum Eccleſiaſticum pertinent, quia a perſonis Eccleſiaſticis committuntur, & de his *tit. 6. hujus libri* pertractabitur; Alia ad forum ſæculare, quæ hic innuentur; Alia demum ad forum mixtum ſpectare noſcuntur, in quibus ſcilicet præventioni fit locus, & æque poſſunt Judices Eccleſiaſtici ac Laici manus apponere, & de his ultimo loco pariter diſſeretur.

18. Principem vero inter delicta mere ſæcularia innominata locum ſortitur crimen Stellionatus; quo ſane nomine nullum delictum in ſpecie, & in individuo ſignificatur, ſed omnis fraus, fallacia, & ſcelus, quod proprio nomine deſignari nequit, crimen ſtellionatus vocatur, ut optime notarunt Cujacius (*a*), & Menochius (*b*) poſt Ulpianum *in l. Stellionatus ff. Stellionat.* ibi: *Ubicunque titulus criminis deficit, illic ſtellionatus objiciamus*. Crimen vero ſtellionatus a ſtellione derivatum merito eſt, nulla enim opportunior comparatio fieri poſſe viſa eſt eorum criminum, quæ vaga, & indefinita ſunt, & proinde certis nominibus circumſcribi, ſeu comprehendi non poſſunt, quam aſſimilando illa ſtellioni, animali ſcilicet lucertæ ſimillimo, & variis coloribus, ac guttis ad inſtar ſtellarum in tergo depicto, cujus varietatem deceptores imitantur, qui ſane non ſolum civiliter pro refectione damni alteri illati, verum etiam criminaliter arbitrio Judicis condemnantur (c).

19. Plura hujus criminis exempla communiter afferuntur, quæ ad claſſem delictorum innominatorum, de quibus hic acturos promiſimus, redigi poſſunt. Cum ſcilicet æs pro auro ſubjicitur: Cum Principis

M 2 præ-

(a) *Ad tit. cod. de crim. ſtellionatus*. (b) *Lib. 2. caſu 381.*
(c) *L. ſtellionatus, ibique gloſs. ff. de crimine ſtellionat.*

præceptum executioni non demandatur: cum debitum jam exactum repetitur; cum eadem species uni obligata dolose alteri venditur, vel oppignoratur, vel quomodolibet obligatur; cum facta obligatione tradendi aliquam rem uni, non eadem, sed diversa fraudulenter exhibetur; item si Officiales publici in loco suæ jurisdictionis, & in domo ad habitandum destinata non resederint (a); si malos ministros subalternos retineant (b); si ante adventum successoris officium relinquant, vel inconsulto Rectore Provinciæ ab illo discedant (c); Pluresque aliæ species adducuntur a Raynaldo (d), & Megliorucci (e).

20. Alio item modo innominata delicta explicat Clarus (f), quod scilicet ea sint, quæ non habent speciale nomen juris, sed tantummodo facti, ut verberare, percutere, ingredi domum alienam, & similia, quæ quidem fieri quandoque possunt sine maleficio, quandoque vero cum crimine fiunt, & ideo innominata vocantur. Contra vero quæ sunt nominata, sine maleficio fieri nequeunt, nunquam enim a furto, adulterio &c. potest maleficii labes abstergi.

21. Tria vero superaddenda videntur, & in controversiam revocanda, antequam ultimam huic titulo manum imponamus. Primum scilicet, quinam possint delinquere? Ulterius quomodo delinquatur? physice ne & realiter tantum; an potius etiam moraliter, consulendo, mandando, ratihabendo, non impediendo? Tertio demum quomodo delictum extinguatur? Facilis autem est primi dubii resolutio, cum enim dolus basis sit, & fundamentum delicti, ut supra notavimus, sequitur, omnes illos, qui doli incapaces sunt, ut pueri,

(a) *L. nulli Judicum cod. de Offic. Rectoris Provinciæ.* (b) *Authent. jus jurandum, quod præstatur ab iis &c.* (c) *L. illud ff. de offic. Præsid. l. unico cod. ut omnes &c.* (d) *Lib.2. cap.16. suppel.4. per tot.* (e) *Lib.4. tit.2. n.19. & seq.* (f) *Lib.5. sentent. §.1. num.8.*

pueri, amentes, furioſi, nequaquam vere delinquere, ſed materialiter tantum, ut inquiunt, & abuſive, itaut criminaliter contra illos agi non poſſit (*a*); idemque dicendum de pubertati proximis, de illis ſcilicet, qui ſeptennio non multo majores exiſtunt, ut notat Farinaccius (*b*); imo etiam minoribus viginti quinque annis in delictis licet capitalibus regulariter parcitur, abſolutique a pœna ordinaria pœna extraordinaria puniuntur (*c*), niſi circumſtantiæ aliæ concurrant, quæ exemplarem pœnam expoſtulent, ut amplius titulo primo libri 4. adnotabimus.

22. Quamquam autem in foro interno, & conſcientiæ æquale crimen committant conſulentes, & quomodolibet delicto alterius cooperantes, vel etiam cum poſſent, impedire nolentes, ut alibi etiam notabimus, cum de irregularitate ex delicto erimus tractaturi (*d*); Quando tamen in foro externo contra eoſdem criminaliter procedatur, certo vix poteſt definiri; pendet enim a peculiaribus circumſtantiis inſpectio, num ſcilicet remote tantum, an proxime in delictum influxerint, adeout alias delictum fuiſſet, vel non fuiſſet patratum; quod cum pluribus exemplis, necnon ampliationibus, & limitationibus explicent Menochius (*e*), & Farinaccius (*f*), ab eiſdem reſolutio repeti poteſt, ab eodemque Menochio (*g*) conjecturæ omnes colligentur, quibus eruatur aliquem ſciviſſe delictum, nec cum poſſet prohibuiſſe, ut æquali pœna damnetur.

23. Supereſt jam tertiæ quæſtionis reſolutio, an ſcilicet, & quomodo crimen extinguatur? Explorata autem res eſt, iiſdem fere modis crimen extingui, quibus extinguitur pœna delicto reſpondens; pœna igitur ad

(a) *L. ſi infanti cod. de jure deliberandi. l. Infans ff. ad l. Corneliam de ſicariis.* (b) *Quæſt. 92. n. 26.* (c) *Ad Text. l. Auxilium ff. de minoribus. Farinaccius loco citato num. 41.* (d) *Lib. 4.*
(e) *De arbitrariis lib. 2. caſu 249.* (f) *Tom. 4. prax. quæſt. 129. & ſeq.* (g) *Lib. 2. de arbitrar. caſu. 345. & lib. 5. præſumpt. 37.*

ad tempus data decursu temporis aboletur (a); præscriptione item crimen extinguitur, nam regulariter spatio viginti annorum delicta præscribuntur (b). Dixi *regulariter*, ut delicta excipiamus, quæ præscribi non possunt, quæque infra innuentur. Absolutione pariter crimen finitur, quæ tamen definitiva sit, & ex capite innocentiæ proferatur (c); Præterea gratia Principis, v. g. ex causa publicæ lætitiæ crimen perimitur (d); & demum transactione delictum & pœna eidem debita extinguitur in casibus tamen a Jure permissis, in quibus transigere licet (e). Nunc ad delicta Ecclesiastici fori certum, & determinatum nomen habentia, per quæ principaliter Divina Majestas offenditur, juxta ordinem supra propositum operæ pretium est transeamus; ut deinde ad delicta sæcularia pariter nominata, per quæ Homines offenduntur, mox ad delicta mixti fori progredientes ultimam materiæ delictorum manum imponamus.

TITULUS II.

De Hæresi.

INter delicta porro Ecclesiastici fori, per quæ principaliter Deus offenditur, principem sibi locum vindicat hæresis, quæ definitur: *Voluntarius error intellectus circa aliquam Fidei catholicæ veritatem ab eo, qui fidem profitetur, pertinaciter assertus*. Dicitur primo *voluntarius*, idest a voluntate procedens. Dicitur *error intellectus*, quia hæresis consistit in certo, determinatoque judicio, quo intellectus falso dogmati assentitur,

(a) *L. Fratres 33. ff. de pœnis.* (b) *L. querela 12. cod. ad l. Corneliam de falsis.* (c) *Ricciard. in lycæo Eccles. tom.2. cap. 13. §. 1.* (d) *Ad text. litteralem in l. 1. cod. de sentent. passo.* (e) *Anaclet. lib. 1. decretal. tit. 36. §. 2. Meglioruccius Instit. Canon. lib. 4. tit. 1. differt. 8. n. 156.*

titur, vel de vero dogmate dubitat (*a*): Unde qui peccant, licet rem faciant catholicæ veritati contrariam, hæretici tamen non ſunt, niſi inſimul credant, licitum eſſe peccare (*b*). Dicitur *circa aliquam fidei veritatem*, ſi aliquis enim erraret circa numerum elementorum, circa motum cælorum, aliaſque ſimiles res ab Eccleſia non definitas, non eſſet hæreticus; Similiterque ſi non unam, vel alteram propoſitionem falſam admitteret, ſed prorſus fidem deſereret, non hæreticus, ſed Apoſtata eſſet nuncupandus. Dicitur *ab eo, qui fidem profitetur*; Etenim per hæreſim Homines ab unitate fidei dividuntur, a qua dividi nequeunt, qui nunquam ei per Baptiſmum fuerunt uniti; Ideoque qui Baptiſmum non recepere, & fidem chriſtianam non profitentur, non hæretici, ſed infideles vocantur (*c*). Poſtremo dicitur *pertinaciter* aſſertus, quia præcipua hæreſis conditio eſt firma voluntatis deliberatio de reſiſtendo alicui articulo ab Eccleſia definito, atque propoſito cum certa ſcientia talis definitionis, & propoſitionis, in qua quidem deliberatione pertinacia conſiſtit, licet perbrevi ſpatio, & abſque mora temporis fiat (*d*): unde notant Doctores, poſſe hæreſim formalem in ictu oculi conſummari; Nunc ad diviſionem hæreſis tranſeamus.

2. Prima diviſio hæreſis eſt in objectivam, & formalem. Objectiva eſt falſum dogma ab hæretico aſſertum; Formalis eſt aſſenſus ille, vel diſſenſus, qui circa falſum dogma verſatur; & quidem ſi aſſenſus iſte, vel diſſenſus, in quo proprie hæreſis conſiſtere dicitur, mere intellectualis ſit, nec in aliquod externum ſignum erumpat, mentalis hæreſis dicitur; ſi vero externis indiciis comprobetur, externa vocatur.

3. Ex

(a) *Cap. 1. de Hæreticis.* (b) *Albertin. de cognoſc. hæretic. q.1. num.4. & 5.* (c) *Duard. in Bulla Cœnæ lib.2. cap.1. q.21.* (d) *Cap.2. in fin. de Summa Trinit. & fide Catholica. Clementina unica §. porro de Summa Trinit.*

3. Ex hæresis vero divisione hæreticorum divisio descendit. Hæretici sane vel sunt patres, & propugnatores hæresum, qui errores inveniunt, aut ab aliis inventos publice docent, & Hæresiarchæ vocantur, in quorum albo Lutherus, Calvinus, aliique hujus furfuris homines recensentur; vel sectantur errores ab Hæresiarchis inventos, & simpliciter hæretici dicuntur, ut Lutherani, Calvinistæ, aliique.

4. Præterea Hæretici alii affirmativi, alii negativi dicuntur; primi sunt, qui errorem suum non solum mente retinent, sed & aperte fatentur. Negativi sunt, qui licet per legitimas probationes fuerint de errore convicti, in eum tamen cecidisse inficiantur, & temere affirmant, se omnia credere ab Ecclesia definita, atque proposita.

5. Tertio hæretici in lapsos, & relapsos dividuntur. Lapsi sunt, qui primo in hæresim ceciderunt; Relapsi, qui postquam hæresim abjurarunt, iterum in eandem, vel diversam relabuntur; itemque relapsi dicuntur illi, qui facta hæresis alicujus abjuratione hæreticis favent, quomodolibet illis auxilium præbentes (a). Hæretici vero relapsi sunt duplicis speciei, nempe alii manifesti, quorum primus, & secundus lapsus ex manifestis indiciis eruitur, ut si de utroque convicti, aut confessi sint, vel si de uno confessi, & de alio convicti; Alii sunt Hæretici relapsi præsumpti, quorum scilicet duplex lapsus non est concludenter comprobatus, sed de uno undique constat, & de altero vehemens suspicio concurrit.

6. Quarta hæreticorum divisio est in merè externos, formales externos, & suspectos; Merè externi sunt, qui verbis aut factis se hæreticos indicant, licet interne non credant, quod verbis, vel factis credere ostendunt; Formales hæretici externi sunt, qui cum libero

(a) *Cap. accusatos §. cum vero, & §. ille quoq. de hæreticis in 6.*

libero voluntatis assensu aliquem fidei articulum pertinaciter negant; Suspecti tandem de hæresi sunt, quos aliquid fecisse, vel dixisse probatur, ex quo Judex rationabiliter suspicatur, eos in hæresim incidisse.

7. Hæretici autem formales externi subdividuntur in occultos, & manifestos, seu publicos, & hæc quidem divisio a mox explicata distinguitur, quia non omnis externus est manifestus, & non omnis occultus est mentalis. Igitur hæretici manifesti sunt illi, qui contra fidem catholicam publice prædicant, aut errorem defendunt, vel coram suo judice de errore convicti, vel confessi sunt, vel per sententiam damnati (*a*); Publice autem quis dicitur prædicare, cum prædicat coram pluribus quam quinque personis illum audientibus (*b*). Hæretici externi occulti sunt, qui qualitates manifestorum non habent.

8. Quemadmodum vero triplex potest esse suspicio, ita suspecti de hæresi tripliciter considerantur. Suspicio vel est levis, vel vehemens, vel violenta. Levis est, quæ oritur ex levibus conjecturis cum hæresi parum, vel nihil connexis, v. g. si quis frequenter blasphemet. Vehemens est, quæ ex verbis factisve deducitur, quæ aliquem hæreticum esse regulariter indicant, v. g. pactum cum dæmone, & delictum Polygamiæ ab illo commissum, qui vivente legitima conjuge, secundum, vel alia matrimonia in facie Ecclesiæ contraxerit, quod a Tribunali SS. Inquisitionis privative punitur. Aliquando suspicio vehemens oritur ex frequentia actuum etiam specie diversorum, etsi magnam cum hæresi connexionem non habentium, v. g. si quis nunquam die festo missam audiret, carnes diebus vetitis ederet, sacras imagines non veneraretur, & his similia committeret (*c*). Violenta tandem suspicio est, quæ ex verbis, factisve deducitur, quæ adeo

(a) *Cap. cum de quibusdam, de verbor. signif.* (b) *Glos. in Can. Manifesta 2. q. 1.* (c) *Amen. de delictis p. 2. t. 2. §. 7. n. 9.*

cum hæresi connectuntur, ut fere semper ea faciens, vel dicens hæreticus sit; Unde talis suspicio ex violentis præsumptionibus, & conjecturis resultat, quales essent v. g. si quis sacras imagines frangeret, pedibus conculcaret, Turcas, Judæosve laudaret, qui illas non colunt, & his similia perageret, quæ eum certe de hæresi Iconoclastarum redderent violenter suspectum. Ceterum arbitrio Judicis (quod ab æquitate, & ratione dirigi debet) undequaque relinquitur, ex circumstantiis colligere, quando levis, quando vehemens, quando demum violenta suspicio concurrat, ut notat Bordon. (*a*).

9. Ne vero propositio hæretica gratis censeatur, quæ hæretica proprie non est, opportune hic notanda videtur differentia, quæ communiter solet proferri inter propositionem hæreticam, erroneam, scandalosam, piarum aurium offensivam, temerariam, seditiosam, injuriosam, blasphemam, eamque demum, quæ prima facie sensum hæreticum habet, prout eas diserte distinguunt Cabassut. (*b*), Carena (*c*), Simanca (*d*), Arnald. Albert. (*e*), aliique. Hæretica igitur propositio est, quam hactenus exposuimus. Erronea, quæ a communi sensu, vel veritate omnibus nota recedit. Scandalosa, & piarum aurium offensiva, quæ facilitatem audientibus præbet in hæresim prolabendi, ut si incommoda auricularis confessionis quis exageraret. Temeraria, quæ tamquam certum aliquid asserit, licet nullo sit solido fundamento suffultum, ut si quis infra mensem ultimam Judicii diem adventuram pronunciaret. Seditiosa, quæ schismatis occasionem præberet; Quas quidem omnes propositiones damnavit Concilium Constantiense (*f*). Quibus accedunt quæ a posterio-

(a) *In manuali Consult. Instit. 6. n. 1628.* (b) *In notit. hist. Eccl. sæc. 15. pag. 539.* (c) *De Off. S. Inquisit. pag. 2. tit. 16. §. 3. n. 12.* (d) *De Cathol. Instit. tit. 54. n. 6.* (e) *De Agnosc. assert. haret. q. 6.* (f) *Sess. 8. & sess. 25.*

fterioribus decretis Romanorum Pontificum fuerunt juste proscriptæ, ut est propositio injuriosa, quæ rebus personisque sacris, aut fidelium statui contumeliam, & dedecus infert: Blasphema, qua Deo, Deiparæ, vel Sanctis convicia proferuntur: Habens demum prima facie sensum hæreticum, quæ licet a proferente in sensu forsan Catholico accipiatur, prout nihilominus sonat, hæresim redolet. Nunc ad hæresim revertamur.

10. Hæresis igitur proprie committitur quoties ea omnia pertinaciter impugnantur, vel in dubium revocantur, quæ a Catholico viro firmiter sunt retinenda; Quæ ad hæc capita reducuntur; 1. Sacra Scriptura, seu omne id, quod in libris Canonicis sive veteris, sive novi Testamenti continetur. Secundo, Traditiones Christi, & Apostolorum, quæ verbum non scriptum dicuntur a *Ven. Card. Bellarm.* (a). Tertio omne id, quod necessario a Sacra Scriptura deducitur. Quarto, quod in Conciliis universalibus a Sede Apostolica confirmatis definitur. Quinto, ea omnia, quæ ab eadem Sede Apostolica tanquam de fide credenda fidelibus proponuntur. Sexto, quod unanimiter Patres, & Doctores Ecclesiæ docuerunt. Ultimo, quod Theologi, & Canonistæ æquali consensione ad rejiciendas hæreses scriptum reliquerunt, ut disertissime inter alios ostendit Melchior Canus (b).

11. Exemplis vero non incongrue id demonstratur. Hæreticum ergo est asserere, *Cælum, & Terram a Deo non fuisse creata*, cum id literaliter adversetur *cap.* 1. *Geneseos*: *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*. Eodemque jure hæreticum foret asserere, *Verbum hominem factum Deum ab æterno non extitisse*, cum id literaliter opponatur *cap.* 1. *Evang.* S. Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ex manifesta insuper repugnantia

N 2 tra-

(a) *In tract. de controver. lib.4. de verbo Dei non scripto cap.1.*
(b) *Lib.3. de loc. Theolog.*

traditionum Chrifti, & Apoftolorum hæreticum foret afferere, *Miffam non effe facrificium*, cum id evidenter eruatur ex inftitutione Chrifti in ultima cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*: nec non ex verbis Apoftoli (*a*): *Habemus altare, de quo edere non habent poteftatem qui tabernaculo deferviunt*: Quibus, aliifque textibus inhærens Ecclefia Græca, & Latina perpetuo facrificium hoc offerre confuevit. Hærefis quoque foret, fi diceretur, *Angelos non fuiffe a Deo creatos*, quod neceffario ex verbis Sacræ Scripturæ deducitur, & præcipue *ex Pfalm.*103. *Qui facis angelos tuos fpiritus*. Eodemque jure ex quarto capite oppofitionis Conciliis Generalibus eorumque decretis hæreticus foret, qui cultum, & venerationem facris imaginibus denegaret, quam plura generalia Concilia a Summis Pontificibus confirmata, præcipue vero Trid. feff. 25. exhibendam effe decreverunt. Ad hæc hæreticum foret ex quinto capite afferere, *Papam abfoluta, & univerfali poteftate deftitui in Ecclefia*, ut late probat *cit. Card. Bellarm.* (*b*). Prout etiam ex fexto capite hærefim committeret, qui proprio marte, & ingenio Sacram Scripturam, neglecta Patrum, Doctorumque Ecclefiæ interpretatione, intelligere contenderet contra ea, quæ difpofuit, cæteris omiffis, Tridentina Synodus (*c*). Et tandem hæreticus foret, qui communem Theologorum fententiam ab Ecclefia receptam impugnaret. Meritoque diximus, *ab Ecclefià receptam*: quia fi de re tractaretur hinc inde a Theologis difputata, unufquifque pro arbitrio poffet in quam partem vellet inclinare, ut communiter firmant iidem Theologi apud *Melchior. Can.* & authores fupra citatos, ubi aliarum quoque propofitionum proferuntur exempla. Reliquum modo eft, ut de hærefis gravitate, aliqua proferamus.

12. Quæ

(a) *Ad Hebr. cap.* 13. (b) *De Romano Pontifice lib.*4. *cap.*1.
(c) *Seff.*4. *de Reform.*

12. Quæ vero, & quanta sit hæresis gravitas, facile potest intelligi ex pœnis, quas Sacri Canones contra hæreticos statuerunt. Et quidem prima pœna contra hæreticos imposita est abjuratio, quæ definitur: *Solemnis hæresum detestatio cum assertione catholicæ veritatis, & obligatione permanendi in Fide Catholica*. Diversis autem modis eadem fieri potest, prout hæreticorum species distinguuntur. Etenim hæreticus formalis de formali abjurat, expresse scilicet errorem suum detestando; Suspectus violenter, aut vehementer, qui in tormentis sustinuit, non credidisse id, quod fecit, aut dixit Fidei Catholicæ oppositum, abjurat de vehementi, nempe non revocando errorem, in quem non incidisse sustinuit. Notat tamen Raynaldus (*a*), abjurationem propter violentam suspicionem in desuetudinem abiisse. Tandem leviter suspectus abjurationem de levi emittere debet, sed propter indiciorum levitatem tormentis affici nequit (*b*).

13. Secunda pœna hæreticorum est excommunicatio latæ sententiæ Summo Pontifici reservata (*c*), eamque incurrunt etiam receptores, fautores, & defensores hæreticorum, licet hæretici non fuerint denunciati, dummodo tales esse non ignorentur. Imo etiam legentes, aut retinentes sine opportunis facultatibus eorum libros, ut in Bulla Cœnæ expresse disponitur. Pœna tamen excommunicationis non extenditur ad eos, qui non contemplatione, & intuitu hæresis, sed ex alio titulo, v. g. cognationis, amicitiæ, vel simili hæreticis auxiliantur (*d*).

14. Tertia pœna est irregularitas ex delicto, quæ etiam post abjurationem, & pœnitentiam perdurat, ideoque tam hæretici formales externi, quam eorum receptores, & fautores, eorumque filii usque ad secundam

(a) *Observat. Crimin. in cap. 5. super art. 2. n. 3.* (b) *Raynaldus loco cit.* (c) *Cap. ad abolend. cap. excommunicamus, de hæreticis.* (d) *Cordin. de Albic. de incon. in fide p. 1. cap. 18.*

cundam generationem masculinam; & per fæmininam usque ad primam, ad quæcumque officia, & beneficia Ecclesiastica inhabiles fiunt (*a*); Imo iidem Hæretici privantur statim omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, & prævia degradatione Curiæ Sæculari puniendi traduntur (*b*). Quod vero de Hæreticorum filiis affirmavimus, eos nempe irregulares evadere, intelligendum est si eorum Patres in hæresi forte decesserint, si enim ii in Ecclesiæ sinum redierint, irregularitas a filiis contracta dissolvitur, ut ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii 21. Maji 1718. notavit P. Ubaldus a S. Cajetano (*c*).

15. Accedunt his aliæ pœnæ Ecclesiasticæ; privantur enim post mortem Ecclesiastica sepultura, & si eorum cadavera tumulata fuerunt, sunt exhumanda (*d*). Pro illis non est orandum (*e*), aliasque similes pœnas enumerat *Thesaur. in tract. de pœn. Eccles. p.2. verbo hæresis cap. 2.*

16. Præter spirituales, & Ecclesiasticas pœnas, aliæ etiam temporales ad compescendam hæreticorum audaciam fuerunt adjunctæ. Et primo loco inter has pœnas numeratur Confiscatio, & publicatio omnium bonorum (*f*); Ideoque filii ab hæreditate excluduntur, licet si filii nati fuerint dum Pater Catholicus erat, mitius ex æquitate Canonica cum istis quo ad successionem sit procedendum (*g*). Secunda pœna est Infamia facti, & juris, ideoque amissio nobilitatis a Principe ex Privilegio concessæ (*h*). Tertia pœna est amissio factionis activæ, & passivæ testamenti, ideoque hæretici non

(a) *Cap.2. §. hæretici, de hæret. in 6.* (b) *Cap. ad abolendam, de hæretic. & cap. ut commissi eod. in sexto.* (c) *In Instit. Canon. P. Remigii Maschat. lib. 5. Decret. tit.7.* (d) *Cap.2. de hæret. in 6.* (e) *Cap. firmissime, cap. sicut, eod. tit. in 6.* (f) *Cap. cum secundum de hæreticis in 6. & L. Manichæos §.1. cod. de hæretic.* (g) *DD. in cap. vergentis, de hæreticis.* (h) *Authent. Lazarus cod. de Hæret. & Manich.*

non possunt hæredem instituere, nec quidquam ex alieno testamento comparare (*a*). Quarta pœna est amissio Patriæ potestatis (*b*), omniumque jurium, quæ hæreticus habet in personas sibi quomodolibet subditas, ideoque statim post sententiam filius evadit sui juris, uxor libera a societate viri, & servi a dominio dominorum eximuntur (*c*). Quinta pœna est carcer perpetuus, vel ad tempus, juxta criminis, & personarum qualitates (*d*). Sexta demum pœna est ultimum supplicium, quod contra hæreticos statuitur (*e*),& juxta universalem consuetudinem post mortem hæretici comburuntur.

17. De jure tamen Canonico pœna mortis minime imponitur; Ecclesia enim a sanguine abstinet, ideoque hæretici postquam ab Ecclesiastico Judice fuerint ut tales condemnati, emissa de more protestatione, Judici sæculari traduntur, qui postea pœna mortis, vel ignis eosdem condemnat, prævia tamen degradatione, vel depositione simplici, si Hæreticus fuerit in sacris, vel in minoribus ordinibus constitutus. Neque est prætereundum, plurimum commendabiles esse in hoc rerum genere Principes sæculares Catholicos, qui pari animorum consensione contra hæreticos pœnas statuerunt, de quibus præclare inquit Leo Magnus (*f*): *Etiam mundi Principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut Auctorem ejus cum plerisque discipulis* (de Priscillianistis loquitur) *legum publicarum ense prosternerent; profuit ista districtio Ecclesiasticæ lenitatis, quæ etsi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum legibus adjuvatur*; ut luculenter etiam advertit Benedictus XIV. (*g*).

18. Pœ-

(a) *L. Ariani §. cunctis cod. de hæretic. L. Manichæos cod. eod.*
(b) *Cap. quicumque §. illorum, de hæreticis in 6.* (c) *Cap. absolutus, de hæret.* (d) *Cap. ut commissi, de hæret. in 6.* (e) *L. ubicunq. L. Manichæos, cod. de hæretic.* (f) *Epistola olim 93. nunc 17. ad Turribium Episcopum Asturicensem.* (g) *De Synodo Diœces. lib. 9. cap. 14. pag. 328. novæ edition.*

18. Pœnæ porro hactenus expositæ contra hæreticos formales confessos, aut convictos indicuntur; suspecti autem de levi leviter dumtaxat impositis salutaribus pœnitentiis, vel etiam pœna carceris ad tempus plectuntur. Vehementer vero, seu violenter suspecti gravius coercentur, & aliquando brachio sæculari relaxantur, ut in casibus relatis a Bordon. (*a*).

19. Diversimode insuper puniuntur sponte comparentes, ac qui non sponte comparent, sed officio Judicis capiuntur. Etenim sponte comparentes, abjurata hæresi, benigne ad salutarem pœnitentiam admittuntur. Licet autem eas pœnas incurrant, quæ ipso Jure contra hæreticos indicuntur, ut sunt excommunicatio, irregularitas &c. immunes tamen sunt ab aliis, quæ decreto Judicis essent infligendæ (*b*), Si vero capti fuerint, nec sponte comparuerint, adhuc mitius per Tribunal SS. Inquisitionis contra illos proceditur, si pœnitentes sint, & abjurare voluerint: sin minus, pœnis expositis afficiuntur (*c*).

20. Ut autem cumulatissime intelligatur hujus criminis gravitas, aliqua non præteribo, quæ in hoc crimine specialia sunt, & notatu digna videntur. Primo quidem, quod quisque fidelis tenetur hæreticos, vel de hæresi suspectos sub pœna excommunicationis denunciare, etiam probare non possit (*d*), & contraria sententia fuit ab *Alex. VII.* proscripta *propos.* 5. inter illas, quæ a dicto Pontifice fuerunt damnatæ,& ita concipitur: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis*. Imo denunciandi onus tale est, ut nec fraterna debeat monitio præcedere, ut præcisa cuicumque disputationi ansa decla-

(a) *In Manual. Sacræ Inquis. cap.12. q.19. n.133.* (b) *Panimol. decis.92. annot.3. n.4.* (c) *Cardinal. Albici lib.1. cap.18. num.1. & seqq.* (d) *Antonel. de Regim. Eccl. lib.6. cap.19. n.2. Farinac. de hæresi q.197. §.2.*

claravit *Alexander VII.* & refert P. Viva (a). Secundo notandum, hoc crimen ad differentiam aliorum nunquam præscribi, ideoque hæreticum, & ejus memoriam etiam post mortem posse condemnari, v. g. illius effigiem comburendo, si vivus reperiri nequirerit (b). Tertio licet ad probanda alia crimina testes perjuri non admittantur, & probationes luce meridiana clariores concurrere debeant, tamen cum de probatione hæresis agitur, posse omnes admitti, imo & semiplenas probationes sufficere, cum id in favorem fidei vergere videatur (c). Quarto, & ultimo, Papam, si per falsam hypothesim de hæresi esset suspectus, posse judicari, & condemnari; cum de cætero propter quæcumque alia crimina judicari, & condemnari non possit, juxta tritum proloquium: *Prima Sedes a nemine judicatur* (d). Dixi *per falsam hypothesim*, quia certo credimus, fieri non posse, ut Summi Pontifices ex Cathedra definientes in hoc crimen elabantur, juxta celebre oraculum Christi Domini: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* (e). Reliquum modo est, ut quis sit Judex hæresis, seu ad quem hæresis cognitio privative pertineat, pro coronide hujus tituli videamus.

21. Quemadmodum autem certa plane res est, crimen hæresis esse mere Ecclesiasticum, ita omnino descendit, privativam ejus cognitionem ad Summum Pontificem, ad Episcopos in suis Diœcesibus, ad Capitulum sede vacante, vel ad Inquisitores fidei specialiter a S. Sede deputatos pertinere, cujus sane propositionis veritas tum perspicuis Textibus *in cap. cum secundum, in fine de hæreticis in 6. cap. ad abolenda §. præsenti eodem titulo, cap. excommunicamus eodem*, cum aliis relatis *a Lauria in epitome Juris Canonici*, qui varias etiam Pontificum Constitutiones accurate recenset, tum

(a) *Damnat. Thes. p. 2. ad cit. prop. 5. ejusdem Pontificis num. 6.*
(b) *Cap. accusatus, de hæret. in 6.* (c) *Cit. cap. accusatus.*
(d) *Can. si Papa dist. 46.* (e) *Matt. 8.*

tum ex ratione ipsa ab intrinseco demonstratur; cum enim hæresis Religionem impetat, quæ est universæ Pietatis fundamentum, nemo non videt, cum Laici Judices in causis religionem respicientibus se ingerere nequeant (*a*), pari jure non posse eos in causa hæresis se se immiscere; Et si olim Religionis causa etiam apud Idolorum cultores, Judices sacris ministeriis addictos postulabat, ut notissimum est, & apud Romanos controversiæ omnes ad Religionem, resque sacras directæ ad Collegium Pontificum deferebantur, ut testatur Livius (*b*): potiori jure decet in vera fide, quam avulsis Idololatriæ tenebris benedicente Domino profitemur, Judicium hæresis a solis Ecclesiasticis Judicibus fieri debere, ut apposite inter alios concludit Ugolinus (*c*).

22. Quin obstent aliqui Textus Juris civilis, qui in medium solent obtrudi, signanter *in l.* 1. §.1. *cod. de summa Trinitate, & l. quacunque* §.1. *cod. de hæreticis*, quibus Imperatores jus puniendi hæreticos sibi attribuerunt; Ultra quod enim leges istæ civiles fuerunt Jure Canonico revocatæ, possunt etiam facile conciliari, si dicamus, vetustos Imperatores ad celeriorem hæresum extirpationem Ecclesiasticæ potestati adstitisse, seu leges Ecclesiæ executioni mandasse, quo quidem sensu etiam Concilia generalia ab ipsis abusive convocata fuisse docuimus in Institutionibus Canonicis (*d*).

23. Merito autem diximus, vel ad Summum Pontificem, vel ad Episcopos in suis Diœcesibus, seu Capitulum sede vacante, vel ad Inquisitores specialiter deputatos cognitionem hæresis pertinere; exploratum est enim, utrisque provinciam hanc in fide inquirendi fuisse demandatam tum in *cap. quoniam de hæreticis in* 6. tum *in Clementina multorum eod. tit.* tum in Constitutionibus Apostolicis, quibus Inquisitores in adjutorium Episcopo-

(a) *Ad Textus litterales in cap. novit, cap. decernimus, de judiciis cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit.* (b) *Lib.* 10. *decadis* 1. *& lib.* 6. *decadis* 3. (c) *De hæreticis cap.* 8. (d) *Tit.* 2. §.1.

coporum delegati leguntur, de quorum quidem Inquisitorum auctoritate cum supra satis tractaverimus, iterumque amplior sit sermo rediturus *in tractatu Romanæ Curiæ* (a), idcirco ad ea, quæ ibi diximus, & in *eodem tractatu Romanæ Curiæ* dicturi sumus, Lectorem remittimus.

24. Ad diluenda tamen æquivoca, quæ in hac re facile possent exurgere, monendum arbitramur, quod licet, ut supra diximus, leviores etiam probationes, & semiplenæ in hoc crimine plane sufficiant, id tamen intelligere oportet si de damnando aliquo ut suspecto de hæresi agatur, si enim è contra hæreticus, ut formaliter hæreticus, sit condemnandus, plenæ probationes exiguntur, cujusmodi forent libri, & scripta Hæretici, ejusdem confessio, Testes, aliæque similes probationes, quæ saltem ex indiciis aliquem esse hæreticum manifeste convincant, ut concludit Carena (b).

TITULUS III.

De Crimine Schismatis.

Tanta sane est Schismatis cum hæresi connexio, ut licet possit dari Schismaticus, qui simul hæreticus non sit, id tamen perraro contingat. *Nullum enim Schisma*, inquit S. Hieronymus (c), *non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*: merito igitur post tractatum de hæresi, de crimine Schismatis sermo instituitur.

2. Schisma nomen est græcum, scissuram seu divisionem significans (d), & definitur: *Divisio, separatio, seu subtractio ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam illi-*

(a) *Lib. 1. tit. de Congr. Inquisitionis.* (b) *Part. 3. tit. 3. de Officio Sacræ Inquisitionis §. 3. per totum.* (c) *In Can. inter hæresim 24. quæst. 3.* (d) *Can. Schisma 23. q. 1.*

illicite facta (a). Cum enim Ecclesia sit unum corpus mixtum ex diversorum statuum fidelibus tamquam membris inter se, & sub uno capite Christo, ejusque in terris Vicario connexis, hinc quotiescumque aliquis populus ab unitate Ecclesiæ se dividit, aliquem sibi Episcopum, vel Patriarcham constituendo, cui excluso Rom. Pontif. in spiritualibus obediat, Schisma committere dicitur, quia unitatem, & pacem Ecclesiæ perturbat (*b*). Indeque facile submovetur objectum, quod contra definitionem Schismatis solet proferri erutum *ex Can. denique 7. q. 1.* ubi legitur: *Qui Schisma faciunt, & relicto Episcopo, alium sibi foris Pseudo episcopum constituunt*. Ex quo inferri posse videtur, Schismaticum non esse solum qui ab unitate Ecclesiæ sese diviserit, sed etiam qui se a suo Prælato sejunxerit. Respondetur enim, quod in objecto canone agitur de Rom. Episcopo, seu de Sum. Pontifice Cornelio, a quo qui discesserint, proprium Schisma committunt, ut fusius explicant Anacletus (*c*), Azor. (*d*), aliique.

3. Dixi supra, sæpe schisma cum hæresi quoque conjungi; unde trita Schismatis divisio est in Schisma purum, & conjunctum cum hæresi. Purum est hactenus explicatum: Conjunctum autem cum hæresi, quando aliquis non solum est a corpore Ecclesiæ sejunctus, nec vult cum aliis fidelibus communionem habere, sed etiam in aliquo fidei dogmate discrepat atque dissentit. Exemplum esse potest in eo, qui non solum nollet ob voluntatis malitiam Romano Pontifici obtemperare, verum etiam Primatum ejusdem in Ecclesia, & Vicariam Christi Domini potestatem impugnaret (*e*). Cæterum si quis ab obedientia Romani Pontificis sese subtraheret solo intuitu inimicitiæ cum ejusdem persona, vel ad captandam gratiam alicujus Principis, non animo

(a) *Lancell. lib. 4. Inst. tit. 4. Hostien. in Summ. lib. 5. hoc tit.*
(b) *Ex cap. 1. & 2. de Schismate.* (c) *Ad tit. de Schis. n. 6.*
(d) *Par. 1. lib. 8. q. 2. n. 4.* (e) *S. Thom. 2. 2. q. 89. artic. 1.*

animo se separandi ab Ecclesiæ capite & corpore, Schisma nequaquam committere diceretur.

4. Sane si Schisma cum hæresi conjungatur, pœnæ Schimaticorum illæ sunt, quas pro hæreticis statutas esse docuimus; si vero Schisma sit simplex & purum, pœnæ eorum sunt excommunicatio Summo Pontifici reservata, quam ipso jure incurrunt, ut in Bulla Cœnæ disponitur, privatio Beneficiorum, & inhabilitas ad alia obtinenda, depositio, etiamsi fuerint Cardinales, & quacumque etiam regali dignitate insigniti, bonorum confiscatio, incapacitas Jurisdictionis exercendæ, & ultimum supplicium, si nulla spes emendationis superesse videatur, sed in pertinacia magis magisque insordescant (a). Dixi, *si nulla spes emendationis superesse videatur*; Etenim non æque Schismatici puniuntur, sed sicuti supra notavimus, diversimode pœnis hæreticos affici, si pœnitentes sint, ac si impœnitentes; si lapsi sint, aut relapsi; si sponte compareant, aut per vim compellantur: ita servata eadem distinctione contra Schismaticos est procedendum (b), unde merito ajebat S. Augustinus *lib.3. contra Epist. Parmeniani n.19. tom.9. oper. col.64.* cum summa cautela esse in hoc genere procedendum, ne ex nimio zelo, qui *non semper est secundum scientiam*, Schisma vel excitetur, vel foveatur, ut innuere videntur verba Sancti Doctoris ibi: *Cum quisque fratrum idest Christianorum in Ecclesiæ Societate constitutorum in tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum Schismatis nullum est &c. Si vero crimen notum est, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit Schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ*: Et egregie etiam notavit Benedictus XIV. (c). Nunc ad Apostasiam progrediamur.

TITU-

(a) *Can. didicimus 24. q. 1. cap. unico de Schismaticis in 6.*
(b) *Card. Albici de inconst. in fide lib.1. cap.11. n.19. & cap.18. & seqq.* (c) *De Synodo Diœces. lib.9. cap.9. pag.315. novæ edit.*

TITULUS IV.

De Crimine Apostasiæ.

EO sane aliquando pervenit hominum malitia, ut non tantum alicui catholicæ Religionis articulo contradicant, & audacter resistant, in quo hæresis consistit, nec solum ab Ecclesiæ corpore separentur, quod est Schisma, ut hactenus diximus, verum etiam a Sacrosancta Religione prorsus recedere, & alicui sectæ nomen dare non erubescant; ideoque post superiores titulos de Hæresi, & de Schismate, de Apostasia pertractamus.

2. Apostasia græco vocabulo latine desertionem significat, & definitur: *Recessus a statu Fidei per illum, qui Christianam religionem susceperat, temere factus* (*a*). Dicitur apostasia *recessus a statu Fidei*, per quæ verba Apostasia ab hæresi distinguitur. Hæreticus enim non integre a vera religione recedit, prout facit apostata, qui penitus a sancta religione descíscit (*b*). Talis autem recessus quadrupliciter consideratur, vel scilicet est recessus a fide, & dicitur Apostasia perfidiæ, vel est recessus ab obedientia Superiorum, eorumque mandatis, & dicitur obedientiæ, vel est recessus a religione, seu regula, quam quis servaturum promisit, & Apostasia religionis appellatur, vel est recessus ab Ordine, & Apostasia (*c*) ab Ordine dicitur, ut notat Migliorucci (*d*). Superfluam quidem ipse vocat Apostasiam obedientiæ; *Etenim vel aliquis*, inquit, *Summo Pontifici, aliisque Ecclesiastico Antistiti non obtemperat, credens eumdem non posse Canones condere, & ipse erit hæreticus; vel ob aliam causam non obtemperat, & licet talis*

(a) *Hostiens. in Sum. tit. de Apost.* (b) *Can. per capit. 17. dist. 30. Can. hæresis 24. quæst. 3. cum aliis.* (c) *Gloss. in cap. 1. verb. Apost. de apostatis.* (d) *Tom. 4. Inst. hoc tit. n. 171.*

talis contemptus sit certe punibilis, nunquam tamen Apostasiam inducit. Hactenus ille. Cæterum divisio ista est communiter admissa, proindeque non rejicienda.

3. Apostasia a fide, sive perfidiæ, quæ longe gravior est aliis, est *totalis recessus a fide Christiana*; neque enim committitur per resistentiam alicui S. Religionis articulo, in qua hæresis consistere dicitur, ut supra satis ostendimus, sed in eo, quod quis post recessum a tota fide ad aliquam sectam convertatur, v.g. si Turca vel Judæus evadat (a); & cum iste quidem recessus, vel actibus internis simul, & externis constituatur, vel externis tantum indiciis appareat, hinc Apostasia perfidiæ in realem, & præsumptam dividitur. Realis est illa, in qua interni, externique actus simul concurrunt, præsumpta vero est, quæ per externum alicujus sectæ amplexum perficitur, licet quis interne Sanctam Religionem non deserat, prout contingit in illis, qui metu tormentorum adacti, Idolis immolasse leguntur, contra quos tamen Ecclesia, quæ de internis non judicat, tanquam veros apostatas animadvertit, ut notant DD.

4. Quamvis vero non omnis hæreticus sit apostata, omnis tamen apostata est simul hæreticus, ideoque merito pœnæ pro execrabili apostasiæ crimine constitutæ illæ sunt, quas supra de hæresi agentes numeravimus; eademque servatur proportio inter lapsos, & relapsos, pœnitentes, & impœnitentes, sponte comparentes, atque compulsos. Verum silentio non est in hac re prætereundum, Ecclesiam rigorem illum, quo contra apostatas perfidiæ olim procedebatur, longe temperasse. Primis enim sæculis, venia etiam ipsis denegabatur, ut notat Gonzalez (b), & innuitur *in Leg*. 3. *Cod. de apostat*. Deinde vero in Concilio Nicæno a Siricio Summo,

(a) *Cap.* 1. *eod. tit. l.* 1. *cod. eodem*. (b) *In cap.* 2. *&* 26. *Concil. Illiber.*

mo Pontifice (*a*) fuit constitutum, ut apostatæ toto vitæ tempore pœnitentiam peragerent, & excepto mortis articulo a communione arcerentur. Recentiori tandem jure dispositum est, ut hæreticorum pœnis afficiantur *ex textu in cap. contra Christianos, de hæret. in 6.* ut adnotant Gonzalez (*b*), Carena (*c*), Card. Albici (*d*), aliique.

5. Optime autem pernoscens eadem Ecclesia, quam detestabile sit, & horrendum Apostasiæ crimen, omnem profecto lapidem movit, ut ne dum fideles in Sacrosancta Religione persisterent, sed ut omnes illi, qui in proprias sectas, & ritus eosdem fideles attrahere tentarent, e propriis terris ejicerentur; atque ista quidem causa fuit, ob quam licet Judæi pacifice viventes, & exequentes Constitutiones Apostolicas, signanter S. Pii V. editam Kalend. Martii anni 1563. aliorumque Pontificum, in locis, in quibus semel admissi fuerint, tolerentur, ut facilius tali medio ad Christianam Religionem alliciantur, ut explicat Gonzalez (*e*); Quia tamen aliquando per nefandas machinationes, & scandala in suas partes Christianos adducere moliebantur, merito fuerunt pluries ejecti, ut signanter contigit in Hispania, Gallia, Lusitania, aliisque Provinciis, aut Regnis, ut notant Paschal. (*f*), Simanch. (*g*), aliique.

6. Ad submovenda vero quævis æquivoca, quæ in hoc genere facile insurgunt, pro intelligentia casuum, in quibus Christiani dicantur exterius apostatare per professionem ritus ab Infidelibus exerceri consueti, non est incongruum adnotare, quod, quamvis perpetuo caverit Ecclesia, ne ea a Fidelibus exercerentur,

(a) *Epist. 1. ad Himerium cap. 3.* (b) *In cap. quidam, de Apost. in 6.* (c) *De Off. S. Inquisit. p. 2. tit. 3. §. 8.* (d) *De Inconst. in fide par. 1. cap. 8. & 9.* (e) *In cap. Judæi 3. de Judæis sub num. 9.* (f) *De patr. potest. par. 1. cap. 7. num. 25.* (g) *De Cathol. Inst. tit. 35. num. 9.*

tur, quæ alicujus sectæ doctrinam sapere videbantur, (ea enim omnino abolenda perpetuo constituit, licet in cultum veræ Religionis ab aliquibus dirigi jactitaretur, unde agente olim Episcopo Angelopolitano Johanne de Palafox damnatus merito fuit ab Innocentio X. error ab aliquibus suscitatus, *licere scilicet coram Idolo genuflectere, eique incensum adolere, dummodo in honorem Crucifixi*, quem occulte gestabant, *dirigeretur*; Itemque proposito dubio a Patriarcha Æthiopiæ S.Congreg. Inquisit., an ex devotione imitandi Redemptorem liceret Æthiopibus Christianis se circumcidere? Responsum est, *quocumque prætextu fieret, id tolerandum non esse*;) tamen si ageretur de nonnullis ritibus, & consuetudinibus, quæ nullam falsæ sectæ professionem inducerent, aut præseferrent, sed argumenta forent urbanitatis, & possent cum Catholica Religione subsistere, eas quidem Ecclesia toleravit, ut adimpleretur Apostoli monitum (*a*): *Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer; iis vero, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem*. Quamobrem constat, cæteris exemplis, quæ proferri possent, omissis, sæculo XVI. sub Clemente VIII. indultum fuisse Ruthenis petentibus Romanæ Ecclesiæ reuniri, ut omnibus cæremoniis, & ritibus antiquioribus, quorum ipsi tenacissimi erant, uterentur, dummodo fidei Catholicæ non contradicerent, ut testatur Thomas a Jesu (*b*). Proindeque his aliisque exemplis ad examen revocatis, infallibili Ecclesiæ judicio remittendum est ex particularibus circumstantiis statuere, ac definire, quæ consuetudines infidelitatis permittendæ sint, quæ reprobandæ; nam *plerumque virtus cum indiscrete tenetur, amittitur, cum discrete intermittitur, retinetur*, inquit S. Gregorius (*c*).

 7. Ha-

(a) 1. *ad Corinth.* 9.20. (b) *De Convers. omnium gentium* 3. *p. lib.*6. *cap.*1. (c) 28. *moral. cap.*6.

7. Hactenus de Apostasia perfidiæ tractatum est. Nunc ad Apostasiam *ab obedientia* gradum faciamus. Porro Apostasia ab obedientia generaliter sumpta est omne peccatum, quia peccando præcepta Dei contemnimus, ejusque legi non obedimus, & ab obedientia eidem debita deficimus, unde legitur in Ecclesiast. (*a*): *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus*. Strictius autem Apostasia *ab obedientia* committitur ab eo, qui per superbiam, & contemptum præceptis legitimorum Prælatorum, vel Sacrorum Canonum obedire recusat (*b*). Contra quos quidem apostatas statuta est pœna infamiæ, excommunicatio, inhabilitas ferendi testimonium, & si in superbia persistant, post consuetas monitiones deponuntur, & Curiæ Sæculari traduntur (*c*).

8. Apostasia a Religione *est recessus ab Instituto, quo quis solemni voto erat obstrictus*, seu *est vera desertio Religiosi Status, & transitus ad alterum animo ad primum non revertendi, manente tamen prioris Status obligatione*; ex quibus sane verbis eruitur, quænam debeant requisita concurrere, ut aliquis apostata a Religione proprie dicatur. Primo enim debet recessisse, ut jugum vitæ regularis excuteret; ideoque ob aliam causam a Religione recedens, proprie apostata dici non potest, v. g. ad prædicandum, vel ob aliud spirituale motivum. Secundo requiritur, quod a vera Religione per Summum Pontificem approbata recesserit, potest enim impune quis Religionem non approbatam deserere (*d*). Tertio, quod post emissam solemnem professionem, & obligationem servandi Constitutiones recessio contingat; nam tempore Novitiatus recedere licet.

(a) *Cap. 10.* (b) *Cap. Illud, & cap. Si quis venerit, de major. & obed.* (c) *Can. Si quis a vero 3. q. 1. Can. Si autem vobis 2. q. 3. Farinacc. q. 183. §. 5. num. 57.* (d) *Cap. unico de voto, & voti redempt. in 6.*

ect. Quarto, quod careat proposito revertendi, si enim quis cum animo revertendi ad tempus discedat, peccat quidem mortaliter, & excommunicationem incurrit, potius tamen fugitivus, quam apostata dicitur, ut disponitur *in Extrav. viam veritatis, de Regularibus*, & firmat Farinacc. (*a*). Quinto debet ad Statum Sæcularem, sive Clericalem, sive Laicalem pertransire, si enim aliam Religionem assumat, non erit apostata, sive laxior, sive strictior sit alius Ordo susceptus, cum hoc tamen discrimine, quod alium laxiorem Ordinem sine licentia Papæ suscipiens potest puniri, & ad priora Claustra revocari, qui vero ad strictiorem Ordinem transit, puniri prorsus non potest, dummodo sui Superioris licentiam expresse, licet denegatam postulaverit (*b*). Sexto demum requiritur, quod obligatio prioris status perseveret; si enim quis cum licentia Papæ discedat, prout contingit, cum ad Episcopatum assumitur, vel quando ex gravi, & publica causa de ejusdem Papæ dispensatione a votis Religionis eximitur, apostata certe non dicitur, ut notat Fagnanus (*c*). Cæterum in praxi apostata regularis censetur, & ut talis tractatur, qui extra Claustra sine Superiorum licentia habitu licet retento, & cum animo redeundi ad Religionem, moratur, ut definivit Congregatio Concilii an. 1624. annuente Urbano VIII. ac refert inter alios Bened. XIV. (*d*), qui etiam provide sanxit in Constitutione incip. *Pastor bonus*, quæ est *in ejus Bull. tom. 1.* accurate cavendum in facultatibus, quæ a Congregatione Episcoporum, vel a Pœnitentiaria apostatis regularibus dantur, ut ad alium Ordinem transeant, ne per hujusmodi transitum iteratæ fugæ, vel apostasiæ aditus patefiat.

9. Quemadmodum apostatæ sunt Religiosi, qui susce-

(a) *In tract. de hæres.* (b) *Cap. Licet, de regular.* (c) *In Cap. Cum Monasterium 66. de Statu Monach.* (d) *De Synod. Diæces. lib. 13. cap. 11. num. 14.*

susceptum jam institutum cum qualitatibus supra expositis deserunt, ita Apostasiæ crimen committunt Clerici sacris Ordinibus initiati, qui sine debitis facultatibus, quæ perraro a S. Sede conceduntur, ad vota sæcularia libere redeunt; ideoque dixi Apostasiam unam esse a Religione, ab Ordine alteram, seu tribus expositis Apostasiæ speciebus quartam pariter adjiciendam, quæ *ab Ordine* dicitur.

10. Sane variis pœnis apostatæ a Religione afficiuntur; talis enim apostata ipso jure excommunicatur (*a*), fit irregularis, ideoque si tempore Apostasiæ fuerit ordinatus, nequit etiam post reditum ad Religionem seclusa Papæ dispensatione in Ordinibus ministrare (*b*); Et si per annum in Apostasia indurato corde persistat, suspectus est de hæresi, & a Tribunali S. Inquisitionis judicatur. Acceduntque his pœnæ omnes, quæ ex censura particularium Constitutionum diversorum Ordinum contra apostatas indicuntur. Late Thesaur. (*c*), Donat. (*d*), aliique.

11. Quo vero ad pœnas *eorum, qui a sacris Ordinibus apostatare dicuntur*, isti quidem, si post sacros Ordines rite susceptos audeant de facto matrimonium contrahere (*e*), præter amissionem beneficiorum, ipso jure excommunicantur, infames evadunt, ab omnibus actibus legitimis repelluntur, & si pertinaciter perseverent, Curiæ Sæculari puniendi traduntur.

12. Dixi *quo ad illos, qui in Sacris sunt constituti*, qui enim sunt in minoribus Ordinibus positi, proprie non sunt apostatæ, sed horum quoque ea conditio est, ut olim ipso jure beneficiis Ecclesiasticis vigore Constitutionis Sixti V., quæ incipit *Sacrosanctum*, & alterius, quæ incipit *Pastoralis* relat. a Piaseccio (*f*) privarentur, si habi-

(a) *Cap. ut periculosum, ne Clerici, vel Monachi in 6.* (b) *Cap. final. de Apostas.* (c) *De pœnis Canonic. p. 2. cap. 1. & seq.* (d) *In Prax. Regul. tom. 1. p. 2. tract. 6. quæst. 14.* (e) *Clement. unica de consanguinitate.* (f) *In Prax. part. 2. cap. 3. n. 14.*

habitum, & Tonsuram dimitterent, quæ tamen Constitutiones moderatæ provide fuerunt a Benedicto XIII. in sua Constit. incipien. *Catholica Ecclesia*, quæ refertur post Concilium Romanum num. 5., in qua quidem decrevit, Clericos non deferentes habitum ipso jure fructus suorum beneficiorum amittere, eosque absque ulla declaratione suos facere non posse, sed fabricæ Ecclesiarum suarum, seu in quibus sita sunt beneficia, erogare debere; quo vero ad pœnam privationis beneficiorum inducendam, præviam admonitionem requirendam esse sancivit, & juris ordine servato ex censura Tridentinæ Synodi *sess. 14. cap. 6. de reformatione*, procedi. Quamvisque insuper non defuerint, qui ab eodem Clerico in minoribus constituto, si in habitu non incedat, privilegium fori, & canonis amitti docuerint; tamen Pignatellus (*a*), Gonzalez (*b*), aliique, amitti quidem a tali Clerico privilegium Fori fatentur, aliis tamen privilegiis retentis, ex solida illa urgentique ratione, quod ante Tridentinum Clericus non incedens in habitu nullum privilegium amittebat; cumque idem Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reformatione*, de solo privilegio Fori loquatur, non debet hinc ad privationem aliorum privilegiorum fieri extensio, quæ remanere debent sub dispositione juris antiqui; tum quia tantum intelligitur correctum, quantum expressum, tum quia in odiosis, & pœnalibus Leges sunt restringendæ *ad litteralem Textum in cap. odia, de regulis juris in 6.*

TITULUS V.

De crimine Simoniæ.

Simonia, quæ inter delicta nominata Ecclesiastica, per quæ principaliter Deus offenditur, præcipue adscribitur, a Simone Mago sic dicitur, qui sacrilege obla-

(a) *To. 3. consul. 7. per tot.* (b) *In regul. 8. Cancell. glossa 5. §. 5.*

oblato Apoſtolis pretio, ut aliis poteſtatem conferendi Dona Spiritus Sancti reciperet, illam perpetravit, & primus legitur in novo Teſtamento hujus criminis reus, ut videre eſt in Actibus Apoſtol. (*a*), licet etiam ante Simonem plures extiterint, qui hoc graviſſimo ſcelere ſe contaminarunt, ut variis exemplis adductis oſtendit *Migliorucci* (*b*). Definitur autem Simonia: *Studioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpiritualia, vel ſpiritualibus adnexa intentione, conventione, aut opere exercita* (*c*). Dicitur: *Studioſa voluntas*, quæ verba non ſolum indicant deliberatum judicium, quo Simoniacus peccat, verum etiam demonſtrant, Simoniacum eo tendere, ut intentione vel cum facto, vel ſine facto conjuncta dona Dei pretio mercetur, licet numquam aſſequi poſſit, ut ad realem emptionem, venditionemque procedat, cum res ſpiritualis, vel ſpirituali adnexa vendi non poſſit; ut dicitur in *Can. Judices* 23. 1.*q.*1. *& Can. multiplices, eadem Cauſa, & quæſt.* Dicitur *emendi, vel vendendi*, per quæ verba intelligitur omnis contractus non gratuitus, quo res aliqua temporalis pretio æſtimabilis detur tamquam rei ſpiritualis, vel ſpirituali adnexæ compenſatio (*d*). Dicitur *intentione, conventione, vel opere exercita*, quæ quidem verba ampliſſime innuunt, Simoniam in mentalem, conventionalem, & realem dividi poſſe.

2. Simonia mentalis eſt illa, quæ ſola mente concipitur, nec ullam pactionem, vel actionem includit; atque iſta quidem poteſt cum effectu conjungi, vel effectu carere. Conjungitur cum effectu, v. g. in Cappellano, qui pecuniam pro celebratione Miſſæ receptam, tamquam illius pretium recipere intendit: ab effectu vero ſejungitur in eo, qui vult v.g. aliquid ſpiri-

(a) *Cap.*8. *& in Can. qui ſtudet* 1. *q.*1. (b) *Inſtit. Canon. tom.*4. *tit.*3. *num.*1. (c) *Gloſ. communis, & recepta in princip. Cauſæ primæ*. (d) *Can. ſunt nonnulli* 114. *cum aliis* 1. *q.*1.

ſpirituale vendere, aut emere, licet executioni id non committat. Utroque tamen caſu, ut mentalis dicatur Simonia, prava voluntas non conſtare ſupponitur, ideoque ſolum Deum crimen iſtud habet ultorem, ut notat Gloſſa (*a*), nec poteſt ab Eccleſia puniri, cum de internis ipſa non judicet (*b*), ut alibi diximus, & late oſtendunt S. Thomas (*c*), ac Fagnanus (*d*).

3. Simonia conventionalis eſt illa, in qua pactum tacitum, vel expreſſum, verbis, ſcripto, aut aliis ſignis manifeſtatum intervenit, licet nihil realiter detur, aut recipiatur. Eo enim pacto, quo emptio, & venditio dicitur eſſe perfecta ſimul ac de pretio partes convenerint, licet nec pretium, nec arrha fuerint perſoluta (*e*): ita hæc Simoniæ ſpecies in ſuo genere dicitur eſſe completa, licet effectus non fuerit ſecutus (*f*).

4. Simonia demum realis eſt illa, in qua vera, & realis traditio rei ſpiritualis, & reſpective pretii temporalis pro ipſa concurrit; & vel pactio nulla præceſſit, & Simonia realis ſimpliciter dicitur: vel pactum cum reali traditione conjungitur, & Simonia in omni ſpecie perfecta eſt, & conſummata, quia ultra Simoniam realem, conventionalem quoque, mentalemque complectitur (*g*).

5. Dividitur inſuper Simonia in eam, quæ Juri Divino repugnat, & eam, quæ ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibetur. Quoniam vero facile intelligitur iſta diviſio, ſi primo intelligatur, quid res ſpiritualis, & ſpirituali adnexæ nomine veniat, id incunctanter eſt expendendum. Quæcumque porro res ſpiritualis, vel talis eſt natura, vel cauſa, vel effectu. Natura, ſeu eſſentia, ut

(a) *In cap. Conſulere, & cap. final. de Simon.* (b) *Can. Cogitationis 14. de pœnit. diſt. 1.* (c) *2. 2. quæſt. 100.* (d) *In cap. ex parte num. 19. de off. deleg.* (e) *Inſtit. de emption. & vendit. §. 1.*
(f) *Gloſ. in cap. 2. de confeſſis, verbo Saracenorum.* (g) *Lotherius de re benef. lib. 3. q. 29.*

ut ſunt gratiæ ſupernaturales tam gratum facientes, quam gratis datæ, tam habituales, quam actuales, & omne id, quod in jure conſiſtit, ut jus eligendi, jus conferendi beneficia, & alia his ſimilia, quæ ſenſibus non ſupponuntur (*a*). Vel cauſa, prout ſunt Sacramenta, quæ gratiam producunt, & Sacramentalia, quæ ad gratiam diſponunt, v.g. Benedictio aquæ luſtralis, aliaque his ſimilia, quæ aliquid habent temporalis, & ſenſibus ſubjiciuntur, ideoque res non mere ſpirituales vocantur. Effectu tandem ſunt res, quæ a dono, poteſtate, & juriſdictione ſpirituali procedunt, ut miraculorum patratio, diſpenſatio in votis, juramentis, aliaque hujuſmodi (*b*).

6. Res autem temporales ſpiritualibus adnexæ tripliciter conſiderantur a D. Thoma (*c*), ſcilicet vel *antecedenter*, ut ſunt res, quæ licet ex natura ſua ſint materiales, tamen præcedunt rem ſacram, ad quam referuntur, cujuſmodi ſunt calices, altaria, veſtimenta &c. quæ licet materialia ſint, accedente conſecratione, formam ſpiritualem videntur induere; Juſpatronatus inſuper, quod præſentationem ad beneficium præcedit, hiſque ſimilia; Vel *concomitanter*, ut eſt labor corporis, & quæcumque actio in officio ſpirituali, v.g. in recitatione Officii, & adminiſtratione Sacramentorum exercita; Vel demum *conſequenter*, ut ſunt beneficia Eccleſiaſtica, quæ propter ſpirituale officium conferuntur. Late Cabaſſutius (*d*), & Giballinus (*e*).

7. Jam vero res ſpirituales indiſtincte nequeunt cum pretio temporali permutari, ut conſtat *ex Can. gratia 1. q. 1. & cap. cum in Eccleſia, cap. ea quæ, cap. ad Apoſtolicam, de Simonia, aliiſque juribus*, ſive de eo genere ſint, quæ a ſenſibus ſunt prorſus excluſæ, ſive de earum numero, quæ ſenſibus ſupponuntur: quin obſtet Eccle-

(a) *Gloſſ. in can. 1. verbo gratia q. 1.* (b) *Anacletus in hunc tit. n. 44. & ſeq.* (c) *2. 2. q. 100. art. 4.* (d) *Lib. 5. cap. 3. n. 2.* (e) *De Simonia quæſt. 3. num. 5.*

Ecclesiæ consuetudo, qua pro Missarum celebratione, prædicatione Evangelii, exequiis defunctorum, aliisque similibus actibus aliquid Ecclesiæ ministris persolvi permittitur; Nam id non tamquam pretium rei spiritualis accipitur, sed in sustentationem ministrorum, qui cum altari serviant de altari vivere debent, ut ex Apostolo (a) respondit Innocentius III. (b).

8. Res autem temporales, spiritualibus tamen adnexæ, vendi utique possunt, & quocumque alio modo in commercium temporale deduci, dummodo id ratione solius materiæ fiat, & nullus respectus ad spiritualia habeatur; unde calix argenteus potest vendi inspecto argenti valore, & dummodo pretium ratione consecrationis non augeatur. Pariter beneficiato permittitur posse fructus sui beneficii, qui temporales sunt, vendere, locare, & permutare, secus autem jus percipiendi, quod a beneficio separari non potest, ut advertunt inter alios Suarez (c), Castropalaus (d), aliique communiter. Nunc ad divisionem Simoniæ supra indicatam redeamus.

9. Simonia juri divino & naturali repugnans committitur quoties pro re temporali res spiritualis, aut huic adnexa, promittitur, aut realiter datur; unde cum Ecclesiasticum beneficium res spiritualis existat, quæ propter spirituale officium confertur, dubitari nequit, Simoniam Juris divini committi, si pro eo consequendo aliquid temporale detur, vel promittatur; Simonia vero Juris Ecclesiastici sic dicta, quia ab Ecclesia inducta est, tunc perpetratur, cum non datur temporale pro spirituali, aut è contra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali contra legem ecclesiasticam ex motivo Religionis sub pœnis Simoniæ id prohibentem; Talis porrò Simonia Juris Ecclesiastici

(a) 1. *A Corinth. cap.9.* (b) *In cap. cum secundum, de præbend. & dignitatibus.* (c) *Lib.4. de Simon. cap.14.* (d) *Eod. tit. disp.3. puncto 8.*

ſtici eſt omnis permutatio Beneficiorum facta propria auctoritate; licet enim tunc non committatur Simonia Juris divini, quia non datur temporale pro ſpirituali, ſed ſpirituale pro ſpirituali, nihilominus quia tamquam Simoniacum, & ſub pœnis Simoniæ ab Eccleſia prohibitum eſt, ne hoc propria auctoritate peragatur (*a*), labem Simoniæ Eccleſiaſticæ continet. Talis etiam Simoniæ ſpecies committitur, quando collitigantes ſuper lite Beneficiali tranſactionem perficiunt (*b*); eodemque modo Simonia Juris Eccleſiaſtici eſt, quando venduntur Officia Oeconomi, Theſaurarii, Cuſtodis, Sacriſtæ, & alia ſimilia ad rerum Eccleſiæ temporalium adminiſtrationem ordinata; licet enim hæc officia ſint aliquid mere temporale, & conſequenter in eorum venditione ſolummodo temporale pro temporali dari videatur: tamen quia Eccleſia id tamquam Simoniacum vetuit (*c*), venditio hujuſmodi, labi, & pœnis Simoniæ certo ſupponitur, ut latiſſime firmat, Juribus citatis, Reinfeſtuel (*d*).

10. Ad Simoniam Juris Eccleſiaſtici præcipue reducitur Simonia confidentialis in eo conſiſtens, quod aliquis reſignet alteri, vel alio quocumque modo beneficium procuret, cum certa confidentia, ſeu pacto expreſſo, vel tacito, quod ille attenta conſanguinitate, familiaritate, aut alia dependentia idem beneficium, aut partem fructuum ſibi, aut alteri cedet, quæ fieri prohibentur a Tridentino (*e*), a Pio IV. (*f*), & a S. Pio V. (*g*). Imo ad removendos abuſus, qui in hac materia univerſim irrepſerant, in ſupradictis conſtitutionibus, & ſignanter in illa S. Pii V. expreſſe diſponitur, in defectum aliarum probationum admitti poſſe ſimplices con-

(a) *Cap. 5. & 7. de rerum permutat.* (b) *Cap. 4. de pactis, & cap. 4. de tranſact.* (c) *Can. ſi quis Epiſcopus cauſ. 1. quæſt. 1. cap. conſulere, de Simonia.* (d) *Lib. 5. decret. tit. 3. §. 2.* (e) *Seſſ. 25. de reformat. cap. 7.* (f) *In Conſt. 85. impreſ. Rom.* (g) *In Conſt. 85. incip. Intolerabilis.*

conjecturas pro Simoniæ confidentialis probationibus, quales essent v. g. si resignans beneficium, ejusdem Beneficii possessionem retineat, vel si resignatarius resignantem in Procuratorem constituat ad exigendum, locandum &c., vel si Bullæ Apostolicæ sumptibus resignantis fuerint expeditæ. Alia his similia indicia in enunciata constitutione fusius exprimuntur.

11. Hæc porro Confidentialis Simonia præcipue committitur in resignatione Beneficii cum reservatione *accessus*, *ingressus*, & *regressus* peracta. Pactum *accessus* in eo consistit, quod quis volens alteri v. g. Titio beneficium dimittere, vel obtinere, qui ob ætatem, vel aliam causam nunc illud obtinere non potest, alteri obtinet ea lege, ut Titius sublato impedimento beneficium propria auctoritate possideat. Pactum *ingressus* est, cum quis Beneficium sibi collatum alteri ante captam possessionem dimittit, ea lege, ut hoc præmortuo, vel dimittente, beneficio fruatur. Pactum tandem *regressus* est, cum quis alteri beneficium dimittit, ita tamen ut hoc præmoriente, vel dimittente, ad idem Beneficium regrediatur, ut fusius exposuimus in Institutionibus Canonicis (*a*).

12. Supra diximus, ad Simoniæ crimen committendum requiri, ut *pro re spirituali, vel spirituali adnexa aliquid temporale pretio æstimabile præbeatur*; nunc quid hujus rei temporalis pretio æstimabilis nomine intelligatur, videamus. Id autem communiter dividi solet in munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio (*b*). Munus a manu est quæcunque res corporea, mobilis, immobilis, vel semovens, sive etiam incorporea, cujus nomine intelligitur debiti, vel obligationis remissio, vel etiam jura spiritualia, ut jus præsentandi, eligendi, hisque similia; Per munus autem a manu ita hoc modo generaliter explica-

Q 2 tum

(a) *Lib.1.tit.16.* (b) *In can. Salvator versic. Ideoque, & can. sunt nonnulli 1. q. 1.*

tum Simoniæ crimen committitur, five idem munus pro rei spiritualis pretio præstetur, five ut principale motivum ad rem spirtualem, vel spirituali adnexam consequendam, vel etiamsi detur in ejusdem rei spiritualis compensationem, ut declaratum est a *Ven. Innoc. XI.* per duas propositiones ab eodem Pontifice juste proscriptas, & pro dignitate expositas a *P. Viva* (a).

13. Munus a lingua dupliciter accipi potest; primo modo pro laudibus, aliisque honorificentiæ signis verbaliter præstitis ei, a quo beneficii, vel rei spiritualis collatio dependet, animo beneficium consequendi. Secundo modo pro precibus, aliisque commendationibus alteri personæ porrectis, vel etiam pro adulatoriis elogiis, ut per ejusdem personæ interpositionem beneficium, vel res spiritualis impetretur, ut advertit *Gloss. in cap. 1. versic. carnalitatem, ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, & in cap. nemo Presbyterorum, verbo consanguinitatis, de Simonia*; ex quibus textibus adnotatur, beneficia & ordinationes non contemplatione consanguinitatis, amicitiæ, aliæque humanæ affectionis, sed intuitu solius meriti personarum conferri debere.

14. Tandem munus ab obsequio consistit in quocumque servitio in alterius honorem, vel commodum ministerio corporis præstito, v. g. illum per aulas, & plateas comitando, illius negotia gerendo, lites patrocinando, hisque similia gerendo, quæ si fiant (idque in discriminatim etiam de muneribus supra expositis est intelligendum) cum obligatione recipiendi beneficium, aliamque rem spiritualem, vel cum principali motivo, & intentione, formalem Simoniam certe constituunt, secus autem si sponte, & libere etiam sub spe futuræ remunerationis exhibeantur, ut notat Glossa.

(a) *Ad dictas propos. pag. 112. n. 2.*

ſa (*a*), & firmant Cabaſſut. (*b*). Decian. (*c*), aliique communiter.

15. Quanta vero ſit Simoniæ gravitas, ex pluribus profecto demonſtratur, & primo quidem, quia cum de hoc crimine agitur, materiæ quantitas non excuſat, ut variis deductis auctoritatibus oſtendunt Theſaurus (*d*), Gibalinus (*e*), Anacl. (*f*), aliique communiter, qui ea ratione moventur quod res ſpiritualis conſiſtit in indiviſibili, ideoque parvitas materiæ dari non poteſt, vel quo magis minima eſt materia, quæ cum re ſpirituali prætenditur commutari, eo magis crimen augetur, per hoc, quod vili minimoque pretio res ſpiritualis acquiritur. Non defuerunt certe Doctores, qui in contrariam ſententiam abierint exiſtimantes, parvitatem materiæ a Simoniæ labe poſſe excuſare, ut Decianus (*g*), aliique innixi præſertim auctoritati Textus *in cap. Et ſi quæſtiones, de Simonia*, ubi Alexander III. ab Archiepiſcopo Strigonienſi conſultus, num propter donum equi, qui ab ejus fratre cuidam Cardinali deferenti Archiepiſcopo pallium fuerat donatus, donatio Simoniaca foret, negative reſpondit.

16. Iſtæ autem ſententiæ facile conciliantur, ſi dicatur, parvitatem materiæ a Simoniæ labe non excuſare in foro interno, & coram Deo, ſi quis, vel præcedente pactione, vel cum intentione & principali motivo recipiendi rem ſpiritualem, pretium perſolvat, prout certo Simonia non incurritur, quando nec pactio præceſſit, nec quis cum principali motivo rem ſpiritualem cum temporali commutandi rem temporalem exhibuit. Ceterum ſi ſermo ſit de hujus criminis punitione, licet parvitas materiæ non excuſet, debet

(a) *Cap. cum eſſent, de Simon. verbo promiſerat.* (b) *In Theoria, & prax. J. Can. cap. 3. n. 11.* (c) *Lib. 5. cap. 84. num. 18.* (d) *De pœnis part. 2. cap. 1. verſic. amplio tertio.* (e) *De Simonia quæſt. 16. conſect. 4.* (f) *In hunc tit. lib. 5. tit. 3. §. 5.* (g) *Prax. Crim. lib. 5. cap. 18. n. 7.*

bet tamen perſpicue conſtare pactio, vel principale motivum ſupra indicatum, quod alias nunquam præſumitur, cum nemo adeo inſipiens, vel tantæ temeritatis reus eſſe credatur, ut rem ſpiritualem voluerit pro minimo temporali pretio commutare; atque in hoc ſenſu *Alexander III.* in ſupradicto textu decrevit, donum equi a Fratre Archiepiſcopi Strigonienſis Cardinali factum Simoniam excludere, quia ſcilicet attenta parvitate materiæ, qualitate perſonarum dantis & recipientis, inſpectiſque aliis circumſtantiis, nempe quod equus fuerat donatus Archiepiſcopo penitus ignorante, & intuitu indigentiæ Cardinalis, ut iter perficere poſſet, hæc ſane omnia removere videbantur ſuſpicionem, quod Cardinalis ad conceſſionem Pallii ex motivo equi fuiſſet adductus (*a*).

17. Infertur ſecundo gravitas hujus criminis, ex quo in Sacris Canonibus hæreſis appelletur, ut conſtat ex *Can. Presbyteror.* 3. *prima q.*1. *cap. quoties, de Simon.* & ex pluribus aliis textibus adductis *a Migliorucci* (*b*), ſive quia Simoniaci rem ſpiritualem & ſacram cum temporali permutando ſpeculative credunt, res ſpirituales poſſe in commercium deduci, quo quidem caſu formaliter hæretici ſunt; ſive quia ita operantur, ac ſi putarent, res ſpirituales, & ſacras poſſe pretio comparari, ut docet S. Thom. (*c*). Hinc fit, Simoniacos ad inſtar hæreticorum poſſe a quolibet accuſari (*d*): atque in defectum aliarum probationum, etiam conjecturas ad hujus criminis probationem admitti, nec non Teſtes ſingulares, & qui juxta Juris apices teſtificari non poſſunt; aliaque ſunt, in quibus hæreſis, & ſimonia indiſtincte conveniunt, ut notant Abbas (*e*), & DD. de hac materia tractantes.

18. Infertur tertio hujus criminis gravitas ex pœnis

(a) *Redoan. de Simon. num.*3. *cap.*25. *art.*3. (b) *Hoc tit. diſſert.*3. (c) *Diſſ.*25. *q.*2. (d) *Cap. tanta, de Simon.* (e) *In Cap. ſicut 6. de Simonia.*

nis per ſacros Canones, & Apoſtolicas ſanctiones contra Simoniacos conſtitutis. Nequit ſane certa regula juris afferri, cum de pœnis contra Simoniacos præſcriptis diſſeritur, id enim pendet a diverſis circumſtantiis, & variis Simoniæ ſpeciebus; Illud tamen in jure firmum habemus, generaliter nempe loquendo pœnam excommunicationis, & ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum Summo Pontifici reſervatam incurrere, Simoniam committentes, ſive de Jure divino, ſive de jure poſitivo & Eccleſiaſtico illa prohibeatur (*a*): Itemque pœnam infamiæ, ex qua oritur irregularitas, inhabilitas exercendi publica officia, aliaque cum infamia connexa (*b*).

19. In ſpecie autem loquendo de variis Simoniæ ſpeciebus, eſt opportune adnotandum, pro Simonia pure mentali, vel pure confidentiali, ſive cum actu externo conjuncta, ſive non, nullam pœnam juris incurri, dummodo talis Simonia extrinſecus non appareat, ut late probat Suarez (*c*), quia textus pœnas Simoniacorum indicantes ultra cogitationes, vel conventiones, etiam realem receptionem, vel præſtationem requirunt; ideoque licet graviſſimum ſemper ſit Simoniæ mentalis, vel confidentialis crimen, tamen in foro externo nullis pœnis afficitur, ſed per pœnitentiam fori interni abſolvitur. Idemque aliqui extendunt ad Simoniam mixtam, in qua ſcilicet datio vel receptio non fuerit utrinque completa, quia vel is, qui rem ſpiritualem, aut ſpirituali adnexam recepit, pretium præſtare recuſat, vel is, qui jam temporale pretium perſolvit, rem ſpiritualem vel ſpirituali adnexam recipere nequit; In qua controverſia conſulendi ſunt Guttierez (*d*), Garzias (*e*), Caſtrop. (*f*), Pax Jordan. (*g*), aliique.

20. Il-

(a) *Extravag. cum deteſtabilè inter com. hoc tit.* (b) *Can. final. 1. q. 3. cap. & diligenter, de Simon. ibique Gloſſ.* (c) *Lib. 4. de Simon. cap. 55. num. 10. & ſeq.* (d) *Canon. quæſt. lib. 1. cap. 9. n. 8.* (e) *De Benef. p. 8. cap. 1.* (f) *De Simon. diſp. 3. puncto 22.* (g) *Lib. 10. tit. 11. n. 33.*

20. Illud tamen ab omnibus indiscriminatim admittitur, etiamsi pœnæ contra Simoniacos ita consideratos non sint ipso jure constitutæ, seu quod idem est, de facto non incurrantur, arbitrio tamen Judicis remitti eosdem Reos posse punire; prout etiam extra controversiam est, in Simonia confidentiali, de qua supra tractatum est, ad incurrendas Ecclesiasticas pœnas omnino sufficere, quod beneficium ab uno sit datum, & ab alio confidenter receptum, licet recipiens pensionem, non solverit, vel alio modo suam promissionem non impleverit, ut disponitur in Constitutionibus Pontificiis supra indicatis. Redeundo tamen ad Simoniam Realem, pro qua pœnæ ipso jure infliguntur, tres profecto casus enumerantur; primus est *Collatio ordinis Simoniacè facta*, secundo *Collatio beneficii pariter Simoniacè facta*, tertio *Religionis ingressus*. Quod spectat ad collationem Ordinum, ac etiam Primæ Tonsuræ tam ab ordinante, quam ab ordinato, necnon ab aliis, qui mediatores extiterint, ipso facto pœna excommunicationis reservata Summo Pontifici incurritur (a). Præterea illos conferens est deponendus, quæ est pæna ordinaria a SS. Canonibus constituta (b). Extraordinaria autem pœna est suspensio ab Ordinum collatione, a Pontificalium exercitio, & ab administratione Ecclesiæ remotio (c), ut disponitur etiam in Constitutione Sixti V. incip. *Sanctam & salutarem*, ubi omnes aliæ pœnæ sacrorum Canonum renovantur; Insuper ordinatus non solum ab ordine Simoniacè suscepto suspenditur, sed etiam ab aliis legitime receptis, ut not. Suarez (d), nec nisi elapso a suspensione decennio solet dispensatio Apostolica concedi, ex Bulla S. Pii V. incip. *Cum primum*.

21. Si

(a) *Extravag. 2. de Simon. inter com. Trid. sess. 21. cap. 1. de Ref.*
(b) *Cap. sicut cum aliis de Simonia.* (c) *Cap. per tuas, de Simonia.* (d) *De Censuris disp. 31. sect. 4.*

21. Si vero commiſſa ſit Simonia in collatione, & receptione beneficiorum, vel alterius adminiſtrationis cum poteſtate ſpirituali connexæ, præter excommunicationem ſupra enunciatam, ipſo jure collatio, proviſio, electio, reſignatio, & quicumque alius actus eſt irritus, adeo ut nec per novam collationem poſſit quis ad idem beneficium, & officium promoveri, vel etiam alia recipere, *ex cit. Conſt. S. Pii V.* Debet inſuper beneficium, vel officium etiam ante ſententiam dimittere, & fructus quomodocumque perceptos reſtituere (*a*). Idque procedit etiamſi caſus ſit occultus, imo etiamſi ipſe Simoniam non commiſerit, & commiſſam a tertio prorſus ignoraverit; quia, ut docet *S. Thom.* (*b*), reſtitutio eſt facienda ex defectu tituli, quem ſimoniace intruſus in beneficio non habet. Reſtitutio autem fieri debet, vel Eccleſiæ, in qua beneficium eſt ſitum, propter injuriam, quæ ei videtur irrogata (*c*), vel pauperibus, & cauſis piis exemplo pretii a Juda pro nefanda Redemptoris noſtri proditione recepti, quod pro ſepultura Peregrinorum fuit deſtinatum (*d*), ut notat Fagnanus (*e*); vel demum Cameræ Apoſtolicæ juxta conſuetudinem explicatam ab Ugolino (*f*).

22. Dixi ſupra, *etiamſi is Simoniam non commiſerit, & ignoraverit*. Id autem dupliciter poteſt contingere, vel ſcilicet in odium beneficiati, v.g. ut poſſet is ratione Simoniæ beneficio privari: vel in ipſius favorem, v.g. ab amico, vel conſanguineo, ut hoc pacto beneficium acquireret. Valet ſane collatio beneficii priori caſu, ſi beneficiatus ignorans Simoniam beneficium receperit, quia dolus, & fraus nemini debet prodeſſe (*g*); Poſteriori autem caſu collatio beneficii non

(a) *Extrav. cum deteſtabile, de Simon.* (b) 2. 2. *q.* 100. *art. ult. ad* 3. (c) *Ad Text. in Cap. de hoc autem §. de Simon. ibique gloſ. verbo reſtituit.* (d) *Cap. audivimus hoc tit.* (e) *In cap. tua nos hoc tit. num.* 13. (f) *De Simon. q.* 23. *num.* 3. (g) *Cap. Sicut tuis* 33. *hoc tit.*

valet, & ubi Simoniæ labes ad beneficiati notitiam pervenerit, debet is beneficium, ejusque fructus dimittere (*a*); fructus vero bona fide consumptos restituere non debet, ut docet S. Thomas (*b*); Sed post liberam dimissionem potest prævia dispensatione Apostolica ad idem beneficium assumi (*c*). Aliqui tamen obligationem dimittendi beneficium, & fructus perceptos in Simoniaco limitant, si is per triennium beneficium pacifice retinuerit, ut sentiunt Suarez (*d*), Gomez (*e*), aliique (*f*). Ulterius, si mentalis tantum fuerit Simonia, ut notat Anaclet. (*g*). Tertio, si agatur de stipendiis personalibus, quæ simoniace provisus restituere non debet, ex Giballino (*h*), estque extra aleam difficultatis, quod si revalidatio tituli, & compositio, seu condonatio a Summo Pontifice, vel Sacra Pœnitentiaria fuerit obtenta juxta formulam relatam a Navarro (*i*), restitutio fieri non debet.

23. Quibus autem pœnis Simoniæ confidentialis rei coerceantur, potest videri in Constitutionibus (*k*) supra commemoratis, & plene relatis a Navarr. (*l*), & Thesaur. (*m*). Pœnæ autem sunt, primo, quod provisiones sunt ipso jure nullæ, & beneficiorum collatio S. Sedi reservatur. Secundo, beneficium recipiens eo, omnibusque aliis legitime etiam acquisitis statim privatur, fructusque omnes etiam in foro conscientiæ debet restituere. Tertio, inhabilis redditur ad alia beneficia, & officia Ecclesiastica consequenda. Quarto, si recipiens est Cardinalis, Episcopus, aut Prælatus, ab Ecclesiæ

(a) *Cit.cap.Sicut tuis*. (b) 2.2.*q*.100.*art*.6. (c) *Cap.penult. de Elect.* (d) *Tom.*1.*de Relig. tract. ult.de Simon. cap*.57. *n*.30.
(e) *Super regulam de Triennali quæst*.12. (f) *Apud Thes. de pœnis verbo Simon. cap*.2. *num*.2. *pag*.325. (g) *In hunc tit.decretal. lib*.1. *tit*.3. §.11.*n*.234. (h) *De Simon. quæst*.23. *consect*.11. *pag*.438. (i) *In manuduct. ad Prax. exequut. Sac. Pœnit. p*.3. *cap*.8. & 10. (k) *Pii IV.*, & *S. Pii V.* (l) *In manuali jur. cap*.23. *n*.110. (m) *De pœnis p*.2. *c*.3. *per tot.*

clesiæ ingressu interdicitur, alii vero censuras ipso facto incurrunt S. Sedi reservatas.

24. Tandem tertia species Simoniæ, quæ Ecclesiasticis pœnis ipso facto punitur, est in Religionis ingressu, in quo si non ratione sustentationis, ut fit in Monasteriis Monialium, in quibus dos solet persolvi, nec sponte, & plena liberalitate, sed principaliter pro ipso Religionis ingressu aliquid temporale præstetur, pœna excommunicationis Papæ reservata statim incurritur, & ita in Religionem admissus, nequit seclusa Apostolica dispensatione in eodem Monasterio remanere (*a*).

25. Præter tres autem Simoniæ species hactenus expositas, communiter censent, in aliis Simoniæ casibus ipso facto nullas pœnas incurri, sed arbitrio Judicis esse remissum, ut attenta criminis qualitate depositionem ab officio, & beneficio, infamiam, excommunicationis sententiam, aliasque pœnas pronunciet, ut docent plures apud *Suarez* (*b*). Alii tamen apud *Garziam* (*c*) indistincte sentiunt, pœnas excommunicationis, aliasque ipso facto a quolibet simoniaco incurri.

26. Cæterum causæ, seu tituli a labe Simoniæ excusantes communiter ab auctoribus apud Schmalzgrueber (*d*) sex enumerantur; nempe primo, si temporale detur pro spirituali omnino *gratis*, absque ullo prorsus pacto præcedente. Secundo, si temporale detur post acceptum spirituale ex mera gratitudine. Tertio, si temporale, quod datur Ministris Ecclesiæ pro administratione Sacramentorum, Sacrificiis Missæ &c. tantum ad honestam sustentationem porrigatur, cum nemo militet suis stipendiis, ut supra notavimus. Quarto, si dans temporale pro spirituali laborat ignorantia invincibili facti, quia forsan rem spiritualem

R 2 existe-

(a) *Extrav. 1. de Simonia inter communes*. (b) *Lib. 4. de Simon. cap. 55. num. 5.* (c) *Tert. p. de benef. cap. 1.* (d) *De Simon. num. 18.*

existere nescit. Quinto, si temporale præcise detur pro labore extrinseco, qui in re spirituali ministranda adhibetur, v.g. si quis longum, ac molestum iter sit perfecturus; Et demum excipitur summa titulo dotis persoluta, juxta consuetudinem approbatam ab Innocent.VIII. apud Tamburrinum (*a*), dummodo intuitu recipiendi dotem personæ undique inhabiles non recipiantur; imo si Monasterium esset dives, prohiberetur quovis titulo ex censura juris quidquam exigere, ut statuitur in *cap.* 4. *de Simonia*. Dixi *ex censura juris*, nam *rationabili consuetudine* potuit huic juri derogari, ut notat Suarez (*b*). Addidi *rationabili*, nam si nimium, vel ab omnibus exigeretur, itaut pauperes etiam dignissimæ excluderentur, consuetudo isthæc esset reprobanda, *ex disp. Textus in extrav.* 1. *inter communes de Simonia*. Late Cabassutius (*c*), & Benedictus XIV. (*d*), qui ad rem animadvertit, non absimili ratione solutiones a Canonicis factas occasione possessionis suorum Canonicatuum ab antiquo tempore legitime inductas, justamque quantitatem non excedentes, & juste pieque impendendas, non esse ab Episcopis ob prætensum Simoniæ vitium abolendas, & revocandas.

TITULUS VI.

De aliis delictis mere Ecclesiasticis, sed plerumque innominatis, per quæ principaliter Deus offenditur.

EXemplo juris civilis, quo quidem attento contractus dividuntur in nominatos, & innominatos, quorum primi sunt, qui expresso nomine designantur, secundi vero ii, qui expresso nomine carent, ut con-

(a) *De jure Abbatissarum disp.* 5. *q.* 2. & 3. (b) *De Censuris disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 13. (c) *In Theor. jur. & prax. jur. Canon. lib.* 5. *cap.* 5. (d) *De Synod. Diœc. lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 401.

conſtat *ex tit. Inſtit. Civil. de obligat.* Ita juris interpretes in duas ſpecies crimina Eccleſiaſticarum Perſonarum diviſerunt, in nominata ſcilicet, quæ expreſſum nomen, certaſque pœnas habent, & in innominata, quæ expreſſo nomine, & pœna certa non deſignantur. Et ſicuti contractus innominati per quatuor capita explicantur, ſcilicet *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: & facio, ut facias* (a); Ita licet innumera fere ſint crimina Eccleſiaſtica innominata, ad quatuor tamen capita reducuntur, nimirum 1. *ad illa, quæ circa ordines. Secundo, ad illa, quæ ratione poteſtatis Eccleſiaſticæ. Tertio, ad illa, quæ quoad beneficia. Quarto, ad illa, quæ circa vitæ boneſtatem committuntur* (b). De his ergo plerumque innominatis Eccleſiaſticorum delictis juxta ea, quæ alibi innuimus (c), ſermo hic inſtituendus, opportune enim in ſerie delictorum, per quæ Divina Majeſtas principaliter offenditur, delicta Clericorum collocantur. Meritoque addidi: *plerumque innominatis.* Unum enim, vel alterum crimen infra exponendum certo nomine deſignari poteſt, quod nihilominus in hac ſerie delictorum a Clericis patratorum videbatur accenſendum, ne ſi in diſtinctis titulis traderetur, Inſtitutiones hæ Criminales in volumen excreſcerent.

2. Circa Ordines dupliciter poteſt delinqui. Primo, ſi non ſuſcipiantur, quando ſunt ſuſcipiendi. Secundo, ſi ſuſcipiantur, quando non ſunt ſuſcipiendi. In prima ſane claſſe ſunt recenſendi, qui proviſi de Beneficio Parochiali, vel de Archidiaconatu, vel Archipresbyteratu ad Ordinem requiſitum promoveri non curant; ſimiliter Epiſcopi electi, & confirmati, qui intra tres menſes per Superiorem non conſecrantur; quorum pœna eſt, ut Beneficio, & Epiſcopatu priventur (d). Secundo modo delinquunt excommunicati, ſi ad

(a) *Inſtitut. cit. tit.* (b) *Declan. lib. 2. cap. 19. n. 25. Raynald. tom. 1. ad cap. 1. ſupplet. 1. aliique.* (c) *Tit. primo.* (d) *Cap. Licet, & cap. Commiſſa, de elect. in 6. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2.*

ſi ad Ordines aſcendant, *ex cap. cum illorum, de ſent. excomm.* ubi pœna depoſitionis pro Clerico ſæculari, & ſuſpenſionis ab executione Ordinis pro Clerico Regulari ſtatuitur. Item, qui Ordines ſuſceperint cum impedimentis bigamiæ, & irregularitatis, de quibus in Inſtitutionibus Canonicis agitur (*a*); ampliuſque nos in quarto libro harum Inſtitutionum hac de re diſſeremus. Idem dicendum de recipientibus Ordines per ſaltum, & aliquo Ordine omiſſo (*b*), vel furtive, ideſt ſine examine, vel interſtitiis non ſervatis (*c*), vel ante ætatem legitimam (*d*), vel non ſtatutis a jure temporibus, vel qui ab Epiſcopo non ſuo abſque licentia legitima promoventur, ex *Conſtit.* 44. *Innocent. XII.* incip. *Speculatores*. Tandem, qui ab Epiſcopo excommunicato, vel hæretico, vel ſchiſmatico, aut ab Epiſcopo diverſi ritus ordinantur (*e*). Uberiora vero in hanc rem protulimus in Inſtitutionibus Canonicis (*f*), ad quas Lectorem remittimus.

3. Delicta innominata circa poteſtatem Eccleſiaſticam, ſeu divina Officia tribus modis contingere poſſunt; primo ſcilicet, quando quis carens poteſtate Eccleſiaſtica, adhuc illam exerceat. Secundo, ſi quis habens poteſtatem, ſed impeditam, illa uti non dubitet. Tertio, ſi quis habens poteſtatem non impeditam, illa indebite utatur. Primo ſane modo delinquit Laicus exercendo officium alicujus Ordinis, & Clericus exercendo Ordinem, quo non eſt inſignitus; *ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante*, ubi ſtatuitur, talem Clericum debere deponi, & promoveri ad alios Ordines prohibetur. Laicus vero, vel Clericus non Sacerdos,

(a) *Cap. 2. & toto tit. de Cleric. non ordin. & cap. 1. de fil. Presbyt.* (b) *Cap. unico, de Clerico per ſaltum promoto.* (c) *Cap. 1. de eo, qui Ordinem furtive ſuſcepit. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. & 13. de reform.* (d) *Ex Trid. loc. cit.* (e) *Cap. fin. eod. tit. cap. 1. & 2. de Schiſmat. Cap. cum ſecundum, de tempor. ordinat.* (f) *Lib. 1. a tit. 17. ad 21. & lib. 2. tit. 8.*

cerdos, qui Missas celebrare, vel sacramentales Confessiones audire ausus fuerit, tamquam vehementer suspectus de hæresi a Tribunali S. Inquisitionis punitur, & post abjurationem Curiæ Sæculari traditur ultimo supplicio plectendus, ex Constitutionibus Gregor.XIII.21. Clement.VIII. 71. & Urbani VIII. 79., ubi disponitur, Reum dicta pœna ordinaria esse afficiendum, dummodo vigesimum annum expleverit (*a*). Amplius vero Benedictus XIV. contra hujus criminis Reos procedendum esse iteratis Constitutionibus sanxit, & præsertim Constit. edita Idibus Aug.1757., quæ extat *tom*.4. *Bull.* ejusdem Pontificis, decernendo non suffragari Reo ad evitandam ordinariam pœnam criminis confessionem in primo constituto, sive examine habito, ut fusius exponemus in praxi Romanæ Curiæ (*b*).

4. Secundo modo delinquitur ab habente potestatem, sed impeditam, v.g. cum Clericus excommunicatus, vel interdictus, vel suspensus, vel degradatus Ordinem exercere præsumpserit (*c*). Tertio demum crimen committitur, cum ab habente potestatem non impeditam indebito modo exercetur, idque variis exemplis contingit. Nimirum, si Presbyter non jejunus celebraverit (*d*). Jejunium autem (ut notum est) a Sacerdote, vel ab alio, qui Sacra Synaxi refici velit, ex præcepto Ecclesiæ servandum est a puncto mediæ noctis usque ad tempus celebrationis, vel sacrosanctæ Communionis; itaut per modum cibi, aut potus in stomachum nihil transmiserit (*e*). Similiter, si eadem die pluries celebraverit (*f*); quod si aliquis plures eadem die Missas celebraverit, a celebratione suspenditur, & potest ad triremes damnari, nisi vel in casu neces-

(a) *Card. Albici de inconst.in fide cap.34. n.95.& seq.* (b) *Titulo de sacra Inquisitione*. (c) *Cap.1.& toto tit.de Cleric. excommunic. deposito, vel interdicto ministr.* (d) *Cap. Si consliterit, de accusat.* (e) *Can. Sacramentum dist.1. de consecr.* (f) *Cap.consuluisti, de celebr.Missar.*

necessitatis, vel ratione privilegii, vel legitimæ consuetudinis fecerit, prout de consuetudine universalis Ecclesiæ in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & ex peculiari Privilegio in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum in Hispania fieri solet; Late Pasqualig. (*a*). Eodem modo delinquit Sacerdos, qui in loco interdicto celebret, & beneficiis Ecclesiasticis potest privari (*b*), aut si super Altare non consecratum (*c*), vel sine aqua (*d*), vel sine vestibus sacris (*e*), vel si in Calice vitreo, aut ligneo, vel si Latinus Sacerdos panem fermentatum, & non azymum consecret, qui omnes possunt officio, & beneficio privari (*f*).

5. Similiter, si ob Sacerdotis culpam aliquid de Sanguine Domini in terram, vel in tabulam, vel in aliam partem ceciderit (*g*), vel si is Hostiam non consecret, & ita Populo colendam exponat (*h*), vel si post consecrationem ad consummationem non devenerit (*i*): vel si Sacrosanctam Eucharistiam non custodiat, itaut sordibus, & animalibus pateat (*k*); vel qui in administratione Sacramentorum adeo sunt negligentes, ut propter eorum culpam aliqui sine Sacramentis, & præsertim sine Sacramento Pœnitentiæ ex hac vita decedant, qui præcipue, si Parochi sint, ab Officio sunt removendi (*l*). Ad eandem insuper speciem delictorum circa potestatem Ecclesiasticam reduci possunt delicta commissa a Sacerdotibus sigillum Sacramentale frangentibus, qui de jure communi relato *in Can. Si Sacerdos, de pœnitentia dist.6.& Cap. omnis utriusque, de Pœnitent. & remiss.* pœna depositionis, & detrusionis perpetuæ

(a) *De Sacrif.Miss.part.3.tit.1. n.7.* (b) *Cap.postulasti §.Quæsivistis, de Cler. excomm.ministr.* (c) *Can. nullus, de Consecr. dist.1.* (d) *Cap.fin.de celebr.Miss.* (e) *Can.Ecclesia dist.23.* (f) *Cap. fin. de celebrat. Missar.* (g) *Can. si per negligentiam, de consecr. dist.4.* (h) *Cap.de homine, de celebr. Missar.* (i) *Can. relatum, de consecr. dist.2.* (k) *Can.qui bene dist.2.& cap.1. de custodienda Euchar.* (l) *Gloss. in cap.officium de officio Archidiaconi.*

petuæ in Monasterium puniuntur; hodie tamen pœna triremium in perpetuum subrogata est, ratione gravitatis talis criminis, quo Sacramenti secretum jure non solum Ecclesiastico, sed naturali etiam, & Divino servandum violatur, & redditur odiosa Confessio Sacramentalis, quam secundam esse post naufragium tabulam profitemur. Imo si confessionem revelantes ex tali revelatione, vel aliunde, suspicionem hæresis ingerant, Sacrum Inquisitionis Tribunal contra eos procedere potest, ut notant Pellizzar. (*a*), & Pignat. (*b*)

6. Huc etiam spectat gravissimum crimen Sollicitationis ad turpia in Sacramentali Confessione, quæ describitur: *Tentatio facta explicitis, seu implicitis verbis, vel scripto, sive signo, aut factis a Confessario legitimo adversus quemcumque pœnitentem provocando ipsum ad inhonesta perpetranda, sive cum se, sive cum alio quomodolibet in actu, sive immediate ante, vel post, aut loco, aut intuitu confessionis, sive realis, sive simulatæ*; quæ quidem verba satis, superque demonstrant modos, casus, & circumstantias, in quibus juxta Constitutiones Apostolicas Pauli, & Pii IV., ac Gregorii XV., qui contra tale delictum leges promulgarunt, sollicitatio committitur. Rei autem talis criminis tanquam de hæresi suspecti a Tribunali Sacræ Inquisitionis puniuntur, & post abjurationem gravissimis pœnis afficiuntur, imo aliquando etiam Curiæ Sæculari traduntur. Sponte vero comparentes, & antequam fuerint denunciati, salutaribus pœnitentiis relaxantur, ac dimittuntur. Pœnitentes insuper sollicitationem passi debent Confessarium Episcopo, vel Tribunali S. Inquisitionis denunciare, nec nisi facta denunciatione ab ullo Confessario possunt absolvi, ut notant Cardinalis Albici (*c*), Peyrin. (*d*), aliique communiter. Plura vero in odium

(a) *In Manual. Regular. tract. 3. cap. 4. sect. 3.* (b) *Consult. 54. per tot. tom. 7.* (c) *De inconst. in fid. cap. 35.* (d) *Ad dictam Constit. Gregorianam.*

hujus criminis sanxit Bened. XIV. iteratis a se editis Constitutionibus, præsertim una incip. *Sacramentum pœnitentiæ* edita an. 1741. quæ est in *tom*. 1. *Bull.*, aliisque in praxi Romanæ Curiæ in tit. *de Sacra Inquisitione* proferendis; extantque ulterius Encyclicæ litteræ ejusdem Congregationis Inquisitionis editæ sub die 27. Septembris 1624. ubi etiam modus, & forma hujus denunciationis exequendæ accurate præscribitur. Nunc de delictis, quæ occasione beneficiorum perpetrantur, differemus.

7. Non solum porro per nominatum Simoniæ crimen, de quo in titulo præcedente tractavimus, sed etiam aliis innominatis modis circa beneficia delinquitur. Nempe ita delinquunt, qui beneficium a Laico obtinent, & obtentum retinere præsumunt, *ad text. in Can. Si quis Cler.* 16. *q.* 7. *& cap. Præterea, de Instit.*, ubi excommunicationis pœna profertur contra præsentantes, & præsentatos, & hi beneficio, & officio privantur. Item, qui præsentati a Patrono confirmationem, seu institutionem Ordinarii recipere negligunt; *ad text. in Cap.* 2. *de instit.* ubi eadem pœna excommunicationis, & privationis Officii, vel Beneficii promulgatur. Pariter, qui beneficia jure sanguinis, & hæreditario consequi attentant (*a*). Et tandem, qui sine legitima Superioris collatione in beneficii vacantis possessionem se temere intrudunt (*b*). Eodemque modo delinquunt, qui beneficium non adhuc vacans, petierint, & obtinuerint (c); vel qui beneficium per fraudulentam subreptionem, seu reticita cum dolo facti veritate, vel per obreptionem, idest cum falsitate a Sede Apostolica extorquent (*d*). Insuper, qui cogunt beneficiatum per vim, & metum gravem, ut beneficia, quæ ipsi habent, dimittant, atque resignent; *ad text. in Clem. multam, de pœnis*, ubi

(a) *Can. Apostolicam* 3. *q.* 1. *cap.* 10. *de præbend.* (b) *Cap. Quia diversitatem, de concess. præbend.* (c) *Cap.* 2. *eod. tit.* (d) *Cap. Super literis, de rescriptis.*

ubi talis reſignatio ſtatuitur irrita, pœna excommunicationis imponitur, & ſi ſint Prælati, a perceptione fructuum omnium beneficiorum per triennium ſuſpenduntur, ſi vero inferiores fuerint, omnino privantur. Accedunt his, qui habentes beneficium cum onere reſidendi, ut Epiſcopatum, Parochiam, Canonicatum &c. in illo non reſident, niſi vel ob infirmitatem, vel ob aliam legitimam cauſam excuſentur (*a*). Supereſt nunc, ut de delictis, quæ circa honeſtatem vitæ committuntur, verba faciamus.

8. Variis profecto modis poſſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ circa honeſtatem vitæ delinquere, plura enim impune a Laicis exercentur, quæ Clericis ſunt omnino prohibita, unde Apoſtolus (*b*) dicebat: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Ut autem aliqua ſaltem pro ratione inſtituti horum delictorum habeatur notitia, placet in quatuor claſſes eadem delicta dividere. Igitur Clerici in ordine ad vitæ honeſtatem, quoad actiones, quoad artes, quoad officia, & quoad cultum corporis peccant. Quoad actiones ſane delinquunt, ſi armati ad bellum proficiſcantur ſive juſtum, ſive injuſtum, & ſive ipſi certent cum aliis, ſive nullatenus armis utantur. In bello tamen contra Turcas, & Hæreticos inito licet Clerico alios ad pugnandum hortari (*c*). Quamquam autem olim dubitaretur, an exercitium militiæ ipſo jure privationem beneficiorum, & penſionum Eccleſiaſticarum induceret, necne, ut videri poteſt apud Card. de Lugo (*d*), ſublata nunc eſt quævis hæſitatio ex deciſionibus Sacræ

S 2 Rotæ

(a) *Toto tit. de Cleric. non reſiden. & Trid. ſeſſ.6. de reformat. cap.1. & 2. & ſeſſ.23. cap.1.* (b) *1. ad Corinth.4. 1. & 2. ad Corinth.6. 3.* (c) *Can. reprehenſibile 23. quæſt.8. cap. in dubio, de pœnis.* (d) *Reſponſ. moral. lib.5. dub.22. n.7. & 8.*

Rotæ (*a*), quibus ſtatuitur militiam, & matrimonium ad hunc effectum æquiparari. Idem dicendum, ſi Clerici cum clamore, & ſtrepitu canum ad venandum accedant, licet enim Clericis licitum ſit ad animi relaxationem cum retibus & viſco venari, tamen clamoroſa venatio iiſdem interdicitur (*b*). In hoc itidem genere delinquere dicuntur, ſi taxillorum, & alearum ludos cum ſcandalo aliorum frequentaverint (*c*). Quamviſque ludus ex virtute Eutropeliæ habitus Clericis permittatur, delinqui etiam a Clericis poterit, ſi in modo, tempore, loco, & quantitate pecuniæ expoſitæ excedatur, ut egregie explicat S. Thomas (*d*), & repetit Bened. XIV. (*e*). Idem dicendum, ſi cum mulieribus ſuſpectis de incontinentia conſortium habuerint; multoque magis, ſi cum iis cohabitaverint; quo quidem caſu per Eccleſiaſticum Superiorem ſunt ſerio admonendi, & quatenus poſt trinam monitionem non pareant, nec a dicto conſortio, vel cohabitatione ſe abſtineant, excommunicantur, & ſi pertinaces fuerint, fructibus beneficiorum, ipſiſque beneficiis perpetuo privantur (*f*).

9. Ratione artium Clerici peccant, atque puniuntur, ſi mercaturam, vel aliam negotiationem exerceant (*g*). Idque etiam eſt intelligendum, ſi propriam turpitudinem cooperire ſtudentes negotiationem alieno nomine contrahant, quo quidem caſu æque ab iis acquiſita ſpolii pœnæ ſubduntur ex Conſtitutione Bened. XIV. incip. *Apoſtolicæ* 13. *tom.* 1. *Bull.* Pariter, ſi ſordi-

(a) *In Peruſina penſionis §. Quidquid in contrar.* 11. *Maii* 1716. *coram Herrera*, & *ex altera in Tarraconen. beneficii* 3. *Julii* 1724. *coram Card. Calcagnino*. (b) *Cap.* 1. & 2. *de Cleric. venat.* & *Clement. ne in agro §. Porro, de ſtatu Monachor.* (c) *Cap. penult. de vita*, & *honeſtate Clericorum*. (d) 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. (e) *De Synod. Diœc. lib.* 7. *cap.* 61. *n.* 1. & *ſeqq.* & *notificat.* 37. (f) *Cap.* 2. & 4. *de cohabitatione Cleric.* & *mulier.* (g) *Cap.* 2. & *cap. ſecundum inſtitutum, ne Clerici, vel Monachi. Pignat. conſult.* 84. *to.* 5. & *conſult.* 76. *tit.* 6.

ſordidis artibus, v.g. Carnificinæ, Tabernæ, & Hiſtrionis officio vacent (*a*), nec non ſi Chirurgiæ, vel Medicinæ operam navent (*b*). Quamvis autem ſoleat in hoc Summus Pontifex diſpenſare, in Brevi tamen ſemper clauſula apponitur: *Citra inciſionem, & aduſtionem gratis, & amore Dei erga omnes, attenta Medicorum penuria*, ut notat Corrad. (*c*). Neque eſt prætereundum, difficilius ab Apoſtolica Sede Chirurgiæ exercitium Clericis permitti conſueviſſe, ut advertit Bened. XIV. (*d*), & non niſi pro caſu, quo in loco alius Chirurgiæ Profeſſor non adſit; Celebremque hinc profert Decretalem Innoc.III. (*e*), in qua irregularitatem contraxiſſe Monachus declaratur, qui cum hanc artem calleret, eamque ex mero charitatis titulo exerceret, tumorem, qui in mulieris gutture excreverat, ferro ſecuit, eamque præmonuit, ne ſe aperto aeri exponeret, quo quidem præcepto a muliere contempto, ex hac vita deceſſerat.

10. Delicta Clericorum quoad officia ad hæc reducuntur. Si contra Eccleſiam, in qua beneficium habent, Advocati, vel Procuratoris officio fungantur (*f*). In Romana tamen Curia præſcindendo ab iiſdem circumſtantiis Procuratorem, & multo magis Advocatum agere non prohibentur, ut oſtendimus in Inſtit.Canon. (*g*). Item ſi in Curia Sæculari Tabellionatus officium exerceant; & ſi quovis modo in cauſis ſanguinis ſe immiſceant (*h*). Poſtremo ratione cultus corporis Clerici peccant, ſi veſtes deferant non diverſas ab illis, quibus Laici utuntur, ſi comam enutriant, aliudve ſimile faciant, quod eorum ſtatum, characterem, & dignitatem dedeceat (*i*).

11. Op-

(a) *Clement.1. de vit. & honeſt.* (b) *Cap. Sententia §. nullus eod.tit.* (c) *In praxi diſpenſat.lib.1. cap.31.* (d) *De Synod.Diœceſ. lib.13.cap.10. n.11.* (e) *In cap.tua nos, de homic.* (f) *Cap. ſi Clericus de poſtulando.* (g) *Lib.3.ſub tit. de Procurat* (h) *Cap. Sicut, ne Clerici &c.* (i) *Cap. Sententiam, ne Clerici &c.*

11. Opportune tamen notandum pro Clericis in Urbe, & Ecclesiastico Statu commorantibus, debere eos ultra generales Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum Sanctiones circa vitæ honestatem emanatas, servare insuper ea, quæ Benedictus XIII. in Concilio Romano *sub tit.16. cap.3.* expresse mandavit. Specialiter autem idem Pontifex contra Clericos in habitu laicali incedentes disposuit, eos ex mero facto incessus in eo habitu, ac ipso jure fructus beneficiorum amittere, eosque debere ad commodum fabricæ Ecclesiæ, in qua situm est beneficium, sub pœna peccati lethalis restituere, a quo restitutionis onere a solo Summo Pontifice possunt absolvi, ut supra ad calcem tituli *de Apostasia* advertebamus. Absit autem, ut adeo rigidi simus, ut fibularum quoque delationem ad conservandam vitæ honestatem Clericis prohibeamus, quæ ad calceos colligantur, quod aliquando ab uno, vel altero Episcopo factum audivimus; si enim istæ non sint gemmis distinctæ, nullamque vanitatem præseferant, interdicendæ non sunt, ut egregie monuit Bened.XIV.(*a*). Quamvisque pro eo, quo pollebat Bened. XIII. Disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ studio (*b*), fictitiæ comæ, vulgo *Perucca*, aut *Cerchietto*, usum sub gravissimis pœnis, iisdem Clericis prohibuerit, si tamen modesta ea sit, & ex Medicorum judicio ad valetudinem conservandam inserviat, & ex ejusmet usu id intelligatur, eam Clerici impune gestabunt, dummodo cum ficto capillitio Sacris non operentur, quod nec ab Episcopis inconsulta Sede Apostolica potest indulgeri, ut disertissime firmat cit. Bened. XIV.(*c*). Hæc summatim attigisse sufficiat; qui plura desiderat, legat Raynald. (*d*), & Canonistas (*e*) materiam hanc fusius exponentes.

12. Ha-

(a) *De Synod. Diœces. lib.11.cap.4.* (b) *In Conc.Rom. tit.16. cap.3.* (c) *De Synod.Diœces. lib.11.cap.9.per totum.* (d) *Observat. crimin. tom.1. cap.1. supplet.5. per tot.* (e) *In titulo de vita, & honest. Clericorum.*

12. Hactenus de criminibus principaliter contra Deum perpetratis tractatum est; nunc ordo institutus efflagitat, ut de delictis, per quæ principaliter homines offenduntur, differamus, quæ in duas classes dividemus. Primo scilicet agemus de iis, per quæ majestas Principum læditur; deinde vero de aliis, per quæ privatus quisque homo potest contemni; utraque tamen species ad forum sæculare reducitur, quia nisi reus fuerit Clericus, a Judice sæculari eadem crimina semper, & indistincte cognosci consueverunt.

TITULUS VII.

De crimine læsæ Majestatis.

Inter delicta, quibus homines principaliter offenduntur, crimen læsæ Majestatis, quod contra Principes perpetratur, primum locum sortitur; quo magis enim Princeps dignitate, & gradu privatum excedit, eo sane crescit gravitas delicti, quod contra eundem committitur; ideoque crimen læsæ Majestatis omnium delictorum *maximum*, *atrocissimum*, *& enormissimum* communiter appellatur, ut notat Raynald.(a). Definitur autem *machinatio contra vitam*, *potestatem*, *vel dignitatem Principis*, *vel alterius*, *cui Princeps talem potestatem concessit*. Quibus quidem verbis exprimitur, non solum hoc delictum committi, si contra vitam, potestatem, vel dignitatem Principis Supremi insidiæ struantur, sive sit Princeps Supremus Ecclesiasticus, qualis est Papa, sive Sæcularis, v. g. Imperator, Rex Hispaniarum &c. idemque dicendum de Repuplica Superiorem non recognoscente, ut sunt Respublica Veneta, Januensis, Lucensis &c. Verum etiam committi, si quis contra ejusdem Principis Supremi Consiliarios, Collaterales, aliosque unum corpus cum Supremo

(a) *Observ. Crimin. tom. 1. cap. 2. §. 1.*

mo Principe constituentes fuerit machinatus; Unde reus est læsæ majestatis, qui quidquam molitur contra S. R. E. Cardinales, qui pars corporis Papæ appellantur *in cap. Felicis, de pœnis in 6.*; contra Legatos de Latere, & Vicarium Urbis, etiamsi Cardinales non essent, contra Nuncios Pontificios, Oratores Supremorum Principum Sæcularium, Senatores, Præfectos Militiarum, Præsides Regnorum, & Militiarum, aliasque similes Personas, quæ in Militia, sive Armata, sive Togata cum Principe militare dicuntur (*a*).

2. Cæterum contra Principes inferiores Superiores recognoscentes machinando, crimen læsæ Majestatis agi non dicitur, nisi adinstar Supremorum Principum mero, & mixto Imperio in suos subditos gaudeant; itemque nisi in Persona propria offendantur. Quod si alterutra ex his conditionibus, seu requisitis deficiat, Majestas læsa non dicitur, neque enim est locus læsioni Majestatis, quando Majestas proprie non datur, nec dari dicitur, cum merum & mixtum Imperium in Subditos deest. Læsio autem ad effectum committendi hoc crimen proprie non datur, si Principes inferiores in persona propria non offendantur, prout ad crimen læsæ Majestatis relate ad illos committendum fieri debere a Jure disponitur, neque offensionis nomen debet in Supremis, ac subalternis Principibus in re præsertim maxime odiosa qualis est ista, æqua lance mensurari (*b*).

3. Opportune hinc adnotandum, multum in Jure differre *Offendere aliquem in Persona*, & *aliquam Personam offendere*, licet synonima videantur. Offensio in Persona fit, cum corpus offenditur, v. g. si livorem, doloremve patiatur, idemque dicendum si inseparabilia a corpore offendantur, ut capilli, pili, ungues,

(a) *L. quisquis Cod. ad L. Juliam Majestatis, ibiq. Glos.* (b) *Clar. n prax §. læsæ Majestatis n. 3. & Raynald. observ. crimin. tom. 1. ap. 2. §. 1.*

gues, &c. Offensio autem personæ contingit, cum sine ulla corporis læsione res corpori adhærentes, v. g. vestes offenduntur. Igitur cum loquendo de Principibus inferioribus ad committendum læsæ Majestatis crimen a Jure exigatur, ut iidem Principes in persona offendantur, tale crimen non perpetrabitur ab iis, qui corpus non læserint (*a*).

4. Quemadmodum vero Principes Supremi vel Ecclesiastici sunt, vel sæculares, ut supra notavimus; Ita etiam Principes inferiores ita dividuntur. Sæculares sunt Duces, Marchiones, Barones &c. Ecclesiastici autem Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinariam Jurisdictionem exercentes, qui aut una cum spirituali potestate, Imperio etiam temporali potiuntur, & crimen læsæ majestatis committunt, qui in Persona illos offendunt, aut Jurisdictione temporali carent, & eos occidentes, Parricidium patrare dicuntur, quia tales Personæ Patres aliorum reputantur (*b*). De eo aliqui dubitant, an scilicet ad crimen læsæ Majestatis relate ad Consiliarios aliosque Ministros Principum committendum sufficiat, si tales Officiales ex privata inimicitia, nulloque Principis Supremi intuitu offendantur? Licet autem aliqui affirmaverint, etiamsi ex causa particularis odii & inimicitiæ injuria inferatur, crimen læsæ Majestatis committi, communis tamen est sententia contraria, in Foro quoque recepta, existimans non esse puniendos pœna criminis læsæ Majestatis eos, qui enunciatos Ministros Principum Supremorum, nullo habito respectu ad eorum munus, sed solum ex particulari causa offenderint; atque ita sentiunt plures citati apud Amœn. (*c*). Imo Calderinus, aliique existimant, injuriam etiam Cardinalibus ex privata causa nec Dignitatis intuitu irrogatam,

(a) *DD. supra cit.* (b) *Raynold. loc. cit. n. 82.* (c) *De delictis & pœn. tom. 2. §. 6. n. 24.*

pœna criminis læſæ Majeſtatis non eſſe puniendam; Sed circa Cardinales contrarium tuetur *Raynald.* (*a*), quia ſcilicet cum Cardinales majeſtatem habeant per ſe dignitati connexam, læſæ majeſtatis crimen committitur ex quacumque cauſa offendantur.

5. Verum ut crimen læſæ Majeſtatis agatur, requiritur, quod Principi, vel Principis Conſiliariis, contra quorum vitam, majeſtatem, vel dignitatem quis inſidias molitur, ſit eidem vel ratione Domicilii, vel Originis ſubditus. Unde ſi Feudatarius, qui Principem Supremum recognoſcit, non alia ratione, quam ſolius Feudi eidem ſubjiciatur, eumdem offendens, crimen læſæ majeſtatis nequaquam committit (*b*). Itemque hoc crimen non incurrunt, Nuncium Apoſtolicum, vel Legatum alicujus Principis Sæcularis offendentes, ſi tali Principi non ſubjiciantur. Si vero ſubditi ſint Principis, in cujus dominio Nuncii, vel Legati Legationem exerceant, tanquam publicæ ſecuritatis violatores hujus delicti pœna damnantur (*c*). Imo ex defectu enunciatæ ſubjectionis licet Epiſcopi, Sacerdotes, & cæteri Clerici nati in terris alicui Principi ſubjectis dicantur quadam ratione originaliter ſubditi, tamen ſi contra Principem conſpiraverint, crimen læſæ Majeſtatis non dicuntur committere, quia poſt aſſumptum Clericalem ſtatum a quacumque Sæcularium Principum poteſtate eximuntur (*d*). Nunc quibus modis crimen læſæ majeſtatis committatur, operæ pretium eſt videamus.

6. Cum aliquando major, aliquando minor eſſe ſoleat Principis alicujus offenſio; ad duo hinc capita ſolent

(a) *Tom. 1. cap. 2. §. 5. a num. 44.* (b) *Clementina Paſtoralis §. denique, de ſenten. & re Judicata.* (c) *L. final. ff. de Legitim. Aman. de delictis & pœnis tom. 2. tit. 2. §. 6. Clarus in prax. §. læſæ Majeſtatis n. 2. Farinac. quæſt. 112. inſpect. 8.* (d) *Farin. loc. cit. num. 231. Pignat. Conſult. 124. tom. 1. per tot. aliique communiter.*

ſolent Doctores reducere modos omnes, quibus hoc delictum committitur. Primum ſane caput continet graviores exceſſus, alterum minores, ideoque in primo capite delicta graviora, in ſecundo delicta minora læſæ Majeſtatis continentur; qua diſtinctione præmiſſa, facile erit intelligere, merito pœnis gravioribus affici in primo, quam in ſecundo capite delinquentes, ut pœna delicto reſpondeat.

7. In primo igitur capite delictum læſæ Majeſtatis primo committitur *per conſpirationem, ſeu conjurationem*, in eo conſiſtentem, quod ſubditi contra Principem, vel conſiliarios ejus, vel alias Perſonas ejuſdem lateri aſſiſtentes, non ex privato odio, ſed in contumeliam ejuſdem Principis machinentur, ſive talis machinatio ſimplex fuerit, quæ *conſpiratio*, ſive juramento firmata, quæ *conjuratio* appellatur. Igitur conſpirantes, vel conjurantes pœna hujus criminis condemnantur, licet effectus, ideſt læſio Principis, aliarumve dictarum perſonarum ex machinatione non reſultet, nam etiam voluntas interior imperfecta in hoc delicto punitur (*a*): Secundo *per rebellionem*, quæ proprie ab iis perpetratur, qui poſtquam in bello devicti Principi victori Juramentum fidelitatis præſtiterunt, denuo contra illum arma ſuſcipiunt. Tertio *per perduellionem*, quando ſubditus non per occultas inſidias, ſed aperte, hoſtilique animo dominium a Principe uſurpare conatur. Quarto *per ſeditionem, ſeu conventiculam*, cum plures ab unitate vel exercitus, vel populi civitatis ſe dividunt, factionesque ineunt huc, illuc diſcurrentes, ex quo multorum timor exoritur, fit tumultus, interrumpitur commercium, & publica tranquillitas perturbatur (*b*); eodemque modo ſeditio committitur, ſi percurrendo per Civitatem vel Exercitum

(a) *L. quisquis, & l. 5. Cod. ad L. Juliam Majeſtatis.* (b) *L. ait Prætor ff. de vi bonor. raptor.*

turbulentæ acclamationes in alterum Principem, vel querelæ de Principe imperante excitentur (*a*). Quinto, *per usurpationem Jurisdictionis Principis*, si scilicet aliquis vel se pro Principe, pro Magistratu, pro Judice gerat, exercendo Imperium, quod exercere non potest, v.g. jubendo aliquem in carceres duci, ibique detineri, vinculis mancipari, hisque similia; vel generales leges condendo, aliisque modis sibi Principis auctoritatem arrogando (*b*). Sexto *per proditionem*, quæ multipliciter accidit; primo scilicet cum hostibus Principis fœdus ineundo, si v. g. iisdem hostibus arces propriæ fidei commissæ tradantur (*c*); 2. Dolose permittendo Exercitum Principis ab hostibus dissipari, vel quomodolibet hostibus auxilium præstando (*d*); 3. Militiam Principis deserendo, & ad hostes transeundo (*e*): 4. Arcana Principis revelando (*f*).

8. Tandem in primo Capite delinquere dicitur, qui expleto munere sive militari, sive togato, Personæ à Principe deputatæ illud cedere, vel in manibus Principis resignare recusat (*g*). Itemque qui in publicis tabulis aliquid contra Principem scribere non dubitet (*h*). Nunc ad delicta læsæ majestatis, quæ in secundo Capite continentur, gradum faciamus.

9. Generaliter sanè loquendo omnes illi *in 2. Capite* delinquentes vocantur, qui indirectè contra Principem, vel ejus immediatos Laterales aliquid machinantur. Hujus generis sunt, qui Imagines Principis conculcaverint, Statuas fregerint, vel quomodocumque contemserint (*i*); qui in contumeliam Principis carmen famosum conscripserint (k); qui carceres publicos fran-

(a) *L. Capitalium §. solent ff. de pœnis.* (b) *L. Imperium ff. de Jurisd. omn. Jud. L. final. cod. de Leg. cum aliis.* (c) *L. Majestatis ff. ad L. Jul. Majest.* (d) *L. 1. 2. & 4. ff. ad L. Jul. Majest.* (e) *L. 2. ff. eod. tit.* (f) *L. omne delictum ff. de re militari.* (g) *L. 2. & 3. ff. ad L. Jul. Majest.* (h) *Cit. Leg. 2.* (i) *L. qui Status, L. famosi §. final. ff. eod.* (k) *L. unica, Cod. Si quis Imperatori maledix.*

frangere tentaverint, ut auctoritate Judicis detenti inde aufugere possint (*a*): quæ quidem dispositio pro Statu Ecclesiastico fuit per *Sixtum V.* in *Constit.* 8. *in Bullar. novo tom.* 2. ampliata; Lex enim 4. in margine citata loquitur de Reis convictis, atque confessis, qui vel jam fuerunt a Judice condemnati, vel sunt quam primum condemnandi, at *Sixtus V.* crimen esse voluit læsæ majestatis carcerum fracturam, licet Rei non essent confessi, aut convicti, ejusdemque criminis Reos declaravit, Arma, Instrumenta, vel quæcumque media ad fracturam subministrantes, vel opem publicè, aut occultè ad eximendos Reos e Carceribus conferentes. Insuper in eadem Constitutione iisdem pœnis damnantur qui carceratum e manu satellitum eximunt, vel quomodolibet impediunt, ne Rei ab iisdem capiantur. Extenditur autem eadem Cônstitutio contra Reos, qui cum armis e manu familiæ Curiæ se eximere præsumentes, satellites vulneraverint, sive percusserint, necnon si Populi, vel alicujus Magnatis auxilium imploraverint, qui omnes Rei læsæ majestatis declarantur non solum in citata Constitutione *Sixti V.*, verum etiam ab aliis Summis Pontificibus, quorum Constitutiones *Ven. Innoc. XI.* in sua constitutione anno 1689. confirmavit. Cæterum Rei e manu Satellitum sine Armorum vi aufugere tentantes Majestatem Principis lædere non dicuntur.

10. Insuper hoc 2. Capite comprehenduntur, qui monetam fabricaverint, sive justi, sive non justi ponderis fuerit, utroque enim casu Principis auctoritatem usurpant, ad quem unice monetam cudere pertinet (*b*). Idem dicendum de iis, qui officiales inferiores Principis offenderint, nempe Gubernatores, Judices, Fiscales, aliosque Curiæ Ministros; quamvisque hoc

(a) L. 4. *ad ff. Leg. Jul. Majest.* (b) *Pignatel. consult.* 22. *tom.* 9.

hoc delictum non esse læsæ majestatis existimet Giurba (a), tamen pro Urbe, & Statu Ecclesiastico viget Constitutio 21. Alexandrina ab Alexandro VI. promulgata, qua ad consulendum securitati Judicum, aliarumque Personarum, quæ Advocati, Procuratoris, Testis, Partis, aut simile munus exercent, opportunè disponitur, supradictas Personas offendentes, vel etiam solas minas iisdem inferentes, sive in Judicis præsentia, sive non, sive in loco Curiæ, sive alibi, pœnas infamiæ, læsæ Majestatis, & amissionis Jurium, & litis incurrere, ut expendit Guazzin. (b). Eandemque Alexandri VI. Constitutionem Innocent. XII. eo, quo pollebat studio Romanæ Curiæ restaurandæ, non solum peculiari constitutione confirmavit, verum etiam sancivit, nullam gratiam hujusmodi Reis suffragari posse, nisi ab ipso Papa fuerit obtenta, sublato etiam Cardinalibus Legatis a latere omni Jure gratiam impertiendi, extenditque Alexandrinam Constitutionem contra scienter receptantes supradictos delinquentes, vel quomodolibet iisdem auxilium præstantes.

11. Verum tria debent necessario concurrere, ut pœnæ in dicta Constitutione contentæ incurrantur. Primo, quod Reus dolose deliquerit, si enim in rixa, aliove accidente offensio contigerit, dispositio Bullæ locum non habet. 2. Quod offensio intuitu solius litis, ejusque contemplatione, nec ex alia causa fuerit secuta, ideoque si alia causa probetur, pœnæ dictæ Constitutionis non incurruntur. Licet autem, si de alia causa non constet, causa litis præsumatur, si tamen Reus aliquam causam a lite diversam attulerit, & dubium sit, ex causa ne litis, an propter aliam allegatam offensio fuerit facta, in tali dubio ab incursu pœnarum Bullæ delinquens eximitur. 3. Requiritur, quod nulla provocatio ex parte offensi præcesserit; ea enim inter-

(a) *Observ. 9. §. 8. n. 1. cum seqq.* (b) *De confis. bonor. Consul. 13. ampliat. 87.*

terveniente, Reus non cauſa litis, ſed ratione provocationis motus ad offendendum putatur (*a*). Cæterum ſi conſtet ab aliquo cauſa officii Officiales offendi, etiamſi officium fuerit finitum, attentis bannimentis generalibus Urbis, offendens pœna vitæ, & bonorum confiſcatione damnatur (*b*).

12. De pœnis contra Reos criminis læſæ Majeſtatis ſupereſt diſſeramus. Pluribus ſane pœnis delinquentes in primo capite afficiuntur; etenim pœnæ infamiæ, confiſcationis omnium bonorum, privationis omnium Officiorum, beneficiorum, privilegiorum tam Juris Civilis, quam Municipalis, imponuntur, & tandem Rei ultimo ſupplicio cum ſumma exaſperatione plectuntur (*c*); Filii inſuper delinquentium pœnam paterni ſceleris ſubeunt, amittunt enim Inſignia gentilitia, & omni ſucceſſione tam ex Teſtamento, quam ab inteſtato, tam aſcendentium, quam extraneorum omnino privantur (*d*). Utrum autem fœminæ ſub nomine filiorum hic comprehendantur, itemque an filiorum nomine veniant etiam, qui ante delictum Patris ortum habuere, hinc inde DD. diſceptant, apud Gomez. (*e*), alioſque. Circa modum inſuper procedendi contra Reos læſæ Majeſtatis in primo Capite quatuor ſunt ſingularia privilegia a jure conſtituta, quæ hujus criminis gravitatem demonſtrant, ut notat Raynald. (*f*); Primum eſt, quod lata ſententia ab uno Principe quilibet Princeps poteſt confiſcare bona Rei ſub ſuo territorio exiſtentia. Secundum, quod in ampliatione proceſſus, & Cauſæ expeditione ſummarie, de plano, & ſine figura judicii, ideſt nulla ſervata Juris ſolemnitate proceditur. Tertium, quod ſi crimen ſit evidenter notorium, poteſt Judex de facto, & citatione etiam omiſſa, Reum condemnare; debet autem antea per ſententiam

(a) *Raynald. obſerv. crim. tom. 1. cap. 10. §. 12.* (b) *Conciol. verbo Bullam reſolut 5.* (c) *L. quisquis cod. ad L. Jul. Majeſt.* (d) *Ex cit. Jur.* (e) *Lib. 3. Variar. cap. 3.* (f) *Lib. 1. cap. 2. §. 12*

tiam declarare de notorio constare. Quartum, quod crimen læsæ Majestatis numquam præscribitur, seu actio procedendi contra Reum numquam expirat, ideoque si delinquens obierit, ejus nomen, & memoria per sententiam damnatur; si vero vivat, & absens, seu contumax fuerit, ejus effigies post sententiam latam suspenditur, atque comburitur; Imo solet etiam regulariter ejus effigies pedibus sursum in loco publico pingi, & inscriptio proditionis ad conservandam sceleris memoriam apponi (a).

13. Pœnis verò hactenus expositis Rei læsæ Majestatis in primo Capite tantum coercentur, & præcipue si deliquerint contra vitam Principis, vel Personarum ejusdem Principis lateri immediate assistentium. Rei autem in 2. Capite pœna mortis naturalis, vel civilis, & aliquando etiam publicatione bonorum puniuntur, sed pœna ad filios minime extenditur (b). Postremo animadvertendum, pœnas a Jure constitutas in illos, qui contra Principem machinantur, æque ab illis incurri, qui scientes conjurationem non revelaverint, etiamsi Reos a patrato scelere suasione, & obsecratione removere curaverint, imo etiamsi notitia sceleris sub naturali sigillo ad istos pervenerit (c). Quæ quidem obligatio revelandi est adeo gravis, ut licet plures disceptent, an pater filium delinquentem, & e converso filius patrem revelare teneatur, nulla tamen est controversia de fratre adversus fratrem, ut notat Farinac. (d); Solaque uxor ab hac censura legis excipitur, quæ cum sit una caro cum viro seipsam proderet, si crimen viri delinquentis revelaret.

TI-

(a) *Farinac. q. 118. Raynald. lib. 1. cap. 2. §. 1.* (b) *L. final. ff. ad L. Jul. Majest.* (c) *Cit. L. quisquis. Raynald. §. 2. loc. cit.* (d) *Quæst. supra cit.*

TITULUS VIII.

De Criminibus Ambitus, Repetundarum, Peculatus, & de Residuis.

DElicta, quæ in publicorum munerum administratione, vel eorum causa patrantur, in latiori significatione, & abusivè læsæ majestatis ab aliquibus dicuntur, quia cum publica Officia vel expresse a Principe conferantur, vel de ejus consensu tacito exerceantur, videtur injuriam Principi, & contumeliam inferre, qui circa talia officia, vel eorum occasione delinquit. Igitur post tractatum de delictis læsæ Majestatis, merito de quatuor criminibus agitur, quæ in administratione publicorum munerum committuntur.

2. Crimen Ambitus, quod definitur: *Excessus in appetendis honoribus, vel publicis Officiis commissus*, tunc perpetratur, cum quis ad publicum Officium adspirans, pecunia, donis, minis, aliisque illicitis artibus suffragia eligentium aucupatur, vel per institutionem novi vectigalis Principis gratiam procurat, ut sic ab illo publicum munus extorqueat (*a*).

3. Contra hujus sanè Criminis Reos pœna deportationis, infamia, & pecuniaria statuitur (*b*). Hodie tamen rara est ejusdem Criminis animadversio, quia non ad populum, sed ad Principem pertinet Magistratuum, seu publicorum Officiorum collatio, & quatenus quis a Principe publicum munus per impositionem novi Vectigalis impetrasset, ut locus esset pœnæ, concludenter foret probandum, eo fine, unicaque intentione institutionem Vectigalis novi factam fuisse, ut munus & officium extorqueretur. Cæterum si circa bene-

(a) *L. unica ff. & Cod. Ad L. Juliam de ambitu, & authent. ut Judices sine quoquo suffragio fiant.* (b) *In textibus supra allegatis.*

neficia Ecclesiastica hoc crimen committatur, Simonia dicitur, & pœnis Simoniacorum coercetur, ut supra notavimus. Præterea in Urbe juxta Constitutionem S. Pii V. ab aliis Pontificibus confirmatam, & signanter ab Innoc. XII. dantes vel recipientes pecuniam pro gratia, vel justitia obtinenda, & pro impetrandis Officiis jurisdictionem etiam temporalem adnexam habentibus, ultimo supplicio, & confiscatione bonorum puniuntur, ut fusius infra videbimus.

4. Crimen *repetundarum*, nempe *pecuniarum*, ab illis committitur, qui munus publicum gerentes, a subditis pecuniam usurpant, ut faciant, quod ex officio & gratis facere debent, v.g. ut sententiam justam proferant, vel ut faciant quod facere nullatenus debent, v. g. ut sententiam contra justitiam, & conscientiam pronuncient, vel demum ut facere omittant, quod jam facere deberent; v. g. ut cito e vinculis vel carceribus non eripiant eum, qui est cito eripiendus (*a*). Imo hoc delictum committitur, non solum si ab ipsis Judicibus in causa civili, vel criminali, vel militari, sed etiam si a Judicis consanguineis, aliisque adhærentibus pecunia accipiatur. Solaque promissio pecuniæ, vel alterius muneris temporale commodum afferentis idem crimen constituit, cujus æque Reus est pecuniam dans, ac promittens (*b*); imo etiamsi uterque, vel alteruter pecuniam Fisco applicare voluerit, ut dixit Larræa (*c*). Quod in veteri etiam Testamento cavebatur; Exodi enim 23.8. de Judice legitur: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*; Cautumque id a Jure deinde est, ne per sordes justitia administretur, & ut mundas, purasque manus Judices habeant (*d*); Quod quidem cum in humanæ Societatis bonum vergere compertum esset, *leges*

(a) *L. 7. & toto tit. ff. & Cod. ad L. Juliam repetundarum.* (b) *L. ultima cod. ad L. Julium repetundar.* (c) *Allegat. Fiscal. 47.* (d) *Auth. ut Judices sine quoquo &c.*

leges repetundarum per Romanos latæ *Sociales* dictæ sunt, quia ad tutelam Sociorum promulgabantur, teste Cicerone (*a*), & notante Cujac. (*b*).

5. Supradicta autem prohibitio limitatur pro esculentis, & poculentis, quorum nomine intelliguntur res, quæ comedi possunt, ut pulli, poma, aliaque hujusmodi; itemque res, quæ per modum potus accipiuntur, ut vinum, cocolata &c., quæ si sponte exhibeantur, & in modica sint quantitate, adeout intra triduum habito respectu ad totam familiam Judicis possint consumi, licite accipiuntur, & dantur (*c*); imo alicubi esculentorum, & poculentorum nomine zaccharum, & cera elaborata pariter comprehenduntur, quæ si in modica fuerint quantitate, xenia communiter vocantur, & licite dantur, ac recipiuntur, quia nequeunt animum Judicis corrumpere, & ab exercitio justitiæ removere (*d*).

6. Debebit tamen Judex diligenter advertere in recipiendis muneribus, *ne omnia, neque ab omnibus, neque semper recipiat*, ut fert Græcorum adagium re, latum ab Ulpiano (*e*); *Nam inhumanum est, a nemine accipere; passim, vilissimum; omnia, avarissimum*. Laudandus vero est plurimum Judex, qui a cujuscumque muneris acceptione se abstinet, quia licet munuscula nequeant ejusdem animum ab administratione justitiæ retrahere, lenire tamen, & placare homines consuevere, juxta tritum proloquium; *Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque*. Hinc in Urbe Judici Criminali ordinario sub pœnis privationis officii, & inhabilitationis ad quodcumque munus, aliisque contentis in Constit. 34. Innoc. XII. incip. *Sacerdotalem, & regiam*, expresse interdicitur cujuscumque muneris receptio, etiamsi in esculentis, & poculentis consistat.

 7. Præ-

(a) *In Ver.* (b) *In repet. Cod. eod. tit.* (c) *L. Plebiscito ff. de off. Præsid. & L. solent §. final. ff. de off. Proconsul.* (d) *Raynald. tom. 1. cap. 4. §. 5.* (e) *In cit. L. solent de Off. Proconsulis.*

7. Præter esculenta vero, & poculenta Judici civili non prohibetur sportularum receptio, tamquam salarium, & emolumentum laboris in cognitione Causæ exerciti, dummodo tamen moderate exigantur, & juxta taxam, quæ solet a Principe habito respectu ad summam, de qua lis est, præscribi, atque taxari; itemque dummodo Judex non habeat aliunde salarium a Principe constitutum, prout Judicibus ordinariis solet assignari; quo quidem casu sportulas recipere prohibentur, & debent stipendiis suis esse contenti, juxta Evangelicum monitum *Lucæ cap.* 4. Sportulæ autem dicuntur, quia olim apud Romanos in sportula deponebantur, ut notant Alciat.(*a*), Fanton.(*b*), Spiegel.(*c*), cum aliis.

8. Cæterum crimen Repetendarum diversis pœnis a jure punitur juxta diversitatem circumstantiarum infligendis. Si Judex in Causa criminali pecuniam accipiat, ut contra reum injuste procedat, pœna relegationis punitur, si causa non est Capitalis; si vero capitalis existat, & per sententiam injustam fuerit innocens ultimo supplicio damnatus, pœna ultimi supplicii, & confiscatio bonorum Judici imponitur (*d*); Mitius tamen proceditur, & citra pœnam mortis, si mors secuta non fuerit. Si vero Judex in causa civili fuerit corruptus, ad reficiendas expensas, & damna per litigantem passa, obligatur (*e*), ad litis æstimationem damnatur, & litem suam facere dicitur (*f*); imo duplum promissi, & triplum accepti restituere cogitur (*g*), nec non officio privatur, fit infamis, atque inhabilis ad judicandum in futurum (*h*), & pœna extra-

(a) *In L. pecuniæ verbum §. actionis n. 14. ff. de verb. signif.* (b) *Ad Statut. Urbis lib. 1. cap. 44. n. 5.* (c) *In Lexico Jur. verbo sportula.* (d) *Leg. 7. §. fin. ff. ad L. Juliam repetund. auth. Novo jure Cod. de bonis Judicum, qui male judicarunt.* (e) *L. 2. Cod. eod. tit.* (f) *L. 2. & L. finali Cod. de pœnis Judic. qui male &c.* (g) *Authentica novo Jure §. 1.* (h) *Dicta Authen. novo jure, & L. eadem lege ff. ad L. Jul. repetundarum.*

traordinaria usque ad deportationem in Insulam inclusive potest puniri, prout Superiori Judici juxta majorem, vel minorem gravitatem criminis expedire videbitur *(a)*. Quæ quidem pœnæ etiam a pecunias dantibus in causis tam Civilibus, quam Criminal. incurruntur *(b)*, additurque nullitas omnium actorum, & quantitas data prorsus amittitur *(c)*. Quodque plus est, ad effectum eas pœnas incurrendi tam ex parte Judicis, quam litigantium, non requiritur effectus, sed simplex conatus, effectu non secuto, sufficere potest, unde etiamsi corruptio Judicis fuerit tantum tentata, itemque si Judices promissam quantitatem acceptaverint, non autem receperint, iisdem pœnis afficiuntur *(d)*, ut firmant DD. relati a Raynald. *(e)*.

9. Sequentes tamen adducit *Farinaccius* *(f)* hujus Regulæ limitationes; docet nimirum, pœnas enunciatas in his casibus non incurri: si quis sit capitaliter inquisitus; si pro expeditione Causæ, & pro Sententiæ justæ prolatione pecuniam exhibuerit; & si pro conservatione Juris sui, vel ut injustas vexationes redimere valeat, pecuniam obtulerit. Caute nihilominus in hac materia procedendum, nam tantus est rigor jurium supra dictorum, ut vix relinquant dubitandi locum, quod aliquando limitentur.

10. Speciale est in Urbe nostra, ex Constitutione *Innocentii XII.* supracitata anni 1699. confirmatoria Constitutionum *Alexandri VII. Clementis VIII. S. Pii V. Gregorii XIII.* aliorumque Pontificum, corrumpentes Judices, vel magistratus pro gratia, vel Justitia obtinenda, ipso jure excommunicari, sive ipsi promittentes sint & acceptantes, sive auxilium & favorem præbentes. Insuper fiunt infames, omni beneficio, & officio

(a) *Farinac. quæst.111. art. 2. n. 15.* (b) L.1. *Cod. de pœnis Judic. qui male &c.* (c) L.11. *ibique Gloss. §. de condict. ob turpem causam.* (d) *Ex cit. authent. novo Jure.* (e) *Tom. 1. cap.4. §.7.* (f) *Quæst.111. n.114. & seq.*

officio Ecclesiastico ipso Jure privantur, ad alia obtinenda redduntur inhabiles, & gratia obtenta nullius roboris esse decernitur. Istæque pœnæ incurruntur, etiamsi promissiones fuerint factæ ad bonum finem, vel per verba æquivoca, vel ad redimendam vexationem, quæ injusta evidenter appareat. Insuper locum habent eædem pœnæ, etiamsi promissiones & obligationes non fuerint acceptatæ; comprehenduntur mediatores omnes, sive immediati, sive mediati, quos, quocumque dignitatis gradu fulgentes sint, nullo discrimine habito, pœnis falsi, furti, & injuriarum publico Magistratui irrogatarum puniendos esse statuitur. Esculenta tamen & poculenta in citata Constitutione non prohibentur, imo ipsa, & munera permissa a Lege Judicibus dari expresse excipiuntur.

11. Si vero Judex, vel alius quicumque Officialis non acceperit pecuniam a sponte dantibus, in quo crimen repetundarum consistit, sed eam per violentiam extorqueat, v. g. per indebitas vexationes Reum affligendo, vel capitale crimen minitando, ut hoc prætextu pecuniam accipiat; hoc sane casu crimen concussionis committere dicitur, ad *textus in L. 1. & 2. ff. de Concussionibus*, & civiliter ac criminaliter potest puniri; civiliter per restitutionem pecuniæ violenter extortæ, criminaliter vero pœna extraordinaria, juxta circumstantias a Judice infligenda (*a*); atque istis pœnis etiam quævis Persona privata punitur, si alicui minetur accusationem criminis non commissi, ut hoc timore perculsus pecuniam dare ille cogatur (*b*). Nunc ad examen aliorum Criminum transeamus.

12. Sequitur crimen *Peculatus*, quod a Jurisconsulto in *l. 1. & l. sacrilegi §. Labeo ff. ad l. Juliam Peculatus* describitur: *Furtum pecuniæ publicæ non ab eo factum, cujus periculo fuit*; atque committitur, cum pecu-

(a) *L. eadem lege ff. ad L. Juliam repetundar.* (b) *Decian. lib. 8. cap. 35. n. 24.*

pecunia publica, ſeu publicis uſibus deſtinata quomodolibet intercipitur, aufertur, atque occupatur, ſive interceptio patretur per publicum Officialem, eandem pecuniam adminiſtrantem, ſive per aliam privatam perſonam, ad quam talis adminiſtratio non ſpectet *(a)*; eodemque crimine tenentur, non ſolum qui dictam pecuniam ſubtraxerint, verum etiam, qui miniſterium alicui ad ſubtrahendam pecuniam præſtiterint, & qui ſcienter eandem pecuniam acceperint; item qui licet pecuniam non diſtraxerint, illam tamen in proprium uſum converterint, vel penes ſe retinuerint in deſtinatos uſus non erogando, cum falſo aſſererent erogaſſe; pluresque alioſque modos enumerat *Raynald.* (*b*), quibus hoc delictum committitur.

13. Poſtremo crimen *de Reſiduis* a publico Officiali committitur, qui ſibi doloſe retinuit, vel in alium uſum impendit partem pecuniæ, quæ ex publica adminiſtratione ſuperfluit, ex quo crimen de Reſiduis denominatur (*c*). Id quibus modis accidere poſſit, late explicant *Giballin.* (*d*), *Brugiott.* (*e*), aliique, ad quos me remitto. Interim vero opportune notandum diſcrimen inter Crimen Peculatus, & aliud quod de Reſiduis dicitur; nam ad conſtituendum crimen de Reſiduis requiritur pecuniam publicam ſubtractam fuiſſe ab eo, cujus periculo fuerat commiſſa, & inſuper ab Officiali publico furtum patratum; Contra vero in Crimine peculatus neutrum exigitur, committitur enim, etiamſi pecunia non fuerit occupata ab eo, cujus cuſtodiæ concredita fuerat, ac etiamſi a perſona privata, nec a publico Officiali ſubtrahatur, ut in Juribus ſupra citatis diſponitur.

14. Rei

(a) *L. pæn. ff. ad L. Juliam pecul. L. unica Cod. de Crimine peculat.* (b) *Obſervat. Crimin. tom. 2. cap. 14.* (c) *L. 1. & 4. ff. ad L. Juliam peculat.* (d) *Reſolut. Crim. reſolut. 99. num. 38.* (e) *Inſtit. Crim. lib. 2. tit. 1 9.*

14. Rei vero utriusque Criminis pœna extraordinaria puniuntur, juxta majorem, vel minorem criminis gravitatem a Judice infligenda, ita ut gravius puniendus sit qui majorem, quam qui minorem summam sustulerit, & longe graviori pœna publicus Officialis, qui crimen peculatus commiserit, contra quem de Jure pœna ultimi supplicii statuitur, quam privata persona, quæ mitius punitur (*a*); late *Farinacc.* (*b*), & *Raynald.* (*c*). Verum in Urbe, & Statu Ecclesiastico vigore Constitutionum Apostolicarum, & Bannimentorum pro Crimine tam Peculatus, quam de Residuis a quocumque Officiali commisso extraordinaria pœna statuitur, juxta qualitatem personæ, & quantitatem Summæ subtractæ, ita tamen ut si furtum pecuniæ publicæ a privata persona patretur, pœna semper gravior ea existere debeat, quæ pro furto simplici incurritur; si vero ab Officiali S. Montis Pietatis, vel alterius Banci publici in ea quantitate committatur, cui pœna ordinaria adnexa sit, juxta Constitutionem *Benedicti XIII.* anni 1725. delinquens Immunitate Ecclesiastica gaudere non potest.

TITULUS IX.

De Crimine fraudatæ Annonæ.

QUoniam una ex qualitatibus, quæ in optimo Principe concurrere debet, est exactissima vigilantia, ne quid de necessariis ad vitæ sustentationem subditis desit, sed cumulatissime de omnibus provideantur, gravem sane injuriam Principi irrogant, qui annonam dolo fraudantes, minus providum, atque in subditos parum benevolum eumdem credere faciunt: Ideo nunc de Crimine fraudatæ Annonæ breviter pertractamus. 2. No-

(a) *L. 1. & L. 9. ff. ad L. Jul. peculatus, & L. unica Cod. de Crim. peculat.* (b) *Quæst. 111.* (c) *Observ. Crim. tom. 1. cap. 4. §. 5.*

2. Nomine Annonæ non ſimplex frumentum hic intelligimus, ut ratio nominis indicat, ſed frumentum, oleum, vinum, poma, carnes, piſces, legumina, ligna, fœnum, hordeum pro animalibus, aliaque omnia, quæ vel ad humanam vitam ſunt ſimpliciter neceſſaria, vel quibus eadem vita adjuvatur, & melius ſe habet (*a*). Primo autem modo hoc crimen patratur *per Monopolium* a Græco verbo *monos*, quod ſignificat unum, & *poleo*, quod ſignificat vendere; eoque caſu committitur, cum plures v. g. mercatores conveniunt, ut nemo ex ipſis vendat, vel emat aliquas res, niſi pretio inter ipſos conſtituto, vel cum ſoli eſſe curant in alicujus rei v. g. frumenti emptione, aut venditione, ut deinde cariori pretio rem emptam in Civitate vendere poſſint (*b*). Eodemque delicti genere tenentur, qui quomodolibet aliis negotiationem impediunt, ut ſoli ipſi eandem exerceant, v. g. qui illicitis pactionibus faciunt, ne frumenta ad publicas Nundinas deferantur; & qui rem ſupra juſtum pretium emere finxerint, ut vel alii tali pretio deterriti ab emptione retrahantur, vel ut ita pariter emant; alioſque ſimiles modos, quibus Monopolium committitur, refert *Raynald.* (*c*).

3. Cæterum non dicuntur Monopolium committere Mercatores, qui ex remotis regionibus curant certas merces in Civitatem adferri, ut ibi caro pretio vendantur, quia cum proprio periculo & incommodo lucrum ſibi quærere ſtudent, nec alios arcent, quominus idem efficiant; imo Plato (*d*) eos Cives optimos vocat. E contrario Monopolium committunt Mercatores, aliique, qui totam ſpeciem alicujus rei doloſe emunt, ut carius vendere poſſint; iique communi-

(a) *L. 1. & L. Provincialium Cod. de erogat. milit. Annonæ.*
(b) *L. unica Cod. de Monopoliis.* (c) *Obſerv. Crim. tom. 2. cap. 16. §. 20. num. 6.* (d) *In ſua Republica.*

muniter dicuntur *Incettatori*, & a Jurisconsulto (a) *Dardanarii* vocantur a quodam Dardano Mago scelestissimo, qui per magicas artes commotis tempestatibus annonam flagellabat, ut fruges, quas habebat, solus vendere posset.

4. Insuper Crimine fraudatæ Annonæ tenentur Cives, aliæque Personæ locupletiores, quæ supra quantitatem ad proprium usum necessariam frumentum, oleum, aliaque ad Annonam spectantia possidentes, eadem vendere renuunt, terræ sterilitatem expectantes, ut cariori pretio vendere valeant (*b*). Idemque dicendum de illis, qui navim ferentem annonam detinuerint, vel aliis illicitis artibus impediverint, ne ad aliquem locum annona perveniret (*c*). Itemque de aliis, qui mensuras & pondera publica auctoritate ad vendendas res constituta adulterant, vel falsis, & a Principe non approbatis ponderibus fraudem quomodolibet agunt (*d*).

5. Porro contra fraudantes annonam per *monopolium* pœnæ exilii, & confiscationis de Jure communi statuuntur (*e*). Hodie tamen hujus criminis Rei pœna extraordinaria puniuntur juxta delicti, & Personarum qualitatem, ideoque observari debent Bannimenta, & Leges particulares, quæ in singulis Civitatibus pro recto Annonæ regimine in dies promulgantur, & juxta eadem statuta est procedendum, ut notat *Raynald.* (*f*), qui etiam advertit, posse ex Indulto Principis ex justa causa & bono publico alicui concesso monopolium committi.

6. Hactenus de Criminibus tractatum est, quæ directè, vel indirectè contra Principes committuntur. Nunc agere oportet de iis, quæ contra quamlibet Perso-

(a) *In L. Annonam ff. de extraord. crimin:* (b) *Ad text. in d. L. Annonam versic. aut a locupletioribus &c.* (c) *L. 2. ff. ad L. Jul. de Annona.* (d) *Cit. L. Annona §. onerant Annonam.* (e) *L. unica Cod. de Monopol.* (f) *Observ. crim. tom. 2. cap. 19. §. 20.*

Personam privatam perpetrantur. Cum autem quatuor sint Bona, quæ in unoquoque homine considerari possunt, vita scilicet, libertas, res, & fama, de speciebus delictorum erit disserendum, per quæ ista auferuntur. Cumque vita his omnibus pretiosior existat, libertas enim, res, & fama vitam sequuntur, & ad illam ordinantur; hinc *de homicidio* primum sermo instituetur, quo homines vita privantur: deinde de vi publica & privata, per quas libertas adimitur: 3. de furtis, & usuris, per quas res auferuntur: postremo de libellis famosis, aliisque injuriis, per quas famæ hominis derogatur.

TITULUS X.

De Homicidio.

HOmicidium ab hominis cæde ita appellatum, eo gravius quocumque alio crimine reputatur, quo vita hominis, quæ per illud adimitur, omnibus rebus, circa quas alia delicta plerumque patrantur, pretiosior, & præstantior existit, ut supra notavimus. Unde per homicidium Divina Majestas offenditur, cui jus vitæ, & necis privative reservatur, juxta text. *Deuteron.* 32. ibi: *Ego occidam, & ego vivere faciam*: Respublica item, quæ sicuti numero civium augetur, ita hominum occisione minuitur: Natura demum, cui violenter individuum tollitur (*a*). Communiter autem homicidium describitur: *Occisio hominis ab homine facta*, seu *violenta vitæ hominis ademptio*: & multipliciter potest patrari, nempe armis, lapidibus, lignis, telis, violenta in præcipitium projectione, alimentorum subtractione, gravi in carceribus custodia, veneno, aliisque similibus modis, quos malitia hominum potuit reperire. Quacumque vero ratione cædes sequatur, æque homi-

(a) *Raynold. tom.1. cap.7.*

homicidium committitur, si vel per se, vel per alium mors fuerit illata, nempe consulendo, mandando, opem præstando, aut quomodolibet in alienam mortem cooperando, & influendo (*a*).

2. Trita porro homicidii divisio est in illud, quod a lege permittitur, & in alterum, quod a lege prohibetur; primum justum, secundum injustum vocatur. Species homicidii primo modo considerati hæ recensentur; si auctoritate Judicis homicidium sequatur; si in bello justo; si is occidatur, qui est per publicam mortis Sententiam proscriptus, & Bannitus dicitur: si demum in dubio vitæ discrimine necessitas urgeat aggressorem necandi, quod homicidii genus *necessarium* appellatur, quia in ea circumstantia commissum supponitur, ut nequeat aliter inimicus repelli (*b*); quo quidem casu moderamen inculpatæ tutelæ communiter docent debere intervenire.

3. Et quidem auctoritate Judicis vel Principis impune a carnificibus Rei criminum capitalium occiduntur; etenim ad coercendam hominum malitiam, utque tuta sit inter improbos innocentia, quamdam supremi dominii super vitam, & necem hominum participationem Deus O. M. Principibus & Magistratibus concedere voluit, tribuitque ultimis suppliciis posse malefactores afficere. Exodi enim *Cap.*21. legitur: *Maleficos non patieris vivere*: & *Apostolus ad Romanos* (*c*) ait: *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit*: quibus sane verbis: *Dei enim minister est*, Jus gladii publicæ potestati a Deo tributum esse significatur, ut notat Theophylactus (*d*). Accedit etiam ratio Doctoris Angelici (*e*), quod Communitas ita in ordine ad singulos Cives est consideranda, sicut homo quilibet relate

(a) *L. qua actione §. occisum ff. ad Legem Aquiliam. L. 3. ff. ad L. Corneliam de sicariis cum aliis Juribus.* (b) *L. ut vim ff. de Just. & Jur.* (c) *Cap.* 13. (d) *In eum locum.* (e) 2.2. *q.* 64. *art.* 2.

late ad membra, quibus componitur. Quemadmodum ergo, si aliquod membum toti corpori noceat, juxta rationem artis medicæ abscinditur, ita Principes, Judices, aliique magistratus noxæ reos e medio tollere debent, ne præjudicium toti Reipublicæ inferant.

4. Insuper homicidium in bello justo secutum notam criminis exuit; idemque dicendum si publice proscriptus, seu bannitus occidatur; in quibus quidem casibus non homo, sed lex ipsa videtur occidere, ut eleganter notatur in *Can. si homicid.* 23. *q.*5. Idque in foro externo, ac in foro conscientiæ æque servatur, quia cum ex una parte licitum coram Deo, & realiter sit in bello justo alios occidere, eademque ratione permittatur bannitos interficere; Cumque in foro conscientiæ veritas attendatur, fit, ut in foro etiam interno sit tutus qui uno vel altero modo alios necaverit. Late Cravetta *Consil.*409. *n.*8., Miglioruc. *hoc tit. differt.*2. *&* Farinacc. *q.*103.

5. Postremo cum vim vi repellere pro vitæ defensione, & injuriam propulsare naturalis ratio suadeat (*a*) (licet ex Christiana mansuetudine satius esset propriam vitam Deo offerre, quam alieno sanguine manus inquinare), hinc si aliquis ob sui defensionem occidatur, homicidii crimen excluditur, & puniri non potest, dummodo moderamen inculpatæ tutelæ exacte fuerit observatum (*b*); Ad hanc autem moderatam tutelam requiritur, quod nequeat aggressus aliter quam occidendo aggressorem propriam vitam defendere, & imminens mortis periculum evitare (*c*). Unde ex communi DD. consensu ad supradictam moderatam tutelam exigitur, quod inter offensorem, & offensum circa tempus, causam, & modum æqualitas intercedat (*d*). Primo circa tempus, nam defensio

(a) *L. ut vim ff. de Justit. & jure.* (b) *Cap. significasti 18. de homicid. Clement. un. eod. & cap. ex tenore, eod. tit. cap.* 51. *vero* 3. *de sent. excom.* (c) *Ex cit. Juribus.* (d) *Farinacc. q.*125. *Zuff. Instit. crimin. lib.*2. *tit.*9. *Gomez variar. resol. tom.*3. *cap.*3. *aliiq.*

ſio fieri debet in ipſo actu aggreſſionis, & antequam aggreſſor, & inſultatus ad actus extraneos divertant. Secundo circa Cauſam, nam non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam, non ulciſcendi, ſed ſe defendendi animo dumtaxat licet aggreſſorem offendere. Tertio circa modum, qui in æqualitate aggreſſorem inter aggreſſumque conſiſtit. Æqualitas autem iſta ex pluribus circumſtantiis reſultat; Scilicet ratione qualitatis Perſonæ, etenim abeſſet æqualitas, ſi unus eſſet puer, vel ſenex, alter vero in virili ætate conſtitutus; itemque ſi unus infirmus aut viribus carens, alter vero ſanus & robuſtus. Inſuper æqualitas conſtituitur ratione loci. Nam ſi aggreſſus ex loco ſuperiori aggreſſorem in loco inferiori exiſtentem occidat, æqualitas deficit. Demum ratione armorum; ſi enim quis ſine armis inſultetur, nequit inſultantem cum armis opprimere, pariterque ſi cum enſe fuerit provocatus, nequit ſe cum ſclopo defendere (*a*).

6. Quoniam vero difficillimum eſt in actu aggreſſionis iſtas æqualitatis leges ſubtiliter, accurateque ſervare; hinc licet æqualitas loci, armorum, aliarumque circumſtantiarum rigoroſe non intervenerit, ſi tamen offenſus alio modo nequiverit mortem, vel ejus urgens periculum evitare, homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ dicitur factum (*b*). Solumque ut reipub. aliquomodo ſatisfiat, pro foro externo levis pœna extraordinaria ſtatuitur (*c*): pro foro autem interno diſpenſationem a ſuſpenſione, & ab irregularitate ad cautelam poſtulari debere Tridentin. diſpoſuit (*d*).

7. Cæterum regula iſta, quod homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ commiſſum culpæ ſit expers, non ſolum pro foro externo intelligitur, ſed etiam pro foro interno per hoc, quod occidens nullatenus

(a) *Panimol. deciſ. 22. adnotat. 10. n. 57. & ſeqq.* (b) *Farinac. cit. q. 125.* (c) *Panim. cit. deciſ. 22. adnot. 11. Raynald. tom. I. cap. 7.* (d) *Seſſ. 14. de ref. cap. 7.*

nus peccet, etiamsi in loco sacro contra Personas Religiosas, vel cujuscumque alterius conditionis illud committat, ut notat Barbosa (*a*); Idque extenditur etiam quoad Personas conjunctas, quarum nomine omnes Consanguinei intelliguntur, ut notat *Farinac.* (*b*). Imo aliqui (licet minus probabiliter) putant, permissum esse pro defensione vitæ cujusque extranei alium injustum, & violentum aggessorem occidere, dummodo aliter vita proximi defendi non valeat (*c*).

8. Quæri hic solet, an licitum sit pro defensione honoris, & rerum alios occidere? Et licet aliqui *affirmative* respondeant, quia honoris causa vitæ æquipollet (*d*); Imo ab honestis viris honor plusquam vita diligitur, ipsique vitæ anteponitur (*e*); Rerum insuper possessio ad vitæ conservationem ordinatur (*f*); Ideoque cum propter vitæ defensionem liceat aggressorem occidere, licere etiam videtur propter media illa, sine quibus non conservatur (*g*). Tamen non est ullatenus verum, præsertim de Jure Canonico, quod est in hac materia servandum, quod scilicet ob quamlibet injuriam propulsandam, & quæcumque bona etiam modici valoris custodienda, alterum occidere liceat; nam quod spectat ad honoris defensionem, in primis difficillimum est invenire casum, quo honor per calumniam, vel alia ratione deperditus nequeat aliter reparari, ut bene notant *Barbosa* (*h*), *Anacletus* (*i*), aliique. Deinde habemus plures propositiones ab Ecclesia damnatas, nempe istam Ven. Innoc. XI. die 2. Mart. 1679. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre,*

(a) *De pot. Ep. part. 3. allegat. 51 n.4.* (b) *Cit. quæst. 125.* (c) *Panimol. cit. decis. 22. aliique Interpretes in L. ut qui ff. de Just. & Jure.* (d) *L. justa ff. de manumiss. vindict.* (e) *L. justi quidem ff. de eo quod motus causa.* (f) *Gloss. in l. ut vim ff. de Just. & Jur.* (g) *Farinac. cit. q. 125. & Panim. loco supra cit.* (h) *In cap. suscepimus de homicid. n.4.* (i) *Ad lib. 5. Decret. tit. 12. §. 4.*

ferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: & antea *Alexander VII.* die 24. Septembris 1665. istas propositiones proscripserat: quarum prima in ordine est 17. & ita se habet: *Licitum est Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, ut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, vel coram gravissimis viris prædicta impingere nisi occidatur*: Secunda, quæ est in ordine 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare*. Tertia tandem, quæ est in ordine 19. ita concipitur: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*: Late *P. Viva tom.*1. (*a*).

9. Quo vero ad rerum defensionem, tres pariter propositiones a *Ven. Innoc. XI.* proscriptæ reperiuntur, prima quarum est 31. & ita se habet: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*: Altera est 32. ita concepta: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus incheatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: Tertia, quæ est 33. *Licitum est tam hæredi, quam Legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel Legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem*. Ratio vero, propter quam Summi Pontifices, qui moderatam tutelam desiderant, supradictas propositiones rejecerunt, est, quia magna datur disparitas inter hominem, qui est creatura nobilissima, & ad Dei imaginem efformata, & res transitorias, quibus omnibus vita hominis præstat, ut bene considerat *Fagnan.* (*b*). Ideoque nun-

(a) *Ad istas propositiones*. (b) *In cap. suscepimus, de homicid. num.* 11.

nunquam licere poteſt propter cuſtodiam rei temporalis, præſertim ſi nihili, aut parvi a cordatis viris communiter æſtimetur, homini vitam eripere, in cujus occiſione periculum imminet, quod mors non ſoli corpori detur, ſed etiam animæ perpetuus cruciatus, ſi ſpiritualibus ſubſidiis non fuerit præmunita. Hinc advertendum pro generali hujus materiæ notitia, quod licet juxta Juris civilis diſpoſitionem aliqui cenſeant, neminem teneri fugam arripere, etiamſi hoc pacto valeat aggreſſorem repellere, tamen ex Sac. Canonum cenſura contrarium ſtatuitur, quemlibet ſcilicet fugæ ſe debere committere, ſi hoc pacto poſſit imminens periculum evitare *(a)*.

10. Hactenus de homicidio juſto, & a jure non vetito tractatum eſt, nunc de injuſto, & vetito eſt diſſerendum. Hoc ſane aliud eſt ſimplex, aliud qualificatum. Simplex dicitur, cui nulla qualitas aggravans ſuperadditur, & hoc ſubdividitur in caſuale, culpoſum, rixoſum ſimplex, rixoſum doloſum, voluntarium purum, & voluntarium præmeditatum. Homicidium vero qualificatum ſubdividitur, juxta qualitates, quæ ipſum ſequuntur, nimirum Aſſaſſinii, Proditionis, Inſidiarum, Duelli, & hujuſmodi, latiſſime inter alios expoſitas a *Raynald.* *(b)*.

11. Simplex caſuale eſt, quod ex mero caſu, nullaque culpa præcedente contingit, ut ſi ex motu aperitionis feneſtræ ſaxum ceciderit, hominem prætereuntem, vel ſubtus manentem occidens. Culpoſum eſt, quod ſine animo, & voluntate occidendi, ſed non ſine culpa committitur *(c)*, ut ſi faber murarius non appoſito ſigno aliquid projecerit, ex quo viator occiſus remanſerit. Culpa autem dupliciter hic conſideratur, vel ſcilicet cum quis rei licitæ dat operam; ut ſi quis

(a) *Barb. de poteſt. Epiſcopi n. 3. aliique.* (b) *Obſerv. crim tom. 1. cap. 7.* (c) *Ad textum in l. 1. §. Divus Adrianus ff. ad l Corneliam de Sicariis.*

se defendendo telum, vel lapidem jaciens, non aggressorem, sed prætereuntem occidat (a); vel quando opus illicitum exercetur, & tunc subdistinguitur, vel opus exercitum est tantum illicitum, sed non a jure prohibitum, v.g. si quis occisus remanserit ex lapide, ligno, aliave re inconsiderate projecta in locum, ubi turba hominum erat: vel opus est illicitum, & a jure prohibitum, ut cum aliquis volens occidere Petrum, Paulum transeuntem occidat. Homicidium rixosum simplex est, quod in ipsa rixa, seu actu rixæ committitur. Rixosum vero dolosum est, quod extra locum, & actum rixæ, sed calore iracundiæ perseverante patratur. Perseverare autem dicitur iracundiæ calor, quousque provocatus ad actus extraneos non diverterit, quod ultra diem extendi non potest, ut notat *Farin.* (b). Voluntarium purum est, quod ex solo arbitrio, & voluntate committitur, quin aliquis fuerit ab altero provocatus, vel justam causam habeat; v. g. si quis alium occidat ex mera suspicione, quod alter cum armis incedens ad eum occidendum fuerit missus. Voluntarium vero præmeditatum, quod vulgo *appensatum* vocatur, prævia animi præmeditatione, & voluntate deliberata committitur, & licet provocatio præcesserit, adhuc præmeditatum homicidium nuncupatur, si tempus effluxerit, quo iracundiæ calor extinctus esse censetur.

12. De eo inter Doctores dubitatur, an scilicet homicidium commissum cum præcedente voluntate conditionata voluntarium purum, vel præmeditatum sit appellandum, quod maxime interest, ad distinguendas pœnas, quæ pro utroque casu incurruntur. Casus figuratur in eo, qui deliberat suum debitorem occidere, nisi debitum solvat. Plures sane existimant, tale homicidium voluntarium purum dici debere, quia voluntas

(a) *L. scientiam §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquiliam.* (b) *Loco supra cit.*

luntas vere non determinatur, nisi quando homicidium committitur. Alii econtra acerrime sustinent, esse præmeditatum, quia jam creditor occisionem determinaverat, & arma paraverat adhibenda pro casu, quo debitor non solveret, ideoque homicidium ad præcedentem determinationem est referendum, cum nulla alia causa supervenerit. Alii tandem verius cum distinctione quæstionem dissolvunt: scilicet inspiciendum esse docent; si creditor, qui occisionem sui debitoris casu, quo iste non solveret, proposuerat, si, inquam, eundem inquirens non petita debiti solutione, nec ullo facto colloquio statim occidat; tunc homicidium erit præmeditatum, quia ex nulla alia causa, quam præcedentis determinationis procedere potuit; Si vero solutionem debiti ab illo postulaverit, & iste loco restitutionis pecuniæ acerbis verbis creditorem exceperit; tunc homicidium voluntarium purum censebitur; quia ex superventa causa iracundiæ derivatum esse præsumitur (*a*).

13. Pœna sane ordinaria contra alios voluntarie occidentes est ultimum supplicium; quamvis enim *Lege Cornelia de Sicariis*, quam Lucius Cornelius Sylla Dictator Romanus evulgavit, ut habetur in *L. necessarium 2. §. capta ff. de origine juris*, deportatio, & bonorum ademptio, seu confiscatio statueretur, saltem contra honestiores, & nobiliores delinquentes: Justinianus tamen contra omnes indistincte pœnam mortis indixit. Sed utrum mandans aliquem vulnerari, expresseque prohibens occidi, hac pœna puniatur, si mandatarius mandati fines excesserit, incerta res est; Clarus quidem (*b*), Gomez (*c*), aliique *affirmative* respondent; contrariam tamen sententiam communius admittunt, quia in materia odiosa, & pœnali, qualis

(a) *Raynaldus loc. cit. a n.64. ad n.114.* (b) *Lib.5. sent. §. fin. quæst.89. n.5.* (c) *Tom.6. var. resol. cap.3. n.18.*

est ista, debemus in favorem Reorum leges quantum fieri potest restringere, & non ampliare (*a*).

14. Homicidium qualificatum juxta diversas qualitates aggravantes in varias species dividitur, quas distincte, & methodicè examinari rei gravitas exigit. Primo autem inter species homicidii qualificati assassinium est considerandum, quod licet si nomen investigemus jure Romanorum videatur incognitum, quoad criminis tamen substantiam pluribus textibus improbatur, signanter vero *ex L. nihil* 15. *ff. ad L. Cornel. de sicariis*. Atrocissimum vero crimen in jure censetur, & horrendum a DD. nuncupatur. In eo autem consistit, quod *de mandato alicujus, mediante pecunia accepta, vel promissa, Christianus homo, a quo occisor nulla injuria affectus fuit, occidatur* (*b*). Quibus quidem verbis satis innuitur, quæ debeant requisita concurrere, ut crimen assassinii committatur. Verba enim *de mandato alicujus* significant, ad constituendum assassinium debere mandatum intervenire (*c*); Ad cujus probationem non exiguntur depositiones Testium, aliæque probationes luce meridiana clariores, sed in odium criminis adeo execrandi etiam simplices conjecturæ admittuntur, quæ eruuntur ex capitali inimicitia inter mandantem, & occisum præcedente, a secreta mandantis cum mandatario allocutione, & ab occisione incontinenti, aut paulo post a mandatario commissa (*d*). Debet autem occisio mandari, si enim mandatum ad vulnerandum dumtaxat fuerit datum, assassinium non dicitur, nisi ex percussione, & vulneribus mors fuerit secuta, & mandata fuerit vulneratio cum instrumento ad occidendum ut plurimum apto, tunc enim assassinii crimen committitur ex bannimentis generalibus Urbis *num*. 19.

Addi-

(a) *Ad text. in cap. odia, de Regul. juris in 6.* (b) *Cap. 1. de homicid. in 6.* (c) *Ad text. in cap. pro humani, de homicid. in 6.*
(d) *Raynald. tom. 1. cap. 7. §. 1. Panimoll. decis. 22. adnot. 6. n. 41. & seqq.*

Additur *mediante pecunia accepta*, *vel promissa*; Principalis namque conditio, quæ debet in assassinio concurrere, est, quod datio, vel promissio pecuniæ interveniat, cujus nomine non præcise pecunia numerata, sed quæcumque res pretio æstimabilis intelligitur. Præterea sufficit, quod promissio, sive verbo, sive scripto, sive etiam nutibus fiat, imo etiamsi verbis generalibus concipiatur, dummodo expresse, vel tacite a mandatario fuerit acceptata, & mandatarius iisdem verbis adducatur ad immanis hujusce sceleris executionem (*a*).

15. Insuper Christianus homo debet interfici, cujus nomine venit etiam cathecumenus, qui fidem Christianam quamprimum est suscepturus; Unde si Judæus, vel Turca occidatur, assassinii crimen non committitur, ex textu *in Cap. pro humani, de Homic. in 6.* licet communior sit sententia DD. apud *Raynald.* (*b*), existimantium, generaliter & indiscriminatim assassinium committi, quomodocunque aliquis alium ad occidendum conducit, vel prævia pretii receptione, vel promissione alium occidit. Tandem dicitur, *a quo occisor nulla injuria fuerat affectus*, quod clarioribus terminis a DD. explicatur, nimirum quod mandatarius nullam habuerit causam occidendi, & consequenter quod is qui de alterius mandato est occidendus occasionem non habeat a mandatario sibi præcavendi. Hinc proprie assassinus non dicitur, qui suam injuriam persequitur, etiamsi cum auxilio sociorum pecunia conductorum alium occidat. Idemque dicendum de mandante, qui data vel promissa pecunia suum inimicum occidere facit; Si enim mandans præsens est homicidio, & palam intervenit, assassinium non erit, quia occisus sibi debebat ab inimico præsente præcavere (*c*). Dixi *palam inter-*

(a) *Del Bene de Immun. Eccles. tom.2. cap.26. dub.21. sect.2. num.* 10. (b) *Loco cit.* §. 1. *num.* 13. & 17. (c) *Raynald. loco cit.*

intervenit; Aliud enim eſt affirmandum, ſi adeo occulte, & clandeſtine permaneat, ut cognoſci non poſſit, ut notant *Raynald.*(*a*), & *Guazzin.* (*b*).

16. Mediatores inſuper auxilium præſtantes, & quicunque ſunt hujus delicti participes de Jure civili, & in Tribunalibus ſæcularibus aſſaſſinii pœnas incurrunt, ſed de Jure Canonico in Tribunalibus Eccleſiaſticis præcipue ſervato diverſis pœnis puniuntur, quia neque *in cap. pro humani*, *de homic. in 6.*, neque in Conſtitutione Gregoriana ſtatuente, aſſaſſinos beneficio Immunitatis Eccleſiæ privari, neque in bannimentis Status Eccleſiaſtici comprehenduntur, in quibus omnibus de mandante, & mandatario fit mentio, horum autem nomine mediatores, & participes in odioſis, & pœnalibus, prout hic agitur, intelligi nequeunt (*c*).

17. Duæ inſuper recenſentur ſpecies aſſaſſinii, quæ improprie tales vocantur, altera nempe dicitur *ſuperchiaria*, quæ committitur, cum quis cum majori armatorum numero in aliquos irruit, eoſque vulnerat, vel etiam interficit: Altera vero in eo conſiſtit, quod non interveniente pecunia, vel pecuniæ promiſſione, concurrentibus tamen ſupra expoſitis requiſitis, homicidium alicujus hominis alicui committatur, & *mandatum* ſimplex vocatur, quod quidem pœna ultimi ſupplicii, non ſolum vigore *L. Corneliæ de Sicariis*, ſed etiam ex bannimentis Urbis punitur (*d*).

18. Poſt aſſaſſinium inter ſpecies homicidii qualificati Parricidium adſcribitur, quod enormiſſimum etiam dicitur, & in ſtricta ſignificatione committitur, cum pater, & mater, vel frater occiditur; In ſenſu autem lato eſt aſcendentis, vel deſcendentis, vel cujuslibet Perſonæ conſanguinitate, vel affinitate conjunctæ inter-

(a) *Loc. cit. num.137.* (b) *Ad defenſ. Reor. defenſ.1. cap.38. num.42.* (c) *Cap. odia, de pœnis in 6.* (d) *Amenus de delictis & pœn. tit.7. §.6. n.18.*

terfectio (*a*). Quod tamen in Institutionibus *de publicis Judiciis* §. *alia deinde* ad eos dumtaxat consanguineos, vel affines restrictum est, qui parentum nomine veniunt, ibique *glossa* explicat, *parentis* nomine intelligi ascendentes, & descendentes in infinitum, & quosdam Collaterales, nempe fratres, consobrinos, & patrueles, ac nonnullos affines, videlicet uxorem, nurum, generum, vitricum, privignum, & socerum. Unde alios cognatos, vel affines præter istos occidens, etiam secundum bannimenta Urbis pœnas Parricidii minime incurrit, sed pœna legis Corneliæ de sicariis, scilicet ultimo supplicio punitur.

19. Eximitur tamen filius a pœnis Parricidii, si aut ignoranter patrem occidat, aut quia is est proditor Patriæ, aut se defendendo, cum pater vellet ipsum occidere (*b*); idque multo magis procedit in iisdem circumstantiis relate ad alias personas supra indicatas. Ira autem a pœna ordinaria Parricidii nec filios, nec parentes excusat, juxta *Decian.* (*c*), quamvis contrarium existimet *Farinacc.* (*d*), qui notat cum communi, eadem pœna Parricidii esse puniendos eos, qui de mandato crimen commiserunt, vel quomodolibet opem, consiliumque præstiterunt, ut disponitur etiam in *L. utrum ff. ad leg. Pompejam de Parricid.*

20. Quæri hic solet, an hoc crimine teneantur parentes, qui infantem natum, vel non natum, & in utero manentem occiderint? Et certe si infans jam in lucem editus occidatur, quocumque Jure attento Parricidium committitur, *ad text. in L. unica de his, qui parent. vel lib. occid.* Si infantis autem nondum nati, qui fœtus animatus dicitur, homicidium sive per ventris compressionem, sive per poculum abortivum

(a) *L. 1. & toto tit. ff. ad legem Pompejam de Parricid. & l. unica cod. de iis, qui Parentes, vel liberos occiderunt.* (b) *Menoch. de arbitrar. casu 356. num. 33.* (c) *Tract. crimin. lib. 9. cap. 15.* (d) *Q. 120. num. 128.*

tivum contingat, licet de Jure civili nec lege Parricidii, nec pœna ultimi supplicii puniatur, quia partus nondum editus homo non dicitur, *ad textum in Leg. infanticidia §. circa ventrem ff. ad Leg. Falcid.* Tamen ex dispositione bannimentorum Status Ecclesiastici pœna mortis naturalis, non tamen Parricidii, statuitur contra parentes, qui infantem in utero clausum suffocaverint, vel quomodolibet dolose interfecerint. Quoties vero infans immaturo partu absque dolo procurato in lucem editus a matre fuerit occisus, pœna extraordinaria imponitur, si infans non esset vitalis, prout usque ad quintum mensem inclusive reputatur. Tandem eadem extraordinaria pœna mater punitur, si infantem vix natum, seu in utero existentem, aut fœtum vix animatum, qualis censetur post 40. dies a conceptione, si fuerit masculus: & sexaginta, vel octoginta, si fuerit fœmina; si, inquam, talem infantem occiderit ad salvandam vitam, vel proprium honorem, de cujus jactura vel certa jam est, vel rationabiliter timet (*a*). In dubio autem fæmineum fœtum judicari posse, ut minus Reus aggravetur, notavit Thomas Tamburinus in decem præcepta Decal. (*b*).

21. Tertio loco inter homicidii qualificati species proditorium succedit, quod perpetratur, cum nulla præcedente inimicitia, aut simulata, & ficta amicitia aliquis vita privatur ad similitudinem Judæ, qui caput, & magister proditorum merito dicitur. Tripliciter autem hoc crimen committitur; primo quidem lato modo, cum quis per insidias interficitur, & tale homicidium, *per insidias* commissum vocatur. 2. Modo magis proprie, cum nulla inimicitia præcedente, vita alicui adimitur, licet in actu proditionis nulla inimicitiæ signa intervenerint, & hoc etiam est homicidium proditorium, licet mitius puniatur. 3. Modo propriissime,

(a) *Amœn. de delictis, & pœnis tit. 7. §. 10.* (b) *Lib. 1. cap. 3. §. 7. verb. irregularitas n. 2.*

me, cum quis occiditur ſub colore amicitiæ, & multo magis ſi in actu, quo amicitiæ ſigna exhibentur, & hoc proprie homicidium proditorium nuncupatur, & dicitur crimen enormiſſimum *in Cap.* 1. *de homicid.* & ex Conſtitutione Gregorii XIV. ab Immunitate Eccleſiaſtica delinquentem excludit, quæ pœna etiam contra illos extenditur, qui poſtquam expreſſe vel de recenti, vel etiam ab antiquo, nec nova interveniente cauſa cum inimico eſſent reconciliati, eumdem occidere non dubitarunt (*a*).

22. Quoniam vero præcipua ſpecies homicidii proditorii illa eſt, quæ per propinationem veneni committitur, ſolet enim regulariter venenum ab illis propinari, qui conſanguinei, aut affines ſunt, aut amici reputantur, idcirco opportunum eſt de propinatione veneni aliqua innuere. Sane graviſſimum eſt homicidii genus veneni propinatio, & merito dicitur in *L.* 1. *Cod. de Malefic. & Mathem.*, plus eſſe veneno, quam ferro hominem interficere, quia ab iis, qui ferro nos aggrediuntur, facilius poſſumus nos ipſos defendere, quam ab illis, qui per propinationem veneni contendunt vitam eripere; a quibus moraliter impoſſibile eſt nobis præcavere (*b*).

23. Generaliter ſane loquendo pro propinantibus venenum pœna mortis ſtatuitur, ſive ab amico, ſive ab inimico, ſive a quocumque præbeatur; licet enim inimicus proditorii criminis Reus non ſit, ultimo tamen ſupplicio damnatur (*c*). Et licet aliqui cenſeant apud *Decianum* (*d*), & *Farinaccium* (*e*), id intelligi debere morte ſequuta, in Urbe tamen, & Statu Eccleſiaſtico vigore Bannimentorum num. 59. 60. & 61. ſola propinatio ad effectum occidendi etiam non ſequuto effectu morte punitur (*f*). Eademque pœna dam-

(a) *Panimoll. decif.* 22. *annot.* 5. *per tot.* (b) *Farinac. q.* 122.
(c) *L.* 1. *&* 3. *Cod. ad L. Corn. de Sicariis.* (d) *Tract. Crimin. l.* 9. *cap.* 26. (e) *Loc. ſup. cit.* (f) *Raynald. tom.* 3. *cap.* 31. §. 2.

nantur, qui propinantes poculum maleficum, irreparabilem infirmitatem alicui inferre conantur, v.g. fatuitatem, sterilitatem, abortum, vel causare odium, aut amorem excitare contendunt; quidquid enim sit de poculo amatorio, cujus propinationem excusari debere, & pœna dumtaxat extraordinaria puniendam esse aliqui existimant: tamen nemo dubitat pro aliis propinationibus ultimum supplicium imponi, etiam si mors vel irreparabilis infirmitas citra intentionem præbentis poculum accidat *(a)*. Pro ementibus imò & respective vendentibus venenum variæ a Jure Civili pœnæ fuerunt constitutæ, quas recenset *Farinac.* *(b)*. In Urbe tamen, & Statu Ecclesiastico attentis dispositionibus Bannimentorum num. 60. pœna triremium per decennium incurritur, si potio veneno infecta ematur, aut respective vendatur.

24. Ad Proditorium quoque reducitur crimen Vindictæ transversalis, quod licet Jure Civili incognitum videatur, juxta tamen Constitutiones Apostolicas *Clementis VIII. Pii IV.* & *S. Pii V.* læsæ majestatis, rebellionis, & seditionis pœnis punitur. Hujus sane criminis rei sunt, qui non inimicum, sed aliam Personam consanguineam, vel affinem, vel familiarem, vel amicam inimici offendunt, vel interficiunt. Itemque si non is qui injuriam recepit, sed consanguinei, vel familiares, vel amici ejusdem injuriæ ulciscantur.

25. Postremo Proditorium dicitur homicidium *per insidias* commissum, cum quis clam, & in loco, in quo prævideri nequit, absconditus, in aliquem irruens, repente illum occidit; quod quidem homicidii genus licet proditorium esse affirmaverim, id ita intelligi volo, ut tale revera sit cum inter occidentem, & occisum nulla inimicitia intercederet. Si enim occisus, inimicus occidentis existeret, improprie homicidium pro-

(a) *L. si quis aliquid §. qui abortionis ff. de pœnis.* (b) *Loco supra citato.*

proditorium vocaretur, quia semper debemus ab insidiis inimici præcavere, ut supra notavimus. Nunc de duello, in quo altera species homicidii qualificati consistit, aliqua dicamus.

26. Duellum, quasi duorum pluriumve bellum sit, ita vocatur, atque describitur: *Duorum pluriumve certamen in æquali numero cum periculo occisionis, vel vulneris, ab utraque parte deliberate, & ex condicto susceptum* (a). Dicitur *duorum pluriumve certamen in æquali numero*, quia ad constituendum duellum non requiritur præcise numerus duorum secum pugnantium, sed æque duellum dicitur etiamsi plures interveniant, dummodo æquales sint numero, si enim numerus ex una parte sit major, ex altera minor, non duellum, sed *superchiaria* nuncupatur, ut supra notavimus; imo ultra æqualem numerum concertantium, debet etiam æqualitas armorum adhiberi (b). Dicitur *cum periculo occisionis*, pugna enim sine armis inita, vel cum armis, sed ad meram ostentationem, & prævio reciproco pacto, quod unus ex pugnantibus alterum non sit offensurus, proprie nec pugna nec duellum vocatur. Additur demum *ab utraque parte deliberate, & ex condicto susceptum*, quia præcedens tractatus ad duellum requiritur, nimirum provocatio ex una parte, & expressa ex altera parte facta acceptatio, loco & tempore determinato. Unde si calore iracundiæ unus ex rixantibus ad dimicandum alium compellat, duellum non dicitur (c).

27. Omissis autem pluribus divisionibus duelli relatis a *Cajetano* (d), illa communius affertur, qua duellum in solemne, seu publicum, & in privatum dividitur. Solemne est, in quo Judex constituitur, literæ provocationis transmittuntur, patrini, & assisten-

(a) *Gonzalez in cap. Henricus n. 7. de Clerico pugnant. in Duello.*
(b) *Raynald. tom. 1. cap. 9. §. 2.* (c) *Raynald. loco cit.*
(d) 2. 2. *q. 95. art. 8.*

tes deputantur. Privatum est, in quo licet istæ solemnitates non interveniant, adhuc quoad substantiam duellum committitur, juxta definitionem supra explicatam (*a*). Gravissimæ vero contra duellantes, sive publice, sive privatim tam a Jure Canonico, quam Cæsareo constitutæ sunt pœnæ, quas late referunt *Raynald.* (*b*), & *Pignatell.* (*c*). Præcipuæ sunt excommunicatio ipso facto incurrenda, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, infamia, & bonorum omnium confiscatio; easdemque pœnas non solum duellantes, sed etiam patrini, accedentes ad videndum congressum, auxilium, & consilium præbentes, & quomodolibet ad duellum cooperantes incurrunt, ut notatur communiter.

28. Merito autem adeo rigide utriusque Juris censura contra duellum invehitur; etenim duellum per se, ac privata auctoritate initum est omni jure, Naturali scilicet, Divino, & Humano prorsus illicitum; & quidem *Jure naturali*, quia non solum in duello uterque ex duellantibus est aggressor, sed insuper duellum conventionem, & tacitum pactum, quo duellantes juri vitæ cedunt, includit, sibique jus in vitam invicem tribuunt, quod neuter habet. Item *Jure Divino* prohibetur, per præceptum quintum Decalogi: *Non occides.* Jure pariter Canonico, ut constat *ex Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 19. ultra alios Textus in corpore Juris Canonici sparsim contentos. Denique de jure civili expresse vetatur *in l. unic. cod. de gladiat. lib.* 11. Quin prodesse possit vanus ille, & futilis timor evitandi aliorum infamiam, aut honorem, vel officium conservandi, tum quia absque duello adiri potest Superior, seu Judex, qui gravamen resarciat, vel fieri potest publica protestatio, quod in obsequium legum Divinarum, & humanarum, nullatenus vero ex timore a duello abstineatur: tum quia prudentes, & probi duellum in honore,

(a) *Farinac. consf. 9. per tot.* (b) *Tom. 1. cap. 9. §. 1.* (c) *Consult. 88. 195. tom. 9.*

honore, & pretio non habent, ſed imprudentes tantum, & improbi homines, qui cæteroquin ſecum animo reputare deberent, quod in duello vel aliquis vincitur, & occiditur, vel alterum vincit; Si primum: occumbit inglorius; ſi alterum, aut obnoxius eſt ultimo ſupplicio, aut debet relictis conſanguineis, amicis, bonis, rebuſque omnibus caris, fugæ ſe tradere.

29. Quibus ſane, aliiſque perpenſis, merito antiquorum Pontificum Conſtitutionibus contra duellum evulgatis Benedictus XIV. in Conſtitutione incipien. *Deteſtabilem, edita 4. idus Novembris anno* 1752., quam refert per extenſum *Baſſanus* (a), nedum eaſdem ampliſſime renovavit, verum etiam quinque ſequentes Propoſitiones proſcripſit.

I. *Vir militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ, ac promeritæ ſpe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum.*

II. *Excuſari poſſunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt, pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III. *Non incurrit pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.*

IV. *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.*

V. *Aſſerta licentia pro ſtatu naturali applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis malæ ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus juſtitia aperte denegatur.*

30. Atque

(a) *In Theor. prax. crim. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 47.

30. Atque hæc de duello dixisse sit satis. Expositis autem speciebus homicidii qualificati, aliæ communiter superadduntur, nimirum ratione circumstantiarum, quæ possunt homicidii crimen aggravare; Tale est homicidium in Ecclesia, in Palatio Principis, vel in ejus præsentia commissum, vel in publico Theatro, dum publica spectacula celebrantur, in quibus quidem circumstantiis ultimo supplicio homicidium punitur. Imo talis quandoque est qualitas in homicidio concurrens, ut cum Reus in vita coerceri non valeat, post mortem quoque contra eundem procedatur; Hujusmodi est homicidium sui ipsius ab illis patratum, qui ob conscientiam criminis capitalis per confessionem, vel alios legitimos modos comprobati, metu subeundæ pœnæ in carceribus, in quibus detinentur, se ipsos interimunt: hi verò gravibus pœnis post mortem afficiuntur; nam ultra infamiam, quam contrahunt, testamenta eorum infirmantur, & juxta morem aliquarum Regionum, publice cadaver eorum suspenditur (*a*). Qui vero ex furore, vel alia animi affectione sibi mortem inferunt, cum miseratione tolerantur. Reliquum modo est, ut pœnas, quibus homicidium generaliter plectitur, innuamus.

31. Porro ne dum Leges civiles, sed sacri etiam Canones in interdictione homicidii impositis gravissimis pœnis conspirarunt, atque hoc unum fuisse ex enormibus illis delictis, quorum Reis saltem in plerisque Ecclesiis nunquam venia, & absolutio concessa fuerat contendunt *Albaspinæus* (*b*), *Morinus* (*c*), & Cardinalis *Bona* (*d*). Nunc autem concessa, indultaque venia pro foro interno, & conscientiæ, adhuc in foro externo gravissime coercetur. Cum vero homicidium vel casu, vel furore & amentia, vel necessario

(a) *L.1. & 2.cod. de bon. eorum,qui ante sententiam. Raynald. loco citato cap.7. §.4.* (b) *In notis ad Conc. Illiberit.* (c) *Lib.9. de pœnit. cap.19.* (d) *Rer. Liturg. lib.1. cap. 17.*

ſario ad ſui defenſionem commiſſum dolo, & culpa careat, nequaquam punitur; idemque dicendum de homicidio ab infantibus, qui doli, & culpæ expertes ſunt, perpetrato (*a*).

32. Homicidium culpoſum, & rixoſum extraordinaria, & arbitraria pœna punitur juxta circumſtantias a Judice decernenda (*b*); Voluntarium ſive purum, ſive præmeditatum pœna *Legis Corneliæ de Sicariis*, nempe ultimo ſupplicio coercetur, cui ex Bannimentis generalibus Status Eccleſiaſtici num. 23. Confiſcatio bonorum adjungitur. Homicidio qualificato, cujuſcumque conditionis ſit, non ſolum pœna mortis imponitur, ſed illa atroci, & exemplari modo juxta varios regnorum, vel locorum mores ſolet inferri. In Urbe tales delinquentes jugulantur, malleo ferreo circa tempora percutiuntur, & cadaver in quatuor partes, ſeu in fruſta diſcinditur.

33. Ut autem occaſio patrandi homicidia quantum fieri poteſt averteretur, merito per leges delatio armorum prohibetur, quorum nomine omnia inſtrumenta intelliguntur, quæ de ſui natura ad nocendum deſtinantur (*c*). Quæ prohibitio multo magis procedit contra ſclopos, & pugiones breviores, & alia arma inſidioſa, vel venenata, quæ ſub pallio ut plurimum deferuntur. Delatores ſane inſtrumentorum, quæ vulgo vocantur *mazzagatti*, *piſtole*, *cortelli genoveſi &c.* per Conſtitutiones Summorum Pontificum Pii IV. S. Pii V. & Alexandri VIII. quæ exprimuntur in Bannimentis num. 6. poſſunt pœna mortis, & confiſcationis damnari, ſaltem ſi de malo animo deferentium conſtiterit, ut fuſe expendunt *Farinaccius* (*d*), *Raynaldus*.

(a) *L. 1. in fin. Cod. ad L. Corneliam de Sicariis. L. ut vim ff. de juſtit. & jur.* (b) *L. 1. & tot. tit. ff. ad L. Aquil.* (c) *L. armor. appell. ff. de verb. ſignif. L. ſi pignore §. furem ff. de furt. Novella 85. L. 1. cum al. ff. ad L. Juliam de vi publica, cum aliis juribus.* (d) *Quæſt. 108.*

dus (a), *Decianus* (b), aliique. Easque omnes Constitutiones novissime confirmarunt Clemens XII. in Constitutione *incip. in supremo Justitiæ solio* Kal. Februarii 1735. & Benedictus XIV. in altera *incip. Securitatem*, 18. *Kal. Februar.* 1752. quæ per extensum referuntur a *Bassano* (c). Qua sane Benedicti Constitutione provide opportuneque cavetur, ex sola delatione armorum assistentiam Fisco pro damnatione Reorum esse fundatam, adeo ut defectus mali animi, aliaque similis exceptio debeat a Reo ad evadendam pœnam concludenter probari. Hactenus de homicidio tractatum est, quo vita homini adimitur, nunc de vi publica, & privata differemus, per quas libertas aufertur.

TITULUS XI.

De criminibus vis publicæ, & privatæ.

VIS, seu violentia definitur ab Ulpiano (d); *Impetus, cui resisti non potest*: Seu: *necessitas contraria voluntati ab aliquo imposita*: Et in publicam, & privatam dividitur. Publica est, quæ cum armis, privata vero, quæ sine armis exercetur, & de utraque tractatur in *tit. cod. & ff. ad legem Juliam de vi publica, & privata*.

2. Variis autem modis vis publica perpetratur; si scilicet ad aliquod facinus perpetrandum arma suscipiantur, aut retineantur (e). Si ad commovendam seditionem armati homines congregentur (f). Si armatos homines quis habere præsumpserit (g); idemque dicendum de eo, qui per viam publicam armatus incesserit; vel si per servum suum arma deferri permise-

(a) *Tom.3.cap.24.* (b) *In tract. crim. lib.8. cap.3.* (c) *Lib.3. Theoric. prax. crim. cap.8. n.317.* (d) *In l.1. ff. de eo, quod metus causa.* (e) *L.1. ff. hoc tit.* (f) *L.3. ff. eodem.* (g) *L. fin. Cod. ad L. Juliam de vi publica.*

miserit (a). Imo si fuerint arma venenata, & brevis mensuræ, ut sunt parvi sclopi, qui facile sub vestibus abiconduntur, eorum delatio, aut quævis detentio, sub pœna ultimi supplicii in Constitutionibus Summorum Pontificum *Pii IV.* 65., & 151. *S. Pii V.* aliorumque prohibetur, ut supra notavimus, quas omnes Constitutiones novissime *Clemens XII.* & Benedictus XIV., ut pariter diximus, confirmarunt, atque ampliarunt.

3. Vis etiam publicæ Reus est, qui ædes, vel villas alienas effregerit, vel fructus agrorum extirpaverit, vel ignem suppofuerit, vel impediverit, ne res ab incendio servarentur illæsæ (b); necnon qui cum armis possessorem domus, vel fundi, vel navis expulerit (c).

4. Huc quoque spectat furtum qualificatum adhibita vi armata commissum, quod tribus modis contingit. Primo scilicet si alicui palam, videnti, & scienti sive in propria domo, sive alibi violentia inferatur, & talis vis *rapina* communiter dicitur. 2. Si fiat latenter, clam alterum armata manu in loco, sive publico, sive privato Civitatis aggrediendo, & *latrocinium* vocatur. 3. Si in publico itinere vis incutiatur transeuntes expoliando, & *grassationis* nomen sortitur; cui si occisio Personæ, vel lethalis vulneratio adjungatur, crimen est assassinio maxime proximum, quia causa lucrandi, & contemplatione furti committitur (d). Nec valde distat ab hujus delicti specie altera, quæ *recaptus* communiter dicitur, in eo consistens, quod ex pluribus sociis, unus violenter sub sequestro detinetur, & alii dimittuntur, ut pecuniam deferentes, socii liberationem obtineant (e).

5. Vis privata, ut supra innuimus, illa est, quæ sine armis committitur, ut constat *ex tit. ff. ad leg. Jul. de vi privata*, & generaliter DD. advertunt, in

 omni-

(a) *L.* 3. & *l. Servos Cod. eod. tit.* (b) *Cit. l.* 3. (c) *Cit. l.* 3. (d) *L. Capitalium* §. *Grassatores ff. de pœnis.* (e) *Raynald. lib.* 1. *cap.* 12. §. 1.

omnibus casibus, in quibus vim publicam committi affirmavimus, vim privatam posse committi, si sine armis inferatur jux. Farin. (a), qui notat pœnam vis publicæ de Jure Civili esse deportationem in Insulam, in cujus locum pœna triremium successit, nisi tamen de illa violentia tractetur, quæ cum incendio, expilatione domus, grassatione, seditione, alioque simili crimine jungitur, pro quo pœna mortis etiam ad complices extendenda statuitur (b).

6. Reos autem vis privatæ pœna arbitraria puniri communiter docent, habito respectu ad majorem, vel minorem violentiam, & ad qualitatem Personæ, quæ violentiam incussit (c). Nunc de Furtis agendum, per quæ res alienæ auferuntur.

TITULUS XII.

De Furtis.

Furtum (quod *a Furvo*, id est nigro ab aliquibus denominatur, quia in locis occultis solet committi, ad differentiam rapinæ, quæ, ut diximus, palam, & vim patiente Domino agitur) definitur ab Imperatore (d): *Contrectatio fraudulenta rei alienæ corporalis mobilis, vel etiam usus ejus, possessionisve, lucri faciendi gratia, invito domino facta*. Dicitur *contrectatio*, scilicet realis amotio, & de loco ad locum translatio; unde in solis rebus mobilibus, quæ possunt transferri, secus autem in immobilibus, quæ amoveri non possunt, furtum committitur; itemque solus animus, & intentio furandi hoc delictum non constituit, ad quod realis exequutio in foro externo requiritur

(a) *Farinacc. q.161.* (b) *L. Quoniam Cod. ad L. Jul. de vi publica.* (c) *Decian. lib.8. cap.16. n.19.* (d) *In §. furtum Instit. Civil. lib.4. & in l.1. §. furtum ff. de furtis.*

ritur (*a*). Dicitur *fraudulenta*, quia sine dolo furtum non agitur, unde pueri, fatui, & qui doli incapaces sunt, licet res alienas subripiant, Rei hujus criminis vocari non possunt (*b*). Dicitur *rei corporalis mobilis*, quia, ut innuimus, solæ istæ amoventur. Dicitur *usus, possessionisve &c.*; utendo enim re aliena, vel possessionem ejus usurpando, furtum committitur; unde Depositarii, qui contra voluntatem Domini re deposita utuntur, & qui possessionem rei nolunt Domino restituere, fures vocantur (*c*). Dicitur *lucri gratia*, quia eo intuitu hoc crimen committitur, ideoque si animo inferendi damnum, vel ex alio titulo aliena res auferatur, furtum non erit, sed aliud delictum (*d*). Additur demum *invito Domino*, quia connivente, vel consentiente Domino furtum non perpetratur.

2. Fures quoque in latiori significatione appellantur, qui Beneficia Ecclesiastica usurpant, & indebitis modis consequuntur, necnon qui cùm ea dimittere debent, cum fraude detinent, quia licet beneficium formaliter acceptum quid incorporale, & immobile sit, utpote in Jure consistens, materialiter tamen acceptum fructuum portionem significat, quo quidem sensu beneficiarius in Jure fructuario comparatur, ut notant *Glossa* (*e*), & Murga (*f*).

3. Magis autem stricte fures sunt, qui bona per mare dispersa vero Domino restituere renuunt (*g*); necnon qui rei fortuito inventæ Dominum invenire dolose non curant (*h*); Et demum famuli, qui sub prætextu compensandi operam, quam in servitio Domini præstant, & quam majorem salario recepto arbitrantur,

(a) *L. cogitationis ff. de pœnis, & l.21. § qui furti ff. de furtis.* (b) *L. impuberem ff. eodem.* (c) *L. qui jumenta ff. eodem.* (d) *L.4. ff. hoc tit.* (e) *Verbo obitus in cap. Si quis sane, de peculio Clericor.* (f) *De benef. part.1.q.1.n.7.* (g) *Cap. Excommunicationi 3. de raptoribus.* (h) *L. falsus 43. ff. hoc tit.*

tur, sibi compensant, ex propositione 37. proscripta a Ven. *Innoc. XI.*

4. Verum rem alienam in extrema necessitate surripientes, excusantur, & Fures non sunt, sive quia res communes extrema necessitas facit, ut dicitur *in Canone discipulos, de consecrat. distinct.* 5., *& in Can. sicut* 8. *dist.* 47., sive quia, cum lex in extrema necessitate non obliget; furtum non dicitur, eadem urgente commissum. Nomine autem extremæ necessitatis illa intelligitur, cui aliter quam per subtractionem rei alienæ subveniri non potest (*a*); Unde verior sententia est, extremæ necessitatis nomen ad amentiam, ad grave dedecus, & similes causas extendi non posse, ut notant Barbosa (*b*), & P. Viva ad propositionem 36. proscriptam a V. Innocentio XI., quæ ita concipitur: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Nunc quotuplex sit furtum videamus.

5. Olim sane furtum dicebatur modo *conceptum*, modo *oblatum*, modo *probibitum*, modo *non exhibitum*, juxta varias circumstantias, quæ in perquisitione furti a Lictoribus fieri solita contigebant; Furtum enim *conceptum* erat, quod ex investigatione rei furtivæ per lancem, & lincium facta concipiebatur, de qua Alciatus (*c*); *Oblatum*, cùm fur rem furtivam alteri offerebat ad evitandam pœnam, quam incurrere debuisset, si fuisset deprehensus; *Probibitum*, cùm quis inquiri furtum prohibebat; *Non exhibitum* tandem, cùm res quæsita, & inventa non exhibebatur (*d*).

6. His tamen speciebus furti sublatis, in duas tantum furtum hodie dividitur, in manifestum scilicet, & non manifestum. Primum dicitur, cùm fur in ipso furto, antequam pervenerit ad locum, quo furtum defer-

(a) *Farinacc. de furtis q.*174. *n.*69., *Grot. de Jure bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 2. (b) *In cap.* 3. *de furtis*. (c) *Lib.* 5. *Parergon cap.*8. (d) §.4. *hoc tit.*

deferre destinaverat, acclamando, vel accurrendo deprehenditur (a): Non manifestum, cùm fur ipso in furto non deprehenditur (b).

7. Neque est prætereundum, Jure veteri non solum licuisse, manifestos fures occidere, si nocte furarentur, vel etiam diu, si telo se defendissent (c); verum etiam pœna quadrupli pro furto manifesto, dupli vero pro non manifesto fuit a Justiniano constituta, ratione cujus ultra rem furtivam, duplam, vel quadruplam rei æstimationem, seu pretium fur solvere debebat (d). Dixi ultra rem furtivam, quia actione rei persequutoria hanc Dominus repetere poterat, vel scilicet condictione furtiva, quæ adversus furem ejusve hæredem conceditur (e); vel rei vindicatione, quæ adversus quemlibet rei furtivæ detentorem Domino competit (f). Sublata tamen dupli, vel quadrupli solutione, hodie pro pœna civili ejusdem rei æstimatio debetur, & quantum Domino interest; Pœna autem corporalis juxta diversitatem regionum, & circumstantiarum imponitur. Quamvis enim Justinianus Novell. 134., quæ refertur *in authen. Sed novo Cod. de servis fugitivis*, statuerit, simplices fures morte, vel abscissione membri puniendos non esse, tamen consuetudine introductum est, ut quieti Reipub. consulatur, quam per furtorum frequentiam maxime perturbari experientia compertum est, vel ad triremes eosdem fures damnare, vel fustigare, vel in exilium mittere, vel etiam suspendere, si gravitas delicti ita flagitaverit, ut infra videbimus.

8. Præcipua vero divisio furti, quæ in praxi servatur, est in simplex, & qualificatum; simplex est illud, quod clam sine armis committitur, sed nulla alia

(a) §. 3. *Instit. hoc tit. L. 4. 5. 7. §. 1. ff. de furt.* (b) §. 3. *Instit. hoc tit. L. 8. ff. de furt.* (c) *L. si pignore ff. de furt.* (d) §. *Præterea, hoc tit.* (e) §. *ultim. hoc tit. L. si pro fure 7. ff. de condictione furtiva.* (f) *Ex citat. juribus.*

alia qualitate aggravatur; Qualificatum autem dicitur illud, cui aliqua qualitas superadditur, quæ furtum vel ratione loci, vel rei subtractæ, vel modi, vel temporis aggravat.

9. Ad speciem furti simplicis spectant furta, quæ impropria vocantur, quia ab initio malitiam furti non habent, sed deinde propter appropriationem rei, vel usus, vel possessionis, in eo Domino, factam furti naturam sortiuntur. Pro exemplo hujus furti *Truffam* communiter afferunt in eo consistentem, quod quis colore, & prætextu mutui, commodati, conducti, vel depositi, rem ab altero accipiens, vel postea negat illam accepisse, vel in proprium usum convertit. Pro truffa pœna est arbitraria, quæ arbitrio Judicis extra mortem imponitur, & si gravibus circumstantiis jungatur, generalibus Bannimentis Urbis *num.*39. potest Reus etiam ad triremes damnari. Furtum autem simplex generaliter consideratum, si res ablata sit modici valoris, pro prima vice pœna trium ictuum funis, fustigatione, vel exilio punitur; pro secunda pœna triremium ad tempus Judici bene visum; pro tertia pœna triremium ad decennium, vel ad vitam imponitur, & potest etiam Reus ultimo supplicio damnari, quia ob frequentiam actuum latro famosus reputatur, ut supra etiam innuimus (*a*). Debent autem tria furta esse magni valoris, & loco, tempore, ac intentione distingui, unde pro uno, vel etiam pro duobus furtis simplicibus, quæ ratione magni valoris tribus æquivaleant, nequit fur morte damnari, quia reiteratio actuum, non autem quantitas, & valor rei subtractæ hic consideratur (*b*).

10. Furtum qualificatum ratione loci multis modis committitur, nempe si in Palatio Principis, vel in Ecclesia, alioque loco sacro res non sacra auferatur, vel si in via publica, quæ *grassatio*, seu *derubatio* nuncupa-

(a) *Farinacc. de furtis p.4. q.167.* (b) *Farinacc. loc. cit.*

cupatur, vel si a domesticis, mercenariis, & cohabitantibus committatur, quod speciem proditionis habet, & pœna arbitraria usque ad ultimum supplicium exclusive punitur; nisi forte fiat a filiis, vel ab uxore, contra quos actio furti non datur (*a*). Grassatores vero tam de jure communi, quam ex Bannimentis generalibus Urbis *num*.44. ultimo supplicio damnantur.

11. Prætereundum vero non est maximum inter Latrocinium, & Grassationem intercedens discrimen; *Latrocinium* quippe de Juris rigore actuum reiterationem non exigit, sed satis est, si latenter, & insidiose res per vias surripiantur, cum e converso in *Grassatione*, saltem ut pœna capitali damnetur, actuum iteratio exigatur, quodque in publicis viis itinerantes quis cum armis aggredi assueverit, ut eruitur *ex L. Capitalium* §. *Grassatores*, *vers. utique si sæpius*, *ff. de pœnis*, & cæteris omissis late firmat *Fulgos*. (*b*). Merito autem addidi, id *de juris rigore* intelligendum; Nam ex Bannimentis generalibus evulgatis de ordine S. Consultæ in Ditione Pontificia una etiam Grassatio absque actuum iteratione in viis quomodolibet acta morte punitur, & si nihil fuerit ea occasione subtractum, aut offensio alicui inflicta periculo vacet, pœna triremium perpetuarum imponitur, ut refert citatus alias Mirogli (*c*), qui formam conficiendi processum in hoc crimine latissime profert.

12. Quemadmodum vero sive in urbe, sive ruri, sive in publicis, sive in absconditis locis, sive de die, sive de nocte grassatio committitur, ut supra innuebamus; ita æquali modo Latrocinium patratur, si ad effectum res vel pecunias surripiendi alter occidatur, vel vulneretur, ut notat Carpzov. (*d*). Unde si iste animus absit, & sequuto forsan homicidio, vel vulnere super-

(a) *L. Servi & Filii, & L. Si quis uxori ff. de furtis*. (b) *Consil*. 157. *num*. 3. (c) *Instruct. crim. cap*. 8. *lib*. 2. *num*. 2. (d) *Pract. crim. p*. 1. *q*. 22. *a n*. 3.

ſuperveniat, imo res, vel pecuniæ ſurripiantur, Latrocinium proprie non dicitur, ut reſolvit Congregatio S. Conſultæ in una Fanen. die 17. Aprilis 1696. & teſtatur citatus ſuperius Mirogli (*a*).

13. Furtum autem qualificatum ratione rei multipliciter poteſt contingere, ſi ſcilicet res ſacra de loco ſacro, vel res non ſacra de loco ſacro ſubtrahatur, quod *ſacrilegium* vocatur, ut infra notabimus (*b*): Si homo liber, vel ſervus alienus fuerit raptus, & dicitur *Plagium*: Si animal domitum a ſtabulo, vel a paſcuis abducatur, & crimen *abigeatus* vocatur (*c*).

14. Porro furtum ſacrilegum generaliter arbitraria pœna punitur, & Judicis arbitrium poteſt conſideratis circumſtantiis uſque ad mortem extendi (*d*); at furtum Pyxidis, Hoſtiæ conſecratæ Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & vaſorum ſacri chriſmatis, ex decreto *V. Innocentii XI.* edito anno 1676., ſi per Tribunal Sacræ Inquiſitionis conſtiterit ad malum finem eſſe commiſſum, pœna mortis afficitur, & deliquens Curiæ ſæculari traditur ultimo ſupplicio plectendus, dummodo 20. ætatis annum attigerit.

15. Crimen plagii ultimo pariter ſupplicio punitur (*e*), qua quidem pœna coercentur non ſolum qui hominem liberum, vel ſervum alienum rapuerint, ut ſupra notavimus, verum etiam qui eundem hominem, vel ſervum clauſerint, vel vinctum retinuerint, vel qui ad effectum eum occultandi, vel ſurripiendi fugam ſuaſerint; & quicumque hujus criminis ſocii, & participes fuerint (*f*).

16. Pœna tandem abigeatus eſt arbitraria, & juxta circumſtantias aliquando ad ultimum ſupplicium extendi-

(a) *Lib.2. cap.9. n.2.* (b) *In tit.de ſacril.* (c) *L.3.cum aliis ff. de Abigeis.* (d) *L. Sacrilegii ff. ad Leg. Jul.* (e) *L. quoniam, & L.fin. Cod.ad Legem Flaviam de plagiariis.* (f) *L.6. §.Lege Flavia Cod. cit. tit.*

tenditur (*a*); Imo ex Bannimentis generalibus Urbis *num.* 47. generaliter pœnam mortis incurrunt hujus criminis Rei, si ætatem 20. annorum excesserint. Ut autem quis abigeatus crimen committere dicatur, non semper sufficit, si unum animal abduxerit; sed hæc distinctio servatur, nempe si agitur de animalibus minutis, quorum nomine veniunt oves, capræ, hædi, agni, hisque similia, decem requiruntur: de suibus quinque capita sufficiunt, & infra dictum numerum furtum simplex vocatur. Quo vero ad cætera animalia, quæ communiter *grossa* vocantur, ut equi, boves, asini &c. unum ex his surripiens abigeatum committit (*b*).

17. Præterea furtum qualificatum ratione rei patratur etiam ab Expilatoribus, seu Exspoliatoribus, *Cappeggiatori* communiter dictis, quorum nomine intelliguntur, qui viatoribus noctis tempore pallium & vestes surripiunt. Porro hi de Jure civili arbitrarie usque ad ultimum supplicium inclusive puniuntur (*c*); in Urbe tamen ex Bannimentis *num.*41. mors naturalis indistincte statuitur, si ad quinque scuta pallii valor ascendat. Huc etiam spectant saccularii, vulgo *Borsaroli*, qui mira dexteritate aliorum crumenas scrutantur, & arbitrarie coercentur (*d*). Arbitraria est etiam pœna illorum, qui occasione incendii, ruinæ, & naufragii aliquid furantur, ut constat *ex l.*1. *& toto tit. ff. de incendio, ruina, naufragio &c.* Usus tamen invaluit, ut gravibus suppliciis Rei hujus criminis afficiantur, & alicubi pœna mortis imponitur, quia sub prætextu adjutorii, & amicitiæ hæc species delicti perpetratur (*e*).

18. Ratione itidem modi furtum gravatur, si cum fractura Januarum domus, præcipue noctis tempore, fiat;

(a) *Ad text. in l.*1. *& ult. ff. cit. tit.* (b) *DD. in L. Neratius ff. de verb. sign. L.*3. *§. qui sæpius ff. de abigeis*. (c) *Carpzovius quæst.* 22. *num.*23. (d) *Ad textum in L.* 1. *ff. de effractoribus*. (e) *Reynold. lib.*2. *cap.*14. *§.*6.

fiat; Etenim cum domus sua refugium sit unicuique tutissimum, qui januas frangit, proditorie habitatorem offendit; Unde nocturni effractores fures atrociores vocantur a Jurisconsulto in *L. 2. ff. de effractoribus*, ubi ad opus metalli Rei hujus criminis condemnantur; Generali tamen consuetudine, de qua in Bannimentis generalibus Status *n.* 47. ultimum supplicium imponitur, quo etiam mandantes, mediatores, auxilium præstantes, & socii plectuntur, præsertim si rei ablatæ fuerunt participes, & si fuerint januæ, & muri principales effracti (*a*).

19. Qualificatum insuper dicitur furtum ratione modi, si cum usu scalarum committatur. In Urbe sola scalarum asportatio pœna mortis punitur, multoque magis tali pœna damnantur, qui in fragranti ad furandum cum earum usu reperiuntur. Idemque procedit de iis, qui cum clavibus adulterinis, seu *grimaldellis* de nocte furantur, quorum pœna usque ad mortem extenditur (*b*). Eademque pœna irrogatur iis, qui sive noctis tempore, sive de die fractis januis domus Domino rei præsente cum armis, vel sine armis quidquam eripiunt, in quo *rapina* consistit, ut alibi innuimus.

20. Ad hæc furtum qualificatum ratione modi *concussione* committitur, cum quis scilicet minis incussis per Epistolam, vel Nuncium ab absente pecuniam extorquet, quæ furti species furtum *per intimorationem* communiter dicitur, & arbitrarie punitur (*c*). Eodemque modo puniuntur, qui gratiam Principis falso jactantes pecunias ab aliis accipiunt, qui venditores fumi appellari consueverunt (*d*).

21. Tandem ratione temporis furtum qualificatum committitur, si quomodocumque de nocte patretur. Delin-

(a) *Clarus in §. furtum quæst. 90.* (b) *Farinacc. quæst. 20.*
(c) *L. 1. & 2. ff. de Concussionibus.* (d) *Cabal. resol. Crimin. casu 67.*

Delinquendo enim tempore noctis publica securitas quodammodo perturbatur, ideoque delicta tempore noctis acta graviora, & atrociora cæteris reputantur. Generaliter tamen adverto, etiam in casibus, in quibus vel de jure communi, vel attentis statutis locorum pœna mortis pro furto statuitur, posse Judicem aliquando arbitrarie punire, si ita circumstantiæ suaserint, præsertim vero si lucrum furis cesset, & damnum alteri illatum non fuerit; quod dupliciter solet contingere; primo scilicet, si res penes furem reperiatur, & Domino restituatur; secundo, si fur antequam carceri mancipetur, vel rem furtivam Domino reddat, vel alio modo eidem satisfaciat, ut notat Raynaldus (*a*); qui etiam advertit, furtum attentantes, eo non secuto, neque commisso, extraordinaria pœna esse damnandos *ad Text. in L. saccularii, de extraord. crim.*

22. Tanta est profecto gravitas furti, ut etiam emptores rei furto sublatæ pœna furti coerceantur, si scienter, & mala fide res emerint (*b*); idemque dicendum de illis, qui fures receperint, & res subtractas occultaverint, contra quos pœna ordinaria furti proceditur (*c*), nisi forte quis consanguineum, affinem, vel amicum receperit, qui nisi de re subtracta particeps fuerit, mitius punitur (*d*). Imo bona fide quoque res furto ablatas ementes debent eas vero Domino etiam non reaccepto pretio restituere, dummodo existant (*e*); quatenus vero res actu non extent, id restituere obligantur, in quo locupletiores evaserint, quia juri repugnat quemquam cum aliena jactura locupletari (*f*). Hinc in Urbe vigore Bannimentorum *num.48. & seqq.* usus invaluit, quod publici Negotiatores, qui *Regattieri* vulgo appellantur, si a personis suspectis, & incogni-

(a) *Loco cit.* (b) *Ad text. in L. aliena, cum aliis Cod. de furtis.* (c) *L.1. ff. de receptator. L.1. Cod. de his qui latron. vel alior. crim. reos occult.* (d) *Sanfelicius decis.346.* (e) *L. in civilem ibique Gloss. Cod. de furtis.* (f) *Farinacc. de furt. q.177. n.19.*

cognitis emant, debeant in actis Gubernii nomen, cognomen, & patriam venditoris, ac qualitatem, & pretium rerum emptarum denunciare sub pœna triremium ad septennium, & scutorum 50. aliisque arbitrariis, & si venditores impuberes, vel mulieres fuerint, sub pœna fustigationis, quæ quidem denunciatio facienda est, etiamsi res emptæ non fuerint, quia non fuerunt concordes, quatenus vero res empta fuerit, nequeunt eamdem per octo dies immutare.

23. Generaliter sane de jure Canonico nequeunt fures ad Ordines promoveri, ut constat etiam ex iis, quæ in Institut. Canonicis hanc in rem late congessimus (*a*). Si tamen sponte delictum confiteantur, per restitutionem parti satisfaciant, & manifesta nota furti non afficiantur, possunt post peractam pœnitentiam, aut congruam pœnitentiæ partem, ad Ordines eosdem assumi (*b*). Verum, si Clerici in hoc crimine deprehensi convicti fuerint, deponuntur; & si deinde videantur incorrigibiles, excommunicantur; & si adhuc in delicto persistant, nec Ecclesiasticæ potestatis gladium pertimescant, degradantur, & sæculari Judici traduntur debitis pœnis coercendi (*c*).

24. Cùm autem delictum furti quandoque sub Ecclesiastica sit potestate, sequitur, quod si bona furto subtracta in Ecclesiam fuerint forte translata, sine Ecclesiastici Judicis decreto, inde extrahi non possunt (*d*), quod quidem statutum etiam habemus *in* §. *Ne autem* 4. *Constitutionis Gregorii XIV. incip. Cum alias*.

25. Pro ampliori vero intelligentia furti advertendum arbitramur, corpus delicti a duplici extremo in hoc crimine resultare, a præexistentia scilicet, & deficientia rei subtractæ, quod nempe res eadem, aut tempore sequuti furti, aut paucis ante diebus penes dominum

(a) *Lib.*1. *tit.*13. (b) *Cap. fin. de furtis*. (c) *Can. Presbyter.* 12. *dist.*81. *cap. cum non ab Homine* 10. *de judiciis*. (d) *Thomas del Bene de immunitate cap.*16. *dub.*11.

num præextiterit, nunc vero amplius non extet, ut *post textum in L. si creditor cod. de pignoratitia actione*, advertit inter alios Farinac. (a). Ad hoc autem, ut Judex conficiens processum duo ista extrema verificet, testes domesticos, & familiares assumet, quibus deficientibus, quinque modos Raynaldus (b), præsertim si agatur de furto pecuniarum, aut aliarum rerum, quarum subtractio occulta est, pro praxi subjungit, primo, quod derubatus immediate post furtum fuerit cum aliis conquestus: secundo quod sit homo optimæ famæ, quodque inverisimile sit gratis, imo cum mendacio conqueri voluisse: tertio, quod dives existat, & verisimile sit, quod rem vel pecuniam subtractam habuerit: quarto quod vox, & fama sequuti furti in viciniis fuerit orta: quibus omnibus supereminet derubati juramentum, ut solide firmat citatus alias Mirogli (c).

26. Si vero agatur de furto a Domesticis acto, aut de Rapina, aut de Furto sacrilego, aut animalium, quod abigeatus crimen vocari affirmavimus, aut demum de crimine plagii; Corpus delicti, seu ejus essentia constitutiva nedum resultat a præexistentia, & deficientia rei subtractæ, conquestionibus, & bona fama derubati comprobata, verum etiam, si agatur de furto a domesticis acto, quorum nomine veniunt Famuli, & Personæ alicujus servitio addictæ, & salario conductæ, servitium hocce debet ulterius comprobari, prætereaque (ut locum habeant pœnæ Bannimentorum contra istos salariatos indictæ, quæ in Urbe si furtum scuta quinque excesserit, pœnam triremium ad quinquennium, si decem ad decennium, si quinquaginta in vitam, si centum mortis imponunt, idque si de furto simplici pertractetur, si enim de furto qualificato, eandem mortis pœnam indiscriminatim indi-

(a) *Quæst.2. n.14. & quæst.176. n.16. & seq.* (b) *In rubric. ad cap.14. num.34. & seq.* (c) *Instruct. Crim. lib.1. cap 5. n.30. & sequen.*

indicunt, si scuta decem excesserit) ut pœnæ, inquam, Bannimentorum in Urbe locum obtineant, debet resultare violentia scriniis, locisque aliis adhibita, ubi pecuniæ, vel res subtractæ servabantur, quod a Notario coram testibus erit recognoscendum, ut notat citatus Mirogli (*a*).

27. Nec diversimode erit procedendum, si de rapina tractetur, cujus probatio, seu essentia constitutiva, non solum a præexistentia, aliisque requisitis in genere enunciatis dependet, sed ulterius a probatione violentiæ adhibitæ, rem, pecuniamque auferendo, quod ex depositione, & immediatis querelis derubati facile resultabit; idemque cum debita proportione asserendum in furto sacrilego, cujus corpus, seu essentia consistit in qualitate rei subtractæ, & loci unde subtrahitur, si de illa furti sacrilegi specie sit sermo, quod locale, vel reale esse affirmavimus, ita tamen ut si de vasis sacris agatur, non solum constet consecrata fuisse, sed ulterius in divinum sacrificium actu fuisse destinata.

28. Ad abigeatum præterea quod attinet (in quo revocata juris communis censura, qua attenta, reiteratio actuum, armorumque usus requirebatur, mitiorique pœna Rei olim damnabantur, ut constat *ex L. 1. L. Abigeatus 2. L. Cives 3. ff. de Abigeis*, bannimentales sane Urbis leges pœnam mortis juxta numerum animalium, eorumque qualitatem supra indicatam imponunt, ideoque censura legum amplius non est attendenda, ut notat Menochius (*b*);) ad abigeatum, inquam, quod attinet, ejus essentia resultat a præexistentia animalium subtractorum in pascuis, aliisque locis apertis, & a qualitate, & numero eorundem animalium, quæ supra descripsimus, & tandem corpus

(a) *Instruct. Crimin. cap. 7. lib. 1. n. 10. & seq.* (b) *Consl. 778. num. 7.*

pus delicti in plagio a circumstantiis illis resultabit, quæ violentiam alteri inflictam demonstrant, ut nemo non videt.

29. Verum cùm in furtis qualificatis vigore Bannimentorum a quantitate valoris, ad quem res subtracta ascendit, pœna mensuretur, ita in processu valor iste est concludenter justificandus, ut Reus statutaria pœna damnetur, ut cæteris omissis docet Bartolus (*a*); eaque quantitas, seu valor rei subtractæ non solum jurata depositione derubati, verum etiam aliorum testium constare debebit, qui cùm eam viderint, & accurate observaverint, ejus valorem affirment, nisi forsan ad Curiam res eadem fuerit delata, tunc enim duorum Peritorum judicio erit deferendum (*b*). Hactenus de furtis tractatum est, per quæ res alienæ auferuntur, & in rebus suis proximus læditur, nunc de modo, quo in fama idem proximus offendatur, videamus.

TITULUS XIII.

De injuriis, & famosis libellis.

Libelli sane famosi species quædam injuriæ sunt, quæ aliorum famæ irrogatur, unde ad ea crimina reducuntur, per quæ in fama proximus læditur; cùm autem generale sit præmittere genus antequam ad speciem procedatur, & facilius sit cognito genere speciem quoque intelligere; hinc aliorum metodo inhærentes antequam de famosis libellis verba faciamus, de injuriis in genere est pertractandum.

2. Injuriæ igitur nomine venit, quidquid non jure fit, ut notat Jurisconsultus in *L. 1. ff. de injuriis, & famosis libellis*, ubi injuria in realem, & verbalem dividi-

(a) L. *aut facta 16. §. quantitas ff. de pœnis*. (b) *Bajard. ad Clarum §. furtum n.37.*

viditur. Realis est illa, quæ personæ, aut dignitati, aut rebus alicujus infertur; Verbalis vero, quæ solis irrogatur verbis. Realis autem injuria variis modis a persona in personam committitur, nempe aliquem percutiendo, sive pulsando, licet non baculo vel alio instrumento, sed solis pugnis agatur; item cum quis in imagine vel cadavere læditur; idemque dicendum si quis personam honestam circa honestatem quomodolibet tentet, & ad peccandum inducat (*a*); imo si personis aliquo titulo nobis conjunctis aliquo modo injuria inferatur, vel scilicet in faciem alterius conspuendo, vel fenestras seu januas lapidibus percutiendo, vel stercore aliisque immunditiis conspurcando, injuria nobis ipsis inferri censetur, ideoque injuria illata filio in patrem, uxori in maritum, servo in dominum, Religioso in Superiorem redundat, præter injuriam personis ipsis offensis immediate irrogatam (*b*). Quoad dignitatem insuper generaliter injuriam committit non solum qui facto & re aliquem offendit in dignitate constitutum, verum etiam qui offendendo aliquem in persona dignitatem ejus aliquomodo offendit, v. g. illudendo, vel debita obsequia advertenter non præstando, ut notant Interpretes hic. Tandem injuriam in rebus infert, qui alteri prohibet, ne re propria, vel publica, vel universitatis utatur; item qui domum, in qua alter inhabitat, eo invito violenter ingreditur, vel qui in superiori parte domus inhabitans inferius aliquid projicit, aut qui in inferiori parte positus fumum data opera facit, ut superiorem offendat (*c*).

3. Injuria vero verbalis consistit in eo, quod serio in alterum verba proferantur, quæ eumdem infament; Est autem in hoc genere distinguendum, quod vel aliquis pluribus vocibus existimationi derogantibus alium offendit, & sive hoc privatim, sive in multorum cœtu con-

(a) *L. 9. & 10. ff. hoc tit.* (b) *§. Injuria autem Instit. Civ. hoc titulo.* (c) *L. penultima, dicto titulo.*

contigerit, injuriarum actio competit offenſo; idemque procedit, ſi alii plures ad derogandum famæ alterius excitentur; in quibus caſibus injuria, vel convicium quaſi per convocium, ſeu per plurium vocum collectionem infertur; Vel aliquis verbo dumtaxat uno, aut altero alium offendit, & non ſemper dicitur injuria irrogari, ſed id ab animo proferentis unice pendet, ſi ſcilicet doloſe, & cum voluntate alterum offendendi verba protulerit, quo quidem caſu injuria committitur, & pœna debita incurritur; ſecus autem ſi joci, defenſionis, vel alterius rei cauſa pronunciaverit, ut bene diſtinguit *Raynald.* (a). Verbalem inſuper injuriam committunt, qui ante vel prope domum alicujus honeſtæ mulieris obſcœnam muſicam recitaverint, nempe matinatas, vel ſerenatas, ut barbare dicitur, aut ſi ſonum contumelioſum, vulgo ſcampanatas viduis, aut aliud ſimile cuicumque alteri perſonarum generi fecerint, ex quo juxta civitatis morem infamia reſultat (b); eodemque crimine tenentur, qui geſtibus ſeu ſignis, quæ verbis æquivalent, injuria alios afficiant, v.g. cornua digitis indicando, aliudve contra honeſtatem agendo, quod juxta regionis morem injuria cenſetur.

4. Pœna hinc harum injuriarum major, vel minor eſt, & arbitrarie a Judicibus imponitur juxta majorem, ſeu minorem injuriæ gravitatem; gravitas autem multipliciter conſideratur, nempe ratione perſonæ, temporis, loci, & modi; ratione quidem perſonæ, ſive offendentis, ſi fuerit vilis, vel offenſo ſubjecta, v.g. filius, vel ſervus; ſive offenſæ, ſi in offendentem jus habeat, vel ſi ſit perſona in dignitate conſtituta; ratione item temporis, ſeu loci, nam gravior eſt, quæ in loco publico, quam quæ in privato committitur, item quæ in Eccleſia, aut Principis palatio, quam alibi; ratio-

(a) *Obſerv.crim.tom.*1. *cap.*11. §.12. *n.*22. (b) *L. item ff. hoc titulo.* (c) *L. cum ſupra cod. de re militari.*

ratione pariter modi, nam gravior est injuria, quæ in facie, quam quæ in humeris &c. itemque gravior est, quæ baculo, vel alapa, quam quæ pugnis infertur (*a*).

5. Duplex vero actio ex injuria resultat, civilis scilicet, & criminalis; & nisi injuria fuerit remissa, vel Pacto, vel juramento, vel annali præscriptione, vel morte, vel dissimulatione, liberum est injuriam passo quocumque modo voluerit illam intentare, ita tamen ut si actionem civilem instituerit, criminaliter agere nequeat, nec si criminaliter egerit, civiliter quoque agere possit (*b*). Actione civili petitur, ut secundum æstimationem moderate faciendam injuria reparetur; Criminali vero petitur, injuriantem ad refectionem damnorum, & interesse damnari, & aliqua insuper pœna vel corporali, vel non corporali, cujus generis esset officii privatio, aut suspensio, arbitrio Judicis criminalis coerceri, & ad retractandam injuriam adstringi (*c*).

6. Quamvis autem volenti & consentienti non fiat injuria (*d*); potest tamen aliquando eadem injuria ad alterum non consentientem pertinere, ex quo plura deducuntur: Primum nempe, si aliquis consentiat in sui occisionem, injuriam tamen saltem Reipublicæ, cujus ipse est pars, & Deo, qui solus est Dominus humanæ vitæ, irrogari, ut alibi innuimus (*e*). Ulterius, qui ex metu mortis latroni aliquid donat, eum quidem non pati injuriam ratione donationis, in quam consentit, sed ratione metus incussi, ex quo donatio proficiscitur, ideoque talis donans restitui debet in integrum, & latro non potest donum retinere. Si quis insuper graviter percutiat Clericum in sui percussionem

(a) *L.15. §. Ait Prætor ff. de injuriis.* (b) *L.7. 8. penult. & ult. ff. de injur.* (c) *L. fin. ff. de injuri. Farin. q. 105. num. 56. & seq.* (d) *Regul. 26. juris in 6.* (e) *In primo titulo de delictis in genere.*

nem consentientem, facit injuriam saltem statui Clericali, & Ecclesiæ, cujus jus lædit, & cui Clericus renunciare non potest. Ad hæc si Conjux, consentiente etiam Marito, adulterium committat, facit injuriam non Marito, sed matrimonio, & proli, cùm contra fidem, & puritatem matrimonii, ac bonum prolis delinquat. Eodem jure diffamans Monachum in sui diffamationem consentientem, non lædit quidem jus Monachi, lædit tamen jus Ordinis, si diffamatio in infamiam Ordinis cedat. Amentibus itidem, infantibus, pupillis sine auctoritate, & consensu Tutoris, etsi consentientibus in ablationem rei, fit tamen injuria; quia talis consensus, vel ex natura sua, vel saltem ex dispositione juris est nullus, & consequenter jus penes ipsos sartum, tectumque perseverat. Et demum Martyribus etsi lætantibus, & desiderantibus mortem, veram tamen irrogatam esse injuriam a tyrannis, aperte colligitur ex verbis Sacræ Scripturæ (*a*): *Stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*. Ex quo quidem sequitur, non obstante Partis remissione, & consensu, posse Judicem, & Fiscum contra injuriantes procedere. Nunc de libellis famosis aliqua dicamus.

7. Quemadmodum sane injuriæ supra expositæ verbis, vel factis inferuntur, ita per libellos famosos regulariter scripto, & litteris injuria irrogatur (*b*). Hujus vero criminis Rei sunt, qui epistolas, aut carmen contra alterius famam conscribunt, seu obscœnas scripturas, picturas, vel aliud quid simile foribus, seu muris, domus alicujus apponunt; item qui literas, quæ communiter *avvisi secreti* dicuntur, & pasquillos, vulgo *pasquinate*, componunt, necnon qui supradictos libellos scriptos vendiderint, retinuerint, & non laceraverint (*c*), ut fusius in Constitutioni-

 bus

(a) *Sapient.5.* (b) *Ad Text. in Can. Si quis famosus 7. q.2. & tit. eodem Cod. de famosis libell.* (c) *Ex cit. jur.*

bus Apostolicis, & bannimentis, de quibus infra tractabitur.

8. Ad constituendum tamen hoc crimen quinque debent requisita copulative concurrere, ut notat Raynald. (*a*). Primum, quod Auctor proprium nomen non exprimat; secundum, quod exprimat nomen illius, contra quem libellum conscripsit, vel saltem ita designet, ut aliis clare innotescat; tertium, quod libellus famosus, vel in loco publico affigatur, vel divulgetur, vel alio modo publicus fiat; quartum, quod non joci causa, vel ad proprium honorem ab alio lacessitum defendendum, sed animo alterum injuriandi fuerit conscriptus; quintum, quod non simplicem contumeliam contineat, sed grave aliquod delictum, sive in genere, sive in specie, ex quo alterius infamia resultet.

9. Porrò inter alias injurias libellus famosus primatum obtinet, ut notat *Zaulus* (*b*), ideoque injuria atrox, & detestabile crimen vocatur in Constitut. 147. *S. Pii V.* & 5. *Greg. XIII.*; & merito; nam injuria, quæ verbis, aliisque modis infertur, a memoria facile excidit, at quæ per scripturam, vel picturam infligitur, per manus omnium volitat, & perenne dedecus affert. Hinc Lex XII. Tabularum hæc erat: *Siquis actitaverit, sive crimen condiderit, quo infamiam, flagitiumve alteri precatur, capite punitor*, ut refert *Cic.* (*c*), eademque pœna statuitur in *L. unica Cod. de Libellis famosis*, quamvis *Farin.* (*d*) censeat, jure civili statutam esse pœnam extraordinariam juxta circumstantias, & qualitates criminis a Judice imponendam.

10. Quidquid verò sit de jure veteri, certe jure novo, & quo præsentibus temporibus in Statu Ecclesiastico utimur, in Constitutione *S. Pii V.* 255. & in Statuto

(a) *Observ. crimin. tom. 1. cap. 11.* (b) *Ad statutum Faventinum tom. 1. lib. 4. rubric. 29.* (c) *Lib. 4. Tuscul.* (d) *Quæst. 115. num. 426.*

tuto Urbis *lib. 2. cap. 62.* pœna capitalis præscribitur contra Reum in minori etiam ætate constitutum, si de crimine capitali alterum infamaverit; nec eadem pœna vitatur, si pars offensa injuriam remiserit, quia in atroci & publica injuria, qualis est libellus famosus, fiscus ex officio, & per inquisitionem procedit. Accedunt autem bonorum confiscatio, inhabilitas testamenti condendi, & si libellus famosus contra aliquem regularem Ordinem conscribatur, excommunicatio latæ sententiæ statim incurritur, ad *text. in canone Quidam maligni* 5. *q.* 1. Cujus canonis dispositio licet de solo Ordine Prædicatorum loquatur, ad cæteros tamen Ordines Regulares ob rationis identitatem extendi, & porrigi debet, ut notat *Thesaurus* (a).

11. Certissimum insuper est, peccare graviter eum, qui ut injuriam ab altero acceptam compenset, vel vera crimina ab eodem commissa per libellum famosum divulgat, vel falsa comminiscitur, ut erudite docet P. *Viva* ad Propositiones 43. & 44. a *V. Innocent. XI.* proscriptas. Quamvis autem æque in jure sit exploratum, pœnam libelli famosi incurri ab illis, qui falsum crimen alteri opponunt, ut notat *Bonfinius* (b), non est æque certum de eo, qui crimen vere ab altero commissum manifestaverit; multoque magis si illud probaverit. In qua controversia, quæ diversos habet auctores hinc inde disceptantes respondendum, quod, quidquid sit de jure civili, in Statu Ecclesiastico ex Bulla S. Pii V. a Gregorio XIII. confirmata Reus libelli famosi, in quo verum delictum alteri opposuit, pœna ordinaria mortis est condemnandus, nisi forte contra histrionem, vel aliam Personam publice infamem delictum asseratur, quo casu etiam de jure civili extraordinarie esset puniendus (c). Dixi *quidquid sit de Jure*

(a) *De pœnis verbo Libellus cap.* 1. (b) *In bannimentis cap.* 26. *num.* 36. (c) *Matth. de re crimin. controv.* 74. *num.* 19.

Jure Civili; Verius tamen existimo, etiam de jure civili Auctori hujus libelli, in quo verum crimen assertum fuerit, pœnam ordinariam esse imponendam (*a*); alias enim Auctor libelli a legitimo Accusatore non discreparet; quin obstet huic opinioni Textus *in L. 2. & 7. ejusdem Cod. Theodos. eod. tit.*. Ibi enim agitur de Accusatoribus expresso nomine crimina solemniter deferentibus, non vero de Auctoribus libellorum famosorum, de quibus pertractavimus.

12. Quamvis vero nomina infamationis, & diffamationis, quæ ex libellis famosis resultant, videantur esse synonima, revera tamen in eo distinguuntur, quod infamatio committitur, cùm de homine aliquod verum asseritur, sed occultum, & quod probari non potest, quo tamen fama & honore privatur. Contra vero diffamari aliquis dicitur, cùm aliquod falsum honore pariter privans de illo affirmatur, ut notat Amenus (*b*). Itaque de crimine falsi non incongrue nunc pertractandum.

TITULUS XIV.

De Crimine falsi.

FAlsitas, quæ in maximum Civitatum, & Populorum detrimentum redundat, communiter definitur *Immutatio veritatis ad præjudicium alteri inferendum scienter ab aliquo, & cum fraude facta* (*c*); ex quibus sane verbis tres conditiones eruuntur copulative jungendæ, ut crimen falsi constituatur, nempe immutatio veritatis, dolus immutantis, & præjudicium alteri irrogatum, vel quod inferri potuerit (*d*); unde

(a) *Ad Text. in l. unica, & l. 1. Cod. Theodos. hoc tit.* (b) *De delictis, & pœnis tit. 5. §. 3. num. 2.* (c) *Raynald. tom. 2. cap. 18. num. 7. & seq.* (d) *L. nec exemplum cum aliis Cod. ad L. Corn. de falsis.*

de uno iſtorum requiſitorum deficiente, leviter poteſt Reus puniri, ſed pœna falſi minime condemnari (*a*).

2. Modos, per quos crimen falſi patratur, ad tres reducit pluries cit. *Gigliorucci* (*b*), nempe vel circa hominem, vel circa res, vel circa ſcripturam; ab aliis autem communius ſub quatuor ſpeciebus hæc ipſa capita explicantur, ut notat *Farinacc.* (*c*), qui docet, vel dicto, vel ſcripto, vel facto, vel uſu crimen falſi committi, quia iſtis modis veritas immutatur.

3. Porro circa hominem falſum committunt, qui crimen falſum alicui objiciunt, qui in judicio contra aliquos falſo deponunt, & demum qui veritatem celaverint caſu quo ſi eam manifeſtaſſent damnum tertio non obveniſſet (*d*); & ſi ab aliis ad opponendum falſum, vel ad celandum verum doloſe fuerint inducti, tam ipſi, quam inducentes crimine falſi, ejuſque pœna tenentur, niſi forte per ignorantiam utrique, vel alterutri peccaſſe videantur (*e*). Inſuper circa perſonam delinquit qui in ſtipulatione alicujus contractus ſe unam perſonam pro altera fingit, ad quem effectum proprium nomen, & cognomen immutat, & aliud uſurpat; qua ratione delinquit, qui Sacerdotem ſe fingit, ut beneficium obtineat, nobilem, ut dignitatem nobilibus dari ſolitam aſſequatur, multoque magis qui ſe tabellionem, judicem, vel ſatellitem vocat, ut aliquod facinus agat, quo caſu in Urbe pœna mortis imponitur ex bannimentis num. 38., ut notat *Bonfinius* (*f*). Præterea fæmina hoc modo delinquit, quæ infantem ab altera genitum in præjudicium legitimorum ſucceſſorum, vel alia quavis de cauſa proprium affirmat, atque ſupponit (*g*).

4. Cir-

(a) *Menoch. de arbitrariis caſ.* 306. (b) *Inſtit. Canonic. tit.* 10. *lib.* 4. (c) *Quæſt.* 67. *n.* 6, *&* *quæſt.* 150. *n.* 1. *& ſeqq.* (d) *Cap.* 1. *hoc tit.* (e) *Raynald. tom.* 11. *cap.* 18. (f) *Ad bannimen. cap.* 13.
(g) *L.* 1. *&* 10. *Cod. ad L. Corneliam de falſis*, *L. falſi ff. eodem.*

4. Circa res vero multipliciter falſum committitur. Hac enim ratione peccant qui juſtas menſuras & pondera legitime approbata mutare præſumpſerint (*a*). Qui res comeſtibiles bonæ qualitatis publice venum expoſitas cauſa facilioris venditionis adulterant, prout a cauponibus, piſtoribus, lanionibus, ſalſamentariis, & piſcium venditoribus non raro fieri ſolet. Eodemque modo delinquunt, qui ſigillum Principis imitantur, ut alios ita decipiant (*b*). Itemque qui cudendo, vel adulterando, vel tondendo, vel expendendo falſæ monetæ crimen commiſerint, in quibus quidem circumſtantiis, præter crimen falſi, læſæ majeſtatis quoque pœnæ incurruntur, & ſiquis falſam monetam expenderit, furti quoque Reus efficitur (*c*).

5. Dixi *cudendo, vel adulterando, vel tondendo, vel expendendo*, iſti enim ſunt modi, per quos moneta falſificatur; & primo *cudendo*, quod intelligitur, cum ſub effigie Principis ſupremi, ad quem privative monetas cudere pertinet, ejuſque valorem tribuere (*d*), aliquis ſine legitima auctoritate monetam effecerit, quæ ſive bonæ ligæ, & juſti ponderis, ſive malæ ligæ, & injuſti ponderis fuerit, æque delinquitur (*e*). Inſuper *adulterando*, quod dupliciter accidit, vel ſcilicet mediante tinctura, cum moneta ænea in argenteam, vel auream immutatur, ut pretioſior appareat, vel per alicujus metalli in aurum, & argentum apparentem tranſmutationem, prout fieri ſolet ab illis, qui Alchimiam exercent, & ex aliis metallis aurum, & argentum producere tentant.

6. Quidquid porro ſit, an artis vi aurum, vel argentum confici valeat, necne, de quo varie a Philoſophis

(a) *Cap. ut menſuræ 2. de empt. & vend.* (b) *Cap. ad audientiam, de crimine falſi.* (c) *L. 2. ibique Gloſſ. Cod. de falſ. monet.* (d) *L. Solidos cum aliis Cod. de veteribus numiſmatibus, cum aliis juribus fuſe relatis a Covarruv. de numiſmat. cap. 8. num. 2.*
(e) *Farinacc. quæſt. 115.*

ſophis diſputatur, non immerito tamen talis ars, quæ alchimia, ut innuimus, dicitur, a *Joanne 22. in Extrav. Spondent, de crim. falſi* prohibetur, quia cùm neminem adhuc ſciamus verum aurum, argentumque feciſſe, fidendum quidem non eſt homunculis quibuſcumque id facere conantibus, inconſulto Principe, ſine cujus conſenſu materiam æneam cum argento vel auro miſcere non licet (*a*); Præſertim quia hac occaſione fortunæ civium dilapidantur, & dæmonis etiam fraudes intercurrunt, quibus periculis merito eſt proſpiciendum, ut bene ponderat *Theſaur.* (*b*).

7. Huc etiam ſpectat monetæ tonſio, & reſecatio, ſub quo nomine venit etiam ejuſdem monetæ liquefactio, cujuſvis generis fuerit, & imminutio quomodolibet facta (*c*), præſertim ſi eo animo fiat, ut in publicum uſum non erogetur; & tandem *expendentes* monetam falſam, vel illam penes ſe ſcienter retinentes hoc crimen incurrunt, contra quos ita proceditur, ut ſi perſonam doceant, a qua eamdem habuerint, vel ignorantiam adduxerint, extraordinarie tantum puniantur, ſin minus, ordinaria pœna falſæ monetæ damnantur, quia indicium graviſſimum urget, quod vel eam fabricaverint, vel fuerint in fabricatione participes (*d*). Quamvis autem aliqui crediderint, leges civiles de falſantibus, vel tondentibus, vel expendentibus monetas agentes aureos dumtaxat nummos, non autem argenteos, vel æneos comprehendere, rationis tamen identitas, quæ æque concurrit, ex quo æque imago Principis læditur, & jus Principis uſurpatur, ſententiam hanc de inſubſiſtentia redarguit, ut probat inter alios Larræa (*e*).

8. Supereſt nunc, ut de modis, per quos circa ſcripturam crimen falſi committitur, aliqua afferamus; Ita

(a) *Ad Text. in L. quicumque ff. ad L. Cornel. de falſis.* (b) *De pœnis part. 2. cap. 2.* (c) *L. quicumque ff. ad L. Cornel. de falſis.* (d) *Farinacc. cit. quæſt. 15.* (e) *Deciſ. Granat. 12. n. 9.*

autem delinquunt, qui Teſtatoribus prohibent, ne teſtamentum falſum vel in totum, vel in parte v. g. quoad aliquod legatum, reſcindant. Item qui aſſerunt, Teſtatorem fuiſſe, aut eſſe ſanæ mentis, cùm impos extiterit; qui Teſtatori pariter prohibent teſtamentum conſcribere, vel per vim, & metum ad ſcribendum adducunt; qui ſcribendi formam alicujus in ejuſdem, vel alterius præjudicium imitantur; qui aliquam ſcripturam exemplandam integre, vel in parte, poſita aliqua interlinea aut ſyllaba, vel detracta temporis data, aliamve particulam abradendo, aut alterando eandem immutant (a). Inſuper hoc modo delinquunt, qui ſcripturas occultant, ne veritas pateat, qui ſigillum a ſcriptura penitus tollunt, vel adulterinum apponunt, necnon qui literas alterius ſigillo munitas aperiunt; ſi vero quis literas alterius ſigillo non obſignatas aperuerit, & legerit, crimen falſi non patrat, niſi fortaſſe illas a deferente violenter abſtulerit, quo quidem caſu vis privatæ, & publicæ Reus efficitur, ut notatur communiter. Delinquunt itidem, qui impediunt, ne literæ debito tempore ad eum, ad quem miſſæ ſunt, poſſint pervenire; Qui alterius neſcientis uſurpant nomen, & literas ſcribunt; Qui ſcripturas ſibi ſecreto traditas adverſario communicant, præſertim ſi ſint notarii, Procuratores, aliique miniſtri, qui prævaricatores vocantur, & gravius puniuntur (b); Et tandem hoc modo delinquunt, qui Reſcriptum Apoſtolicæ Sedis iiſdem prorſus modis vitiaverint, quæ falſitatis ſpecies cùm accuratiorem indaginem flagitet, aliquantulum in ejus examine eſt immorandum: præſertim quia cùm hæc delicti ſpecies ad mixtum forum pertineat, hac occaſione arrepta, delicta, quæ mixti fori ſunt, exponere aggrediemur.

TITU-

(a) *L. 1. & 2. ff. hoc tit.* (b) *L. 2. ff. de prævaricatoribus.*

TITULUS XV.

De Crimine Falsi in literis Apostolicis.

CRimen igitur falsitatis in Literis Apostolicæ Sedis committitur eo prorsus modo, ac in quacunque alia scriptura, ideoque Reus est hujus criminis, qui vel integre literas Apostolicas falsificaverit, vel in parte quamvis minima immutaverit, alterando v. g. datam, vel in una syllaba, litera, virgula, seu puncto, aliquid abradendo, sigillum penitus auferendo, vel adulterinum apponendo (a). Nomine autem literarum Apostolicarum non solum comprehenduntur literæ bullatæ, seu quæ cum appositione Bulli, sed etiam Brevia, quæ sine plumbo, seu sub Annulo Piscatoris expediuntur, nempe cum sigillo ex rubra cera, quod Annulus Piscatoris vocatur, de quorum origine, & diversitate amplissime agunt Joan. Mabillonius (b), & claræ mem. Card. Petra (c), nosque etiam alibi (d) aliqua innuimus. Item continentur sub hoc nomine supplicationes, & cedulæ motu proprio Summi Pontificis editæ, & ab Officialibus de ejus mandato signatæ. Qui vero literas Sacrarum Congregationum, Datarii, Vicecancellarii, Nunciorum, Patriarcharum, Episcoporum, aut etiam Legatorum, & Delegatorum Papæ, vel etiam literas familiares ejusdem Pontificis falsificaverint, licet extraordinarie puniantur, rei tamen falsitatis literarum Apostolicarum dici non possunt, ut notat Raynald. (e).

2. Quoniam vero ex ista falsitatis specie innumera pene scandala in universam Christianam Rempublicam

(a) *Farinacc. quæst. 151. num. 37. & seq. & quæst. 135. per totam.* (b) *In tract. de re diplomatica lib. 2. cap. 14.* (c) *Ad Constitutiones Apostolicas tom. 1. §. 3. proœmiali.* (d) *In introductione ad Instit. Canon. & lib. 1. tit. 2.* (e) *Observ. crim. lib. 2. cap. 18.*

emergere possunt, merito Summi Pontifices gravissimas pœnas contra ejusdem reos imposuere. *Innocentius III. in cap. ad Falsariorum, de crimine falsi, Gregogorius XIII. in Constit.*81. §. 6. & *Innocentius X. Constit.*51. *per totam* pœnam ultimi supplicii contra istos a sæculari potestate infligendam constituunt, excommunicationis sententiam imponunt, contra Clericos privationem omnium officiorum, & beneficiorum, iisdemque modis procedendum esse in hac materia disponunt, quibus enormissimum quodque, & gravissimum crimen de jure punitur; Concordatque istis Constitutionibus jus civile, quod *in l. ubi falsi ff. de crimine falsi*, falsificantibus literas Principis, pœnam mortis præscribere voluit.

3. Reus autem criminis falsitatis in literis Apostolicis ab incursu pœnarum non excusatur, si unica tantum vice deliquerit; quamvis enim *in citato capit. Ad falsariorum*, ad incurrendas pœnas hujus criminis actuum frequentia requiratur, ratione tamen enormitatis hujus delicti etiam per unicum actum pœnæ ejusdem incurruntur, ut notat *Fagnan.* (*a*); minusque a pœnis eximitur, qui literas præfatas vitiaverit sub obtentu, quod injuste vel nulliter impetratæ fuissent, vel quod ex falsitate commissa nemini fuisset præjudicium irrogatum, vel demum, quod falsitatem per se non commiserit, sed per alium fieri mandaverit. Æque enim pro istis omnibus casibus pœnæ supradictæ statuuntur *in citato capit. Ad falsariorum*, ut firmant *Barbos.* (*b*), & *Farin.* (*c*), qui tamen advertunt, mitius, & extra mortem eum esse puniendum, qui literis Apostolicis ab alio falsificatis utatur.

4. Cæterum pœna contra Reos criminis falsi de jure statuta pro casibus a falsitate literarum Apostolicarum exceptis, de quibus supra tractavimus, arbitraria est,

(a) *In d. cap. num.*26. (b) *In eodem cap. num.*15. (c) *Dicta quæst.*151.

est, & potest usque ad mortem extendi, si ita circumstantiæ postulaverint (a); pœna autem ordinaria ultimi supplicii contra falsificantes literas Apostolicas dumtaxat imponitur; qua pœna etiam afficiuntur qui monetas Principis aliquo ex expositis modis vitiaverint; ad *text. in Leg. siquis cod. de falsa monet. & in Banniment. generalibus Urbis, & Status cap.* 57. & 58. ut ibi notat Bonfin., qui diversas constitutiones Summorum Pontificum, signanter vero *Constitution.* 3. *S. Pii V. &* 33. *Urbani VIII.*, quoad pœnas hujus criminis editas diligenter, ut solet, examinat. Nunc ad sortilegia, sacrilegia, blasphemias, Perjurium, crimen violati sepulchri, fractæ pacis, ludorum, delicta carnis, & demum usuras, quæ mixti Fori pariter sunt, est progrediendum.

TITULUS XVI.

De Sortilegis, Sacrilegis, & Maledicis, & primum de Sortilegis.

SOrtilegorum sane nomine veniunt qui Sortilegia, Sacrilegorum, qui Sacrilegia, Maledicorum, qui blasphemias committunt, de quibus criminibus eo præsertim ex capite hic agere oportet, quod ex genere suo principaliter Deum respiciant, eumque contemnant, & quia æque possunt a Judicibus Ecclesiasticis, ac Laicis cognosci, mixti fori esse dicuntur.

2. Sortilegium generaliter acceptum significat usum cujuscumque medii, vel inutilis, vel prohibiti, quo aliquid pro se, vel pro alio procuratur; unde omnes Divinatores, Magi, Idololatræ, Incantatores sub nomine Sortilegorum comprehenduntur; imo etiam illi, qui bona fide, & ignoranter media inutilia adhibent, ut aliquid occultum innotescat, licet isti ratio-

(a) *Reynold. observ. crimin. lib. 2. cap. 18.*

ratione ignorantiæ nec Sortilegi proprie sint, nec Sortilegorum pœnas incurrant, ut notatur communiter. Magis autem proprie, & specifice sumptum sortilegium definitur: *superstitio quædam summe noxia, qua homo ministerio dæmonis utitur ad aliquid faciendum, vel impetrandum* (a). Dicitur *ministerio dæmonis*, id est instrumentis diabolicis, & nec ex institutione divina, nec ex propria natura cum effectu connexis; dicitur *ad aliquid faciendum, vel impetrandum*, quia non requiritur ad sortilegium, ut sortilegus effectum obtineat, sed satis est, ut intendat, atque procuret (b).

3. Sortilegium, ut notat *Angelicus* (c), in Consultorium, Divisorium, & Divinatorium dividitur. Consultorium est illud, quo Divina voluntas per sortes scrutatur, quid in hac, vel illa re sit agendum, vel evitandum; si quidem tentare Deum dicitur qui sine necessitate, & prætermissis ordinariis divinæ Providentiæ mediis, Deum per sortes consulit, & ad specialem, & extraordinariam ejus Providentiam recurrit, ut notat *S.Thom. supra cit.* (d); ideoque tales sortes, nisi speciali Dei jussu, & instinctu, & cum humili reverentia adhibeantur, sunt prorsus illicitæ, & sub pœna excommunicationis prohibitæ (e). Divisorium est, cùm per sortes inquiritur, quid cuique sit tribuendum, sive in rebus communibus, sive in honoribus, ac dignitatibus &c.; quod quidem genus sortium non est absolute prohibitum, imo aliquando permittitur, nisi ex circumstantiis vitietur, ut ex parte intentionis, si quis non a divina providentia, sed ab astris, vel mere a fortuna eventum expectet: ex parte materiæ, si super re aliena sortes mittantur, vel si officiorum collatio, ubi ratio aptitudinis Personarum habenda est, sortibus exponatur, vel ex parte modi, si aliquid illicitum, & superstitio-

(a) *Cap.1. & 2. de sortilegiis.* (b) *Bordon. in manual. S. Off. sect. 31. num. 6.* (c) *2.2. q.95. art.8.* (d) *Ibidem.* (e) *Can. sortes 7. 26. q.5.*

ſtitioſum quis ſortibus miſceat, v. g. rem ſacram &c. vel ſi fraudulenter & cum dolo ſortes adhibeat (a). Divinatorium tandem ſortilegium frequentius committitur; ideoque de eo fuſius eſt hic pertractandum.

4. Divinatorium itaque ſortilegium eſt, cùm modis illicitis exquiritur futurum occultum, quod naturaliter ſciri non poteſt, in quo quidem genere numerantur artes illæ damnabiles Ariolorum, qui circa aras Idolorum nefarias preces fundebant, ut dæmonum reſponſa reciperent; Aruſpicum, qui exta pecudum inſpiciebant, ut ex eis futura prædicerent, & dies horaſque obſervabant, ut quid per ſingula tempora fieri deberet enunciarent; Augurum, qui volatus avium, & voces, aliaque hujuſmodi ſigna rerum pro gerendis actionibus perſcrutabantur; de quibus mentio habetur in *Can*. 1. *26*. *q*. 3. In qua Cauſa per plures canones ſimiles his divinationis ſpecies recenſentur, nimirum Necromantia, per quam certis ſignis Dæmonis artificio inſtitutis, reſurrectio mortuorum effingitur: Aeromantia, quæ per ſigna in Aere apparentia, ſeu aere incantato per ſpectrorum apparitionem peragitur: Chiromantia, qua per aliquas figuras, ſeu lineamenta corporis futura enunciantur: Hydromantia, qua per aquam, vel per ſigna in aqua apparentia res occultæ divinantur: Pyromantia, quæ ex ſignis in igne: Geomantia, qua ex punctis in terram projectis: Metopoſcopia, quæ ex ſignis in fronte, vel facie exiſtentibus futura cognoſcit: & demum Aſtrologia, per quam ex aſpectu, & examine ſyderum futura prænunciantur.

5. Nomine autem Aſtrologiæ hic non intelligo Naturalem, quæ ſcilicet circa naturalia verſatur, v. g. Agriculturam, Nauticam, & Medicam facultatem, & pluvias, tempeſtates, aliaſque temporis mutationes aliquommodo indicat, nec non complexiones hominum,

(a) *Late Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 12.*

num, eorumque inclinationes; Hæc enim scientia; quæ Astrologia naturalis dicitur, nullo jure prohibetur, quin etiam in bonum publicum maxime vergit (*a*). Sermo igitur hic est de illa Astrologiæ specie, quæ futura tamquam infallibilia ex astrorum influxibus prædicere intendit, sive hujusmodi futura ab opera naturæ, sive ab accidente, sive ab hominis arbitrio, unoque verbo immediate a divina providentia dependeant.

6. Contra hanc autem Astrologiam, quæ judiciaria vocatur, quia Astrologi eidem vacantes certum judicium de futuris pronunciant, plures pœnæ a Jure Canonico, & Civili fuerunt promulgatæ, ut late ostendit Migliorucci (*b*); Easque Summi Pontifices Sixtus V. Constitutione 17. incip. *Cæli & Terræ Creator*, & Urbanus VIII. in altera incip. *Inscrutabilem*, non solum confirmarunt, verum etiam pœnam mortis statuerunt; & si tales Astrologi circa statum Reipublicæ Christianæ, & Sedis Apostolicæ, vel circa vitam Romani Pontificis, aut ejus Consanguineorum judicia protulerint; necnon si aliqui talia judicia penes se retinuerint, vel aliis ostenderint, tamquam læsæ Majestatis Rei ultimo supplicio damnantur, & pœna confiscationis omnium bonorum contra ipsos imponitur, & si Clerici fuerint cujuscunque conditionis & gradus, beneficiis, & officiis omnino privantur. Imo ex edicto generali publicato a Tribunali S. Inquisitionis ab eodem Tribunali contra Astrologos indistincte proceditur, tamquam suspectos de hæresi, si quidquam tamquam ex fato inevitabili certo eventurum affirmaverint. Merito autem prædicti Pontifices Judicia ista damnarunt, quia, cæteris argumentis omissis, Religio omnis, imo & Dei potestas subverteretur, si astra in morales præsertim hominum actiones influerent, & omnia necessitate agerentur, vel præ-

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 94. art. 4.* (b) *Hoc tit. dissert. 3.*

præclare inquit Euſebius (a), conſonatque Origenes (b), & omnes Eccleſiæ Patres in eamdem veritatem conſentiunt.

7. Accedunt his artes illæ a dæmone inventæ ad inveniendos Theſauros, ad cognoſcendos fures mediante cribro, vel phialæ experimento, quæ artes notoriæ, ſeu Cabaliſticæ communiter appellantur, necnon uſus libri, ſpeculi, annuli, vel cujuſcumque alterius rei pro excipiendis reſponſis a dæmone deſtinatæ. Spectant etiam hùc recitationes precum ab Eccleſia non conſtitutæ, vel certis vicibus factæ, vel cum aliqua corporis poſitura, ut ſalus recuperetur, & ſcientiæ ſine labore acquirantur; Itemque ſomnia ſub ſpecie divinationis expoſita comprehenduntur, ſi ſcilicet aliquis certam fidem ſomniis præſtiterit, eamque ob cauſam fortaſſe in lecto decumbat, ut per ſomnia futurorum ſit conſcius. Idemque eſt affirmandum quandocumque mediis, & inſtrumentis aliquis utitur, quæ cum optato effectu nullatenus connectuntur (c).

8. Jam vero ſicuti ex hactenus expoſitis variæ ſunt divinationis ſpecies, aliæ enim cum expreſſo pacto inito cum dæmone conjunguntur, aliæ cum pacto tacito, ut conſideranti patebit; Ita eadem eſt ſortilegiorum diviſio. Pactum expreſſum dari dicitur, cùm quis per ſummum, infandumque facinus Deo, Baptiſmati, aliiſque Eccleſiæ Sacramentis renunciat, & diabolo vel in forma viſibili apparenti, vel in manibus alicujus magi, obedientia ſpondetur, ac corpus, & anima devovetur. Pactum autem tacitum ex uſu earum rerum reſultat, quæ naturaliter effectum intentatum producere nequeunt, & effectus nunquam nonniſi ſupernaturaliter ope dæmonis Deo permittente obtinetur,

(a) *Lib. 6. de præparat. Evang.* (b) *Super Geneſ. cap. 9.*
(c) *Late Bord. en. in manuali S. Off. Sect. 30. per tot.*

mediantibus mediis ab eodem dæmone institutis, iisque traditis, qui se ipsos illi manciparunt.

9. Porro sortilegia, quæ cum pacto expresso, vel tacito connectuntur, hæreticalia vocantur. Ea enim, quæ cum pacto expresso junguntur, vel cultum diaboli regulariter continent, vel aliquod pactum, per quod diaboli auxilio uti quis animo intendit. Ista autem a solis hæreticis fieri possunt, vel ab illis, qui penitus Religionem deseruerunt; Ideoque Apostatæ proprie dicuntur. Ea vero, quibus pactum tacitum inest, adhuc hæresis labe notantur; Licet enim nolit quis se diabolo addicere, ut per expressa pacta peragitur, adhibet tamen media, vel vetita, vel inutilia ad obtinendum effectum, qui naturaliter haberi non posset, sciens dæmonis auxilium ad illa concurrere, ideoque virtualiter, & tacite adhærere diabolo dicitur, quod vel ab hæretico, vel a suspecto de hæresi tantum præstatur.

10. Plura porro sortilegiorum hæreticalium exempla recensent Azor. (*a*), Bordon. (*b*), Brugiott. (*c*), aliique; dantur tamen alia sortilegia ab hæresi prorsus immunia, quæ proinde simplicia nucupantur. Hujus generis sunt quædam superstitiosæ observantiæ, in quibus nullum pactum cum diabolo intervenit, v.g. colligere herbas in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, judicando illas esse meliores, vel inde faustos successus conjiciendo: die Veneris aliqua facere nolle, ne infelicem exitum habeant, cùm cæteroquin dies a die non differat, ut inquit S. Joannes Chrysostomus (*d*), hisque similia relata a Gennetto (*e*), in quibus peccatum grave certò committitur, hæresis tamen, vel suspicio hæresis abest (*f*). Aliqui imo censent, sortilegium cum

(a) *Tom. 1. dist. moral. lib. 6. cap. 26. q. 4.* (b) *In manual. S. Off. sect. 34.* (c) *Instit. Crimin. lib. 2. tit. 3.* (d) *Hom. in eos, qui novit. observant.* (e) *In Theolog. Moral. tract. 2. de præcept. Decalogi præcept. 9. tom. 6.* (f) *Can. non observetis, & Can. sequent. 26. q. 7.*

cum invocatione diaboli factum ab obtinendos effectus, quos ipse Deo permittente potest producere; v. g. sortilegium ad mulierum vel virorum animos ad impudicum amorem excitandos, atque flectendos, quod amatorium dicitur; Itemque sortilegium ad malum alicui inferendum adhibitum, quod maleficium, sive veneficium vocatur: Aliqui, inquam, censent talia sortilegia cum invocatione dæmonis facta hæreticalia non esse, dummodo tamen invocatio dæmonis in ejusdem cultum non tendat, licet enorme peccatum sit, & gravi pœna puniatur (*a*).

11. Cæterum tanta est sortilegii gravitas, ut magna hujus criminis Rei utriusque Juris severitate coerceantur. Et merito quidem; Nihil enim turpius figurari potest, quam postposita fiducia in Deum, insulsis, fallacibusque mediis, etiam prohibitis effectus procurare, ut Regius Psalmista cecinit (*b*): *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas*. Quamobrem pœnæ contra Sortilegos a Jure canonico inflictæ recensentur *in causa 26. a q.1. ad 5. inclusive, & in decretalibus tit. de Sortilegiis*; Quibus accesserunt Apostolicæ Constitutiones, præsertim Leonis X. 43. *incip. Honestis*, Gregorii XV. 86. *incip. Omnipotentis*, aliæque posteriores. Pœnæ autem Juris Civilis *ex titulo Cod. de malef. & Mathemat.* constant. Si Sortilegium hæresim contineat, privative a Tribunali Sacræ Inquisitionis iisdem pœnis punitur, quæ contra hæreticos, vel de hæretica pravitate suspectos promulgantur (*c*). Sortilegus, qui pactum expressum, vel tacitum cum dæmone inivit, & unum, vel plures ita graviter læsit, ut mors fuerit secuta, post abjurationem comburitur. Si vero mors non evenerit, in carcerem perpetuum detruditur. De jure

 civili

(a) *Geminian. in cap. accusatus §. sane, de hæretic. in 6. S. Thomas 2. 2. distinct. 95. q. 2. Oldrad. cons. 120. aliique.* (b) *Psal. 4.*
(c) *Cap. accusatus §. sane, de hæretic. in 6.*

civili etiam contra ſortilegium non hæreticale pœna mortis naturalis imponitur, quæ tamen in praxi non infligitur, ſed præter excommunicationis ſententiam a Jure Canonico conſtitutam pœna arbitraria uſque ad triremes incluſive Laicis delinquentibus datur, quæ etiam minuitur, vel aggravatur juxta circumſtantias; nam aliquando fuſtigatione, relegatione, vel ſimili pœna Rei condemnantur, aliquando etiam pro prima vice ultimo ſupplicio, ſi irreparabile damnum alicui intulerint, vel inferre tentaverint (*a*). Pro Clericis autem ſtatutum eſt, quod ab officio, & beneficio deponantur, & perpetuo carceri mancipentur, & ſi in delicto inſordeſcant, ſæculari Curiæ puniendi poſt degradationem tradantur (*b*); Ideoque judicio & prudentiæ Judicis remittitur diligenter inſpicere qualitatem delinquentis, ejuſque animum, numerum delictorum, criminis qualitatem, v.g. ſi re ſacra fuerit abuſus, prout ſæpe contingit, ſi die feſto, ſi in loco Deo conſecrato ſortilegium fuerit commiſſum, nec non damnum quod alteri intulit, hiſque ſimilia; iiſque mature conſideratis pœnam infliget, ut concludunt Anaclet. (*c*). Farinac. (*d*), Brugiot. (*e*), Bordon. (*f*), aliique communiter.

TITULUS XVII.

De Sacrilegis.

SAcrilegium communiter definitur; *Rei ſacræ violatio*: in qua quidem definitione *violatio* pro genere accipitur, *Rei ſacræ* pro differentia, quia non omnis violatio ſacrilegium conſtituit, ſed ſolum illa, quæ circa res ſacras committitur (*g*). Rei autem nomen

(a) *Ex Conſt. Gregorii XV.* (b) *Can. oportet 4. & ſeq. 26. q. 5. Can. ſi quis Epiſcopus, eadem Cauſa & q.* (c) *In hunc tit.* (c) *Quæſt. 20. num. 78.* (d) *Inſtit. Crimin. lib. 2. tit. 3.* (e) *In Man. S. Off. Sect. 42.* (g) *S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 1.*

men loca, res, & personas in latiori significatione comprehendit, *ad textum in l. rei 5. l. res 113. ff. de verb. signif.* Unde sacrilegium, in locale, reale, & personale dividitur. Locale committitur, cùm Ecclesia, aliusque locus Deo per Episcopos rite, & solemniter dedicatus violatur, atque contemnitur. Nomine vero Loci Sacri Ecclesia, atrium, & cœmeterium intelliguntur, imo etiam hospitale, aliæque piæ Ædes in forma Ecclesiæ ædificatæ, & auctoritate Episcopi erectæ, in quibus sacrum *publicè* celebretur (*a*). Dixi *publicè*, quia Oratorium privatum ad peculiare alicujus Magnatis commodum, usumque constructum, loci sacri nomine non intelligitur, licet ibi de licentia Papæ sacrum celebretur. Sub nomine autem *violationis* quicumque loci sacri contemptus continetur.

2. Multipliciter talis violatio, seu contemptus contingit. Primo si Ecclesia armata manu, & vi adhibita occupetur, diruatur, vel incendio devastetur (*b*); Idemque dicendum si divina officia turbentur, & Missæ sacrificium violenter impediatur, excitando scilicet tumultus & rixas, ne sacra celebrentur (*c*); Vel si convivia propter profanas causas, comœdiæ, & ludi inhonesti ibi exerceantur (*d*). Item si sanguis injuriose, & violenter effundatur; ideoque violata Ecclesia non dicitur, si vel effusio sit modica, vel fortuito accidat, vel a furioso, aut ebrio committatur, vel si effusio licet notabilis aliis non innotescat, in quibus casibus non videtur Ecclesiæ injuria irrogari (*e*). Tertio si humanum semen, sive ex copula licita, prout inter conjuges accidit, sive ex illicita effundatur, itaut etiam ex fornicatione occulta Ecclesia pollui dicatur

(a) *Cap. ad hæc, de Religios. dom.* (b) *Can. sicuti 17. q. 4. & cap. in literis, de raptoribus.* (c) *L. si quis in hoc Cod. de Episcopis & Cler. cap. decet, de Immunit. Eccles. in 6.* (d) *Cap. cum decore, de vit. & hon. Cleric.* (e) *Panimoll. decis. 642. num. 31, & seq.*

tur (*a*). Requiritur tamen relate ad conjuges, quod effusio publice constet, nec in tali necessitate fuerint constituti, ut ex loco sacro discedere, & in alium locum non sacrum ad habendam maritalem copulam accedere nequiverint (*b*). Plura tamen in hanc rem congessimus in Institutionibus canonicis (*c*), a quibus sunt repetenda. Quarto si Judex Laicus in loco sacro forum constituat, & contentiosæ Jurisdictionis actus exerceat (*d*); Actus vero jurisdictionis voluntariæ & pietatis exequi non prohibetur (*e*). Quinto si quis Reum in Ecclesia confugii causa existentem violenter extraxerit, vel vinculis mancipaverit, vel detinuerit (*f*). Quando autem Rei ad Ecclesiam confugientes Immunitate non gaudeant, & licite ab illa extrahi possint, dispositum habemus in notissima constitutione Gregorii XV., quæ a Benedicto XIII., Clemente XII., & Bendicto XIV. declarata, & ad varios casus fuit ampliata, ut patet ex Constitutionibus ab iisdem Pontificibus evulgatis, quas cum retulerimus in Institutionibus Canonicis (*g*), ad eas Lectorem remittimus, ne rem jam actam agamus, & ut duas alias species sacrilegii realis, & personalis exponere aggrediamur.

3. Sacrilegium porro reale adversus rem sacram committitur; Sacræ autem rei nomine venit, quæ vel per se sacra est, in quo numero principaliter recenseri debent Sacramenta, deinde vero, & secundario sacræ Reliquiæ: vel quæ licet per se sacra non sit, ad usum tamen sacrum est destinata, ut sunt Calices, Patenæ, Ara Altaris, vestes Sacerdotales, hisque similia.

4. Jam

(a) *Suarez de Religione lib.3. cap.7.* (b) *Sanchez de Matrim. lib.9. disp. 15. num.9. & seq.* (c) *Lib.2. tit.11.* (d) *Cap. cum in Ecclesia, de immunit. Eccles. & cap. decet §. cessat eod.tit. in 6.*
(e) *Suarez cit. tract. de Relig.lib.3. cap.4. n.12.* (f) *Cap.inter alia, de immunit.Eccles.Pignat. cons.126.tom.2.* (g) *Lib.2. tit.13.*

4. Jam vero circa Sacramenta multipliciter sacrilegium committitur; Nam circa Sacramentum Baptismi sacrilegium patratur, cum Infante jam domi baptizato, Parochus eum rebaptizat, vel si Parochus infantem baptizans ad vindictam parentum intentione careret. In Sacramento Chrismatis, si Chrisma vetus adhiberetur, aut si ab alio, quam ab Episcopo excepta Summi Pontificis dispensatione idem Sacramentum Chrismatis ministraretur. Circa Sacramentum Eucharistiæ, si negligenter custodiatur, si in locis non consecratis offeratur, si non consumetur, si peracta sacri Corporis sumptione, a Calice sacri cruoris abstineatur, si accepta a Sacerdote sacra synaxi, non deglutiatur, & si quomodolibet indigne recipiatur. In Sacramento insuper Pœnitentiæ sacrilegium contingit, si pœnitens sine necessariis dispositionibus confiteatur, si Sacerdos non approbatus hoc Sacramentum ministret, si Confessarius peccata revelet. In Sacramento Ordinis sacrilegium est, si Ordines ante legitimam ætatem suscipiantur, si furtive ad Ordines accedatur, si per saltum, vel cum falsis dimissorialibus quis promoveatur, si ab excommunicato, deposito, vel interdicto in Ordine ministretur. In Matrimonio demum sacrilegium patratur, si a Sacerdote contrahatur, seu verius contrahi præsumatur, si cum Virgine sacra celebretur, si constante primo Matrimonio alia uxor ducatur, si constante Matrimonio concubina detineatur, aliaque in hanc rem exempla late cum suis Auctoribus afferuntur a Miglioruccio (a).

5. Reliquias insuper Sanctorum dedecorantes sacrilegi sunt, & de hæresi vehementer suspecti: *Custodit enim Dominus ossa eorum, unum ex iis non conteretur*, ut in sacris paginis legitur (a): idemque dicendum de iis, qui sacras imagines fœdant, quarum sane cul-

(a) *Hoc tit. dissert. 7.* (b) *Eccles. 44. 14., & Psalm. 33. 21.*

cultum in antiqua lege obumbratum (*a*), & ab ipsamet nascente Ecclesia receptum, perpetuoque servatum profitemur, ut tali scilicet medio, & ex earum aspectu ad invisibilia rapiamur, ut inquit S. Gregorius (*b*). Postremo circa res per se profanas, ad usum tamen sacrum destinatas, ut sunt vasa Altaris, vestes Sacerdotales, hisque similia, tripliciter sacrilegium committitur. Primo, si a loco sacro subtrahantur, v.g. si de Ecclesia, vel Sacrario Ecclesiæ furto auferantur. 2. si de loco non sacro amoveantur, v.g. si quis res enunciatas non in loco sacro, sed alibi existentes furetur, sciens tamen per Episcopum fuisse benedictas, & Deo dicatas, aliter enim sacrilegium non erit. Tertio, si quis res improprie, & in latiori significatione sacras e loco sacro furandi animo tollat, ut vota argentea, &c. (*c*).

6. Aliqui sane censent, actionem Sacrilegii minime oriri, si res non sacra sacris e locis auferatur, innixi auctoritati *Textus in l. Divi ff. ad l. Jul. peculat.* ibi: *Res privatorum, si in ædem sacram depositæ subtractæ fuerint, furti actionem, non sacrilegii esse*; sed facile respondetur, Modestinum in dicto textu non agere de vindicta publica, sed solum de actione competente privato pro rei recuperatione, ut explicat inter alios Tholosan. (*d*).

7. Personale demum Sacrilegium, de quo ultimo loco est pertractandum, circa personas sacras committitur. Primo, si manus violentæ in illas conjiciantur, ad notissimum textum *in Can. si quis suadente diabolo 17. q. 4. cap. felicis, de pœnis in 6.* Unde Sacrilegium est, quæcumque injuria cum animo offendendi personæ Ecclesiasticæ facta, dummodo realis & extrinseca sit, nec in solis verbis, sed in facto consistat. Secundo,

(a) *Exod. 25. Regum 3. 6.* (b) *Epist. 53. lib. 7. & epist. 9. lib. 9.*
(c) *Gonzalez in cap. cum sit generale, tertio de foro compet. n. 4.*
(d) *In Syntagm. lib. 33. c. 14.*

do, si eædem personæ capiantur, in carcere detineantur, nulla etiam corporis læsione secuta *(a)*. Tertio, si Judex Laicus, vel quicumque alius sæcularis Minister, qui juxta juris regulas, contra Personas Ecclesiasticas procedere nequit, in illas sententiam proferre præsumpserit; quo quidem casu omnia acta tam in Civili, quam in Criminali Judicio sunt irrita, ipse vero Judex cum Ministris, quorum opera in procedendo fuit usus, Sacrilegii crimen committunt *(b)*.

8. Major hinc, vel minor Sacrilegii gravitas ex circumstantiis dependet, & sicuti gravius crimen committit, qui in personas, quam qui in res, vel loca delinquit; ita quo sanctior est persona, eo etiam gravius Sacrilegium reputatur; Unde furtum Hostiæ, vel Vini consecrati, quod in Personam Christi Domini sub iis speciebus contenti directe committitur, principem inter Sacrilegia locum sortitur, & pœna mortis irremissibiliter coercetur *(c)*: Sicut etiam de Sacrilegio locali, & reali est affirmandum, quo enim sanctior est locus, vel res, eo gravius delictum contrahitur *(d)*.

9. Quamobrem merito contra Reos Sacrilegii, attentis utriusque juris dispositionibus, nunc arbitrarie proceditur, sublato juris antiqui rigore, quo pœna Sacrilegorum usque ad mortem extendebatur *(e)*. Debet enim Judex advertere criminis gravitatem, inspicere, an Sacrilegia simplicia sint, vel species eorum uniantur, v. g. si res sacra de loco sacro auferatur, aliasque circumstantias maturo examine ponderare, quæ exigunt pœnas imminui, vel aggravari, ut debita delicto pœna respondeat; quod si personæ, loci, vel rei sacræ violator aliquod etiam crimen commiserit pœna ordinaria puniendum, v. g. furtum, homici-

(a) *Cap. fermè, de Sent. excom.* (b) *Cap. cum non ab homine, de Judic.* (c) *Riccius decis. 27. p. 2. Panimol. decis. 64. num. 19.* (d) *S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. in corpore.* (e) *L. Sacrilegii ff. ad Leg. Juliam peculatus.*

dium &c. ultra ordinariam pœnam delicto debitam, gravius propter Sacrilegium condemnabitur (*a*).

TITULUS XVIII.

De Maledicis.

Maledicorum nomine Blasphemi hic intelliguntur, ii scilicet, qui in summi Dei injuriam, ignominiam, & dedecus verbo, scripto, vel opere aliquid faciunt; Blasphemia enim est nomen græcum latinè convicium, & maledictum significans, illudque peculiare est hujus criminis, quod immediate, & directe per illud divina Bonitas, & Majestas contemnitur, ideoque quo dignius, & excellentius est objectum offensum, eo gravius Blasphemiæ crimen reputatur; Præsertim quia aliorum criminum Rei principaliter proprium commodum quærunt, blasphemi autem Dei contumeliam unice intendunt, contra quos urget horrenda illa, & ex Dei ore prolata maledictio (*b*): *Maledicti erunt, qui contemserint Te, & condemnati omnes, qui blasphemaverint Te* (*c*).

2. Regulariter blasphemia in solis verbis ore, vel scripto prolatis consistit, ideoque describitur; *Locutio facta per modum convicii adversus Deum*: idque tripliciter accidit, primo cùm Deo tribuitur id, quod eidem non convenit, ut corpus, uxor &c. & dicitur blasphemia attributiva: secundo cum aliquid conveniens eidem detrahitur, ut æternitas, omnipotentia, aliæque ejus proprietates, & dicitur derogativa: tertio cùm aliquid soli Deo conveniens creaturis tribuitur, & usurpativa appellatur. Si aliquo ex enunciatis modis

(a) *Reynald. tom. 1. cap. 14. num. 30. & seq. aliique communiter*.

(b) *Tob. 13. 16.* (c) *Conciol. resol. crimin. verbo blasphemia resol. 1. n. 1.*

modis blaſphemia committitur, hæreticalis blaſphemia dicitur, quia æque omnes ſenſum hæreticum continent. Datur autem altera ſpecies blaſphemiæ, quæ ſcilicet in ſola Dei contumelia, & irriſione conſiſtit, a qua tamen hæreticus ſenſus excluditur, & hæc quidem blaſphemia ſimplex vocatur. Varias utriuſque blaſphemiæ formulas, quas horret animus recenſere, referunt *Bordon.* (a), *Card. de Albici* (b), aliique, notantes, inter utramque blaſphemiæ ſpeciem differentiam eſſe, quod hæreticalis blaſphemiæ cognitio ad Tribunal Inquiſitionis unice ſpectat, ſimplex autem æque poteſt a Judice Eccleſiaſtico, ac a Laico puniri juxta præventionis Leges, de quibus in *tit. de delictis in genere* breviter diſſeruimus.

3. Supra dixi, regulariter blaſphemiam conſiſtere in ſolis verbis ore, vel ſcripto prolatis adverſus Deum; Æque tamen committitur, ſi in B. Virginem, atque in Sanctos, & Angelos proferatur; itemque ſi aliquis creaturis quibuſcumque etiam viventibus in odium, & contemptum Dei maledixerit. Sicuti enim in hoc mundo poteſt injuria immediate perſonæ Principis irrogari, & mediate perſonas ab eo dependentes offendendo; ita Deus æque poteſt immediate in ſe, & mediate per offenſionem ſuorum amicorum, & creaturarum contemni. Quidquid autem *Carena* (c), aliique affirment, cenſeo in factis etiam blaſphemiam poſſe conſiſtere, unde blaſphemus dicitur, qui ſignum noſtræ Redemptionis, ſtatuas B. Virginis, vel alterius Sancti manibus deſtruxerit, deturparit, & quomodocumque contempſerit, & tamquam ſuſpectus de hæreſi poteſt puniri (d). Hinc ſub pœna capitali prohibetur in *L. unica Cod. nemini licere ſignum Salvatoris*, ne Imago Chriſti Crucifixi in ſilice, aut marmoribus humi po-

(a) *In Manual. S. O. ſect. 45.* (b) *De inconſtan. in Fide part. 1. cap. 31.* (c) *De Inquiſit. p. 2. tit. 7. num. 2.* (d) *Cordub. in quæſtionar. lib. 1. q. 17. §. 15.*

sitis insculpatur, vel ita insculpta retineatur, ne facile pedibus conculcetur. Quæ quidem prohibitio ad simplex signum Crucis ex communiori sententia extenditur, indeque eruitur, valde indecorum esse, & forsan punibile, tale signum in parietibus Ædificiorum apponere, ne ab aliis deturpentur (*a*).

4. Quantum vero blasphemiæ crimen D. O. M. displiceat, non solum ostenditur ex quo lapidibus obrui, & morte puniri blasphemantes jure antiquo (*b*) disponeretur, verum etiam supplicia, quibus deinde affectos esse scimus hujus criminis reos, ejusdem gravitatem plane demonstrant, ut enim egregie adnotarunt Boer. (*c*), & Brugiott. (*d*), ex hoc crimine oriuntur bella, evertuntur Imperia, aliæque omnes ærumnæ originem habent, satisque id etiam innuit Catechismus Romanus (*e*).

5. Sane etiam de Jure Civili pœna mortis contra blasphemos statuitur *in §. quoniam, authent. ut non luxurientur*, quæ jam ab aula recessit, & sublato tanto rigore pœna arbitraria usque ad triremes extendibilis in ejus locum successit. Debet ergo Judex diligenter inspicere personam delinquentis, scandalum ex delicto dimanans, aliasque circumstantias, quæ vel delictum augere, vel minuere possunt, & pro arbitrio suo pœnas infligere, nisi statuta particularia, vel consuetudo legitima aliud constituant (*f*). In Urbe, & Statu Ecclesiastico præter Constitutiones Leonis X. & S. Pii V. relatas a Farinacc. (*g*), Bannimenta disponunt, puniri blasphemum pro unica vice pœna trium ictuum funis, vel pecuniaria 25. scutorum, pro secunda carceris ad tres menses, pro tertia triremium ad quinquennium; sed proferens uno impetu unoque tempore duas pluresve blasphemias, pro una tantum vice punitur

(a) *Raynald. tom. 1. §. 8.* (b) *Levit cap. 24.* (c) *Decis. 301. de valid. &c.* (d) *Instit. Crim. lib. 1. tit. 6. n. 3.* (e) *P. 3. cap. 3. num. 30.* (f) *Farinac. q. 20. n. 64.* (g) *Loco cit.*

niatur (a). Insuper Blasphemi infamiæ notam incurrunt, a testimonio ferendo rejiciuntur, & si Clerici fuerint, beneficium, vel officium Ecclesiasticum obtinentes, officio, & beneficio privantur, ut notat Carena (b). Si vero blasphemia facti contra Deum, & Sanctissimam Virginem forte patretur, ultimum supplicium; si contra Sanctos, pœna triremium imponitur; atque hoc quidem jure nunc utimur, olim quippe blasphemantium pœna præter mulctam erat, ut septem diebus Dominicis starent præ foribus Ecclesiæ sine pallio, & calceamentis, cum fune circa collum, & septem sextis feriis jejunarent. Deinde accessit Constitutio Leonis X. in Conc. Lateranensi *incip. Superna*, ac Julii III. *incip. In multis*, & tandem S. Pii V. *incip. Cum primum* 1. April. 1566. quas superius innuimus. S. autem Pius innovavit dicti Leonis Constitutionem, atque decrevit (c) blasphemantem nomen Jesu, vel Virginis prima vice (nempe punitionis) condemnandum esse pœna vigintiquinque ducatorum, secunda quinquaginta, tertia centum, & exilio. Si vero solvere non posset, prima vice constituendum per diem integrum ante fores Ecclesiæ manibus post tergum ligatis, secunda flagellandum per Urbem, tertia linguam ei perforandam, & ad triremes mittendum. Notatuque dignum videtur, in enunciata Constitutione S. Pii V. provide fuisse statutum, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed ad simplicem quoque denunciationem posse procedi, nec non in condemnando, & corrigendo nedum duos Testes plenam probationem conficere, sed loco unius, denunciantem, si juret, admitti.

6. Ab istis autem pœnis non excusat minor ætas, dummodo delinquens doli sit capax, & in Urbe si 20. annos attigerit, pœna ordinaria punitur ex declaratione Ven.

(a) *Raynald. tom. 1. cap. 1. §. 1. & seq.* (b) *De Offic. S. Inquisitionis tit. 7. §. 13.* (c) §. *Ad abolendum*.

Ven. Innoc. XI. die 28. Maii 1680., multoque minus suffragatur, quod Reus Sacramentalem absolutionem obtinuerit, adhuc enim potest pœnis corporalibus coerceri (*a*). Tertio non prodest, si ob iracundiam, & attenta consuetudine blasphemandi non advertit, adhuc enim punitur, quia in causa deliquisse videtur, & si frequens sit, a Tribunali S. Inquisitionis interrogatur, *quid sentiat de Fide*, cùm sit suspectus de hæresi. Contra blasphemos insuper per jocum non mitius proceditur, ut aliqui sentiunt, sed potius acrius, atque severius, quia graviorem Deo videntur injuriam irrogare, ut communius, & verius existimant.

7. Tandem generaliter advertendum, dispositiones Statutorum non esse stricte contra reos hujus criminis ad instar aliarum legum pœnalium interpretandas, sed potius contra Reos ampliandas, quia favorabiles sunt Divino cultui, & homines retrahunt ab injuria, & contumelia, qua Deus per blasphemiam afficitur (*b*). Illudque prætereundum non est, quod quamvis Ecclesia de iis, qui foris sunt, plerumque, & regulariter judicare non soleat, ut alibi innuimus, si tamen de blasphemia facti tractetur, ab hæreticis præsertim committi solita, ab Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum debet omnino puniri, quia inde injuria, & contumelia in Catholicos manifeste redundat, ut solide probat Decianus (*c*), qui per sex integra capita hanc materiam pertractat.

TITULUS XIX.

De Perjurio.

SUprema sane Dei Majestas non solum per blasphemiam contemnitur, verum etiam per crimen perjurii, quod committitur, cùm vel mendacium juramento

(a) *Amænus de delictis, & pœnis tit. 5. §. 2. n. 24.* (b) *Reynald. observ. Crimin. cap. 1. §. 1. num. 28.* (c) *Tract. Crim. tom. 2. lib. 6.*

mento firmatur, vel jurata promissio minime attenditur, ideoque perjurium describitur, *juramenti violatio*, vel, ut aliis placet: *Mendacium juramento firmatum* (a); Et inter enormia crimina merito adscribitur, quia si homines gravissimum putant fidem ipsis datam rescindere, eo longe gravius erit promissionem Deo factam transgredi, atque violare, quo magis Deus ab hominibus distat (b); Unde in sacris paginis legimus (c): *Si quid vovisti Deo, ne moreris, reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*; & alibi (d): *Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere &c.*

2. Juramentum vero, per quod Deus testis veritatis invocatur, in duas species dividitur, aliud est enim assertorium, quo præterita, vel præsentia affirmantur, aut impugnantur, aliud promissorium, quo aliquid faciendum, vel non faciendum promittitur. Ut autem juramenti transgressio sit in foro externo punibilis, duo debent necessario concurrere. Primo scilicet juramenti solemnitas, seu quod juramentum vel fuerit coram Judice datum, vel per tactum Evangeliorum, aliave solemni forma juxta locorum consuetudinem in actis publicis præstitum. Dixi *aliave solemni forma*; constat enim, antiquitus etiam ad Sanctorum reliquias, vel corpora juramenta dari consuevisse; imo sæpe perjuros ad ipsa corpora, vel reliquias, Deo ulciscente, vel mortuos, vel alia ratione punitos remansisse, testatur inter alios Gregorius Turonensis (e), & diserte confirmat Ben. XIV. (f). Deinde vero requiritur, quod super re possibili, honesta, nec a legibus ullo modo prohibita fuerit interpositum, quæ conditiones ita invicem distinguuntur, ut omissa juramenti solemnitate nequeat perjurus in foro externo puniri, licet coram Deo gra-

(a) *Decian. tract. Crim. lib.6. cap.7.* (b) *Can. animadvertendum & seq. 22. q. 2.* (c) *Eccl. 5. 3.* (d) *Deuter. 23. 21.*
(e) *Lib.1. de glor. martyrum cap. 39.* (f) *De Synod. diœces. lib.4. cap.7. num.6. & seqq.*

grave peccatum committat. Si vero super materia naturaliter impossibili, vel a jure improbata juramentum fuerit emissum, non solum in foro externo transgressor non punitur, verum juramentum non tenet, nec ullatenus jurantem adstringit (*a*).

3. Pœnæ porro contra perjurium antiquitus erant gravissimæ, & usque ad ultimum supplicium extendebantur; Nostris tamen temporibus, quibus malitia hominum facile supremæ Majestatis testimonio solet abuti, pœnæ, quibus tale crimen punitur, vix afflictivæ corporis dici possunt, & arbitrio Judicis remittuntur juxta qualitatem pejerantis, ejusdem dolum, aliasque circumstantias aggravantes, vel minuentes (*b*). Ultra triremes autem nequit Judex condemnare, nisi ex Bannimentis, vel Statutis contrarium statuatur (*c*).

4. Omnes vero perjuri infamiam generaliter contrahunt, ratione cujus a ferendo testimonio repelluntur (*d*), & si Clerici fuerint, possunt beneficiis privari, & ad alia obtinenda inhabiles redduntur (*e*). Acceditque his obligatio reficiendi omnia damna parti læsæ, si ex perjurio damnum alicui obvenit, ut docent communiter. Nec obstat *textus in l.2. Cod. de Episcop. & Cler.*, ubi pejerantem, Deum vindicem habere definitur. Ex quo enim, ut sit perjurus in foro externo punibilis, exigatur juramentum in actis publicis, & super re honesta, nec a legibus prohibita emissum, facile conciliatur eorum opinio, qui asserunt de jure civili nullam pœnam perjurio adnexam fuisse, quos citat Menochius (*f*). Textus autem adductus, aliique, in quibus disponitur, pejerantem Deum ultorem

(a) *Cap. non est, de Reg. jur. in 6. cap. sæpe contingit, & cap. non alii, de rebus Eccles. non alien. L. impossibilium ff. de reg. jur.*

(b) *Jason. in l. si duo Patroni §. final. de jure jurando.* (c) *Amæ. nus de delictis, & pœnis tit. 5. §. 7.* (d) *Cap. ex parte de test. L. Lucius ff. de his qui notantur Infamia.* (e) *Cap. querela, de jure jurando.* (f) *De arbitrariis casu 315.*

rem habere, quibus actio civilis ab iisdem auctoribus perjurio denegatur, intelligendi sunt a duabus expositis circumstantiis præscindendo.

5. Circa jusjurandum a Judicibus Reis deferri consuetum pro litis decisione, vel ex officio, vel ad partis instantiam, quod proinde *litis decisivum* vocatur, quæri solet, an contra Reum perjurii commissi actio criminalis competere valeat? & licet aliqui censeant, non posse a judice talem Reum puniri, ideoque actionem criminalem non dari, sententia tamen contraria est verior, ut notat Raynaldus (*a*), advertens criminis hujusce cognitionem ad Judicem Ecclesiasticum privative spectare.

6. Acerrima insuper olim fuit controversia inter Doctores, an Reis in judicio criminali juramentum veritatis dicendæ deferri deberet, cum in examine constituuntur? Sententiæ affirmativæ, & negativæ fundamenta late deducit Ursaya (*b*). Certè in aliquibus Tribunalibus stylus exigendi dictum juramentum religiose servatur, & ita etiam in Tribunalibus Urbis, & Status Ecclesiastici diu fieri consuevit, quia in foro conscientiæ Reus obligatur Judici legitime interroganti veritatem aperire, ut pluribus congestis firmat Sanchez (*c*). Nihilominus S. M. Bened. XIII. probe intelligens sæpe Reos nolentes fateri delictum, jurisjurandi religionem contemnere, ideoque exigendo ab illis juramentum fere certam pejerandi occasionem præberi, peculiari Constitutione (*d*) sancivit sub pœna nullitatis actorum, & Processus, ne juramentum a Reis coram Judice constitutis exigatur. Imo parce admodum debet etiam in causis civilibus juramentum deferri, *faciles enim sunt aliqui ad jurandum religionis contemptu, alii vero perquam timidi divini numinis metu*, ut eleganter inquit Ul-

Tom.III. Gg pianus

(a) *Tom.1.ad cap.1. suppl.5.* (b) *Lib.3. Instit. hoc tit. n.15., & seq.* (c) *Consil. Moral. lib.6. cap.3. dub.29.* (d) *In Concil. Rom. tit.33. cap.4.*

pianus (*a*). Quod si deferri juramentum aliarum probationum defectus efflagitet, non nisi in causis dubiis, & quando veritas aliunde nequeat clarescere, nec si de gravi damno vitando, vel gravi lucro captando tractetur, nec demum personis sive ab paupertatem, sive ob aliam circumstatiam suspectis erit deferendum.

7. Inter delicta porro mixti fori, per quæ universa Societas maxime perturbatur, & Respublica non leve, sed incredibile incommodum experitur, crimina violati sepulchri, fractæ pacis, & ludorum adnumerantur, cum plurimum, ut quisque videt, intersit sepulchra non violari, fidem viventibus datam sartam, tectamque custodiri, & per prohibitorum ludorum frequentiam substantias, & Patrimonia Civium non imminui, ac depauperari, meritoque hinc ad eorundem delictorum explanationem accedimus.

TITULUS XX.

De Criminibus violati sepulchri, fractæ pacis, & ludorum.

CRimen igitur violati sepulchri, de quo agitur *in tit. ff. & cod. de sepulchro violato, & in extravagant. 2. de sepulturis*, duobus modis præcipue committitur, vel scilicet circa sepulchrum, vel circa cadaver. Circa sepulchrum committitur, illud devastando, terram effodiendo, lapides, statuas, columnas, aliudve ad sepulchrum pertinens auferendo (*b*). Secundo modo fit, cadavera expoliando, ossa exhumando, cineres disperdendo, ossa a carne sejuncta comminuendo, & in frusta dividendo &c. (*c*); eodemque modo delinquit, qui cadaver propria auctoritate sequestrat, prohibetque tumulari, ut per hæredes

(a) *In L. quæ sub condit. 8. ff. de condit. instit.* (b) *L. 2. & 3. ff. de sepulchr. violato, cum aliis jur.* (c) *L. 3. eod. titulo.*

des creditum, quod cum defuncto habebat, extinguatur, necnon qui sine debitis facultatibus de uno territorio ad aliud cadaver transfert humandum (*a*).

2. Gravissimum vero est crimen violati sepulchri, quomodolibet committatur; valde enim inhumanum est defunctorum ossa, cineresque vexare in loco, qui communi omnium gentium jure mortalitatis nostræ causa fuit institutus (*b*); unde violatores cadaverum actione vis publicæ, vel privatæ damnantur, si cum vi, vel sine vi sepulchrum violaverint, sin minus injuriarum pœnis juxta circumstantias plectuntur (*c*). Imo sepulchrorum violatores hodie tamquam rei sacrilegii puniuntur, quia sive sepulchra sint in Ecclesia, sive in coemeterio, sive in alio quovis loco per Episcopum benedicto, semper per illius violationem locus sacer contemnitur, atque violatur. Transferentes autem de uno in alterum locum cadavera, si id non injuriandi animo fecerint, sed vel causa devotionis, vel ut illa in sepulchro majorum sepelirent, nullam profecto pœnam incurrunt, ideoque vel talis translatio delictum vocari non potest, vel illud singulare est, ut notat *Glossa* (*d*), quod nempe tale delictum nulla pœna punitur. Nec si a custodibus portarum pro introductione cadaveris vectigalia prætendantur, solvi debebunt; Hujusmodi enim prætensio juri adversatur, ut cavetur in *L. nulli cod. de Relig. & sumptibus funerum*, & sub quocumque prætextu etiam consuetudinis nequit tolerari, ut probat *Cardinalis de Luca* (*e*).

3. Huc etiam spectat crimen fractæ pacis in eo consistens, quod remissa per pactum injuria, nulla superveniente causa is, qui injuriam intulit, offendatur. Æque profecto grave est hoc delictum, ac alterum superius explicatum, imo hoc proditorio simile censetur,

(a) *Cit. l. 3.* (b) *L. si quis sepulchrum §. Prætor ait ff. de Religiosis, & sumptibus funerum.* (c) *L. 3. §. adversus eos ff. eodem.* (d) *In cit. l. 3.* (e) *De Regal. disc. 116.*

quod humanum commercium quodammodo tollit, & vinculum humanæ societatis disrumpit, ideoque sub gravissimis pœnis prohibetur in *l. fin. ff. de re militari*, & in *cap.1. de pace tenenda in usibus feudorum*, & in §.*Si quis vero, authent.de pace juramento firmata*; idque etiam habetur in Jure canonico in *Can. illi, qui peregrinos*, *24. q.3.*, & in *cap.1. de tregua, & pace*, qui quidem textus licet de pace publica agant, Doctores tamen communiter asserunt ad pacem inter privatos juramento munitam extendi debere, ut notat Raynald. (*a*).

4. Quemadmodum vero hoc crimen committit, qui post initam cum altero pacem illum offendit, ita ejusdem est criminis Reus, qui id facit post treguam conventam, vel post promissionem de non offendendo stipulatam. Pax definitur *totalis, & perpetaus finis discordiæ*; Tregua vero est *securitas rebus, & personis ad certum tempus exhibita*; Promissio tandem de non offendendo est *securitas de non offendendo, vel rebus, vel personis, arbitrio Judicis data*; qui sane actus licet diversi sint, ad effectum tamen incurrendi pœnas fractæ pacis pro eodem considerantur (*b*).

5. Ut autem in praxi intelligatur, quomodonam per offensionem alterius post pacem, treguam, vel promissionem de non offendendo conventam crimen fractæ pacis committatur, tenor datæ securitatis est attendendus; aliqua enim securitas datur de non offendendo personam, aliqua de non offendendo in persona. Cum autem ex iis, quæ alibi diximus (*c*), maxime differant, personam alterius, ac in persona alium offendere; hinc casu, quo aliquis de non offendendo personam obligationem inierit, pœnam fractæ pacis incurrit, etiamsi solis injuriis verbaliter eumdem affecerit; multoque magis, si pugno, vel alio quovis insultu cum armis, vel sine armis illum offenderit. Verum,

(a) *Tom.1. cap.1. num.11.* (b) *Farin. quæst.107.* (c) *In tit. de Crim. læsæ Majestatis.*

rum, si de non offendendo in persona fuerit data securitas, corporis læsio requiritur, ut crimen fractæ pacis committatur, aut saltem, quod quis quantum potuit, fecerit, ut corpus alterius læderetur, licet illæsum remanserit; unde pœna hujus criminis est condemnandus, qui sclopum in adversarium exoneravit, licet is læsus non fuerit (*a*).

6. Quæri hic solet, an ad committendum crimen fractæ pacis, ejusque pœnas incurrendas, necesse sit pacem, vel cautionem de non offendendo scriptam fuisse? Quam controversiam alii affirmative resolvunt existimantes, quod si pax, vel cautio de non offendendo verbis vel signis, sed sine scriptura præstita fuerit, pœnæ fractæ pacis locum non habeant; ut docent plures apud Raynald. (*b*), qui sententiam quoque eorum recenset, qui *negativam* tuentur, affirmantque crimen fractæ pacis incurri, & ordinaria pœna puniri, si pax verbis, tactu manuum, osculo, alioque quovis signo data violetur, & hæc sententia in praxi recipitur, & in Bannimentis generalibus pro Statu Ecclesiastico servatur.

7. Crimen autem fractæ pacis merito gravissimis pœnis a jure punitur, nempe ultimo supplicio, & bonorum confiscatione (*c*), quas pœnas etiam incurrunt attentis Bannimentis Status Ecclesiastici ætate minores, dummodo 20 annos excesserint; &, si reus utpote contumax, & fugitivus puniri non valeat, effigies ejus depicta capite verso cum descriptione nominis, & patriæ damnatur. Insuper Laici de jure Canonico, si hujus criminis Rei fuerint, excommunicantur, Clerici vero omnibus beneficiis, & officiis privantur (*d*); nec Reo suffragabitur, quod extra territorium Judicis, coram quo pax inita erat, eadem violetur, aut quod fides de non offendendo data non fuerit personæ offensæ, aut

(a) *Raynald. tom. 1. cap. 8. §. 1. num. 59.* (b) *Tom. 1. cap. 8. num. 16.* (c) *Cap. 1. de pace tenenda in usibus feudorum.* (d) *Can. illi 24. q. 3. & cap. 1. de tregua, & pace.*

aut ejus procuratori, ſed dumtaxat Officiali Principis, prout fieri ſolet in Urbis carceribus, in quibus antequam vinculis detenti liberentur, Duci ſatellitum promittere ſolent, ſe aliquam perſonam non offenſuros, quæ promiſſio vulgo dicitur *la Fede del Capitano*, quia, ut diximus, Duci ſatellitum datur. Hæc inquam Reo minime proſunt, adhuc enim Reus fracta pace, hujus criminis pœnas incurrit. Imo ſi cautioni de non offendendo obligatio ſolvendi pœnam pecuniariam in caſu contraventionis addita fuerit, fractor pacis, vel hæres ejus, vel fidejuſſor hac pœna pecuniaria tenebitur Cameræ Apoſtolicæ, juxta Conſtitutiones Pontificias, & Bannimenta Status applicanda.

8. Unice excuſantur, qui pacem violaverint, ſi ex cauſa ſupervenientis inimicitiæ offenſio ſequatur, quo caſu proprie pax frangi non dicitur, cum ſemper hanc conditionem adnexam habere videatur, ſi nempe res in eodem ſtatu permaneat; cauſa autem non debet eſſe affectata, ſed gravis, & quæ iracundiam ita provocaverit, ut ſtatim, & calore iracundiæ durante ad offendendum adegerit, qualis in dubio extitiſſe præſumitur, præſertim ſi quis longo tempore poſt datam pacem alium offenderit; multoque magis pœnas hujus criminis evitabit, qui ad ſui defenſionem, vel provocatus ab altero illum offenderit, quia, ut fert vulgatum proloquium, frangenti fidem fides frangatur eidem (a).

9. Poſtremo notandum, neminem poſſe per minas, & violentias pacem vel cautionem de non offendendo a parte offenſa extorquere, quod facere tentantes tanquam rei læſæ Majeſtatis, & rebellionis in Statu Eccleſiaſtico puniuntur, juxta Conſtitutionem 13. *Innocentii VIII.* per *Clementem VII.* ampliatam. His autem pœnis non afficiuntur Judices, Parochi, & Confeſſarii, qui rigidis allocutionibus, Sacramentorum denega-

(a) *Lott Reynald. d. cap. 8. §. 3.*

negatione, aliisque modis ad faciendam pacem renuentes impellerent, qui licet fortasse in aliquo casu imprudenter se gerant, nequeunt tamen pœnis contra extorquentes pacem statutis condemnari.

10. Tertio loco inter delicta innominata, quæ Rempublicam humanæque vitæ societatem principaliter lædunt, ludi numerantur, ex quibus profecto blasphemiæ, rixæ, patrimonii dissipatio, aliaque innumera pene scelera consequuutur, quorum remotio Reipublicæ maxime interest, ut notant *Scaccia* (a), *Card. de Luc.*(b), *Far.* (c), aliique. Ludus autem a *Nicol.* (d) definitus: *conditionalis contractus, quo ludentes res suas exponunt, ut rem alterius lucrentur*, in tres classes dividitur. Alius est enim ludus ingenii, vel corporis, ut sunt ludus scaccorum, & follis, vel pilæ, quorum alter in industria ingenii, alter vero in corporis exercitatione consistit. Alius est ludus meræ fortunæ, cujusmodi sunt ludus taxillorum, & alearum, *la Bassetta*, *e il Faraone* italice dicti, qui merè a fortuna dependent. Alius demum est ludus, qui partim ingenio, partim fortuna miscetur, ideoque ludi mixti communiter appellantur, cujusmodi sunt ludi *dell' Ombre*, *del Tresette*, aliique similes.

11. Porro cùm abusus, & scelera, quæ supra innuimus, regulariter a ludis in secundo, & tertio genere, non autem in primo proficiscantur, merito hinc ludi in mera fortuna, vel partim in fortuna positi, partimque in ingenio, a jure damnantur, ut constat ex *l.* 1. *ff. de alear. usu*, *L. alearum cod. de relig. & sumptibus funerum*, ubi Imperator prohibuit etiam dictis ludis adsistere. Quamvis autem certa pœna corporalis contra ludentes istis ludis a jure non imponatur, extraordinaria tamen inspectis circumstantiis erunt damnandi.

In

(a) *De commercio* §. 1. *q.* 1. *n.* 85. (b) *In praxi criminali verbo Gioco*. (c) *Quæst.* 109. *aliique communiter*. (d) *In Flosculis verbo Ludus*.

In Statu Ecclesiastico ex capite 8. Bannimentorum ludentes aleis, vel taxillis, pecunias, omnesque res in loco & actu ludi penes ipsos repertas amittunt, & pœnam trium ictuum funis etiam ad spectatores extendibili coercentur (*a*). Præterea in judicio civili istis lusoribus actio contra debitores pro hac causa negatur (*b*). Mutuantes pecuniam ad ludendum eam repetere nequeunt, & solutum tanquam indebite datum repeti potest (*c*); immo de jure canonico Laici lusores, si moniti non resipiscant, excommunicantur, Clerici vero insordescentes possunt deponi, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum condemnari (*d*).

12. Ludi autem in mero ingenio, vel exercitatione corporis consistentes non solum non prohibentur, verum etiam adeo laudantur, ut valeat Legatum pro eorum exercitio relictum (*e*), solumque in certis locis, & temporibus exerceri vetantur, v.g. ante fores Ecclesiæ, vel prope illam, dum Divina Officia celebrantur, ne ex ludentium clamoribus eadem Officia interrumpantur, vel etiam in viis publicis, ne transeuntes ex pilis, vel follibus damnum patiantur (*f*). Quinimo tam Laicis, quam Clericis aliquando ludus alearum permittitur, si non ratione quæstus, sed recreationis causa exerceatur, ut late advertit *de Zaul.* (*g*), qui quando tales ludi licite, vel illicite fiant, diligenter expendit. Magis autem peccat, & gravius Reipublicæ præjudicium inferunt, qui domum cum scamnis, luminibus, aliisque commodis retinent, ut in eis ludentes recipiant, qui *baratteriam* tenere dicuntur. Horum sane, si propria sit domus, a jure civili publicari mandatur (*h*). Insuper, si injuriis, vel verberibus ex causa ludi,

(a) *Raynald. tom. 3. cap. 30. §. 2.* (b) *Cit. leg. alearum.* (c) *Ibidem.* (d) *Trident. sess. 22. cap. 1., & sess. 24. cap. 12. de reformat.* (e) *L. civitatis ff. de legatis primo.* (f) *L. item malam ff. ad Legem Aquiliam.* (g) *Ad statutum Favent. rub. 42. lib. 4.* (h) *Cit. l. alearum.*

ludi, five in loco, five extra locum, ubi ludus exercetur, fuerint affecti, adverfus injuriantem, vel verberantem agere non poffunt (*a*); eædemque pœnæ in Bannimentis generalibus confirmantur, & pœna triremium ad quinquennium adjicitur; Fœminæ vero extraordinarie puniuntur. Requiritur tamen, ut per modum negocii, feu quæftus gratia delinquatur; ideoque, fi gratis, intuitu amicitiæ, nulloque emolumento percepto, domus ad ludendum detineatur, prædicta pœna locum non habet (*b*).

13. Dubitatur, an fcommiffæ, quæ fpecies ludorum reputantur, itemque an ludi vulgo dicti *Riffæ*, & *Lotti*, fub nomine illicitorum ludorum comprehendantur; quod porro pertinet ad fcommiffas, feu fponfiones, per quas duo pluresve de veritate vel eventu alicujus rei five de præfenti, five de præterito, five de futuro contendentes fibi viciffim aliquid fpondent, ut ejus fit qui veritatem affequatur, prout eas defcribit *Filiuccius* (*c*); quod pertinet, inquam, ad iftas fponfiones, certiffimum eft penes omnes, eas licite fieri ad inftar aliorum contractuum, qui non prohibentur, dummodo tamen conditiones iftæ concurrant, nempe, quod uterque ex fpondentibus fit æque dubius de re, quæ in quæftionem revocatur, quod in æquali incertitudine æqualis res fpondeatur, quod uterque de eo, fuper quo fit contentio, fit bene inftructus, itaut unus affirmet, alter autem in fenfu contradictorio, fcilicet accipiendo propofitionem in fenfu affirmantis, eam impugnet, & demum, quod fponfio (quod eft requifitum aliis contractibus æque commune) fuper re licita fiat (*d*).

14. Porro, fi aliqua ex conditionibus enunciatis fcommiffis, feu fponfionibus defit, nullum effectum in judicio civili fortiuntur, licet fpondentes in crimi-

(a) *L.1. ff. de alearum ufu.* (b) *Rayn. tom.3. cap.30. num.3.*
(c) *Tract.37. operum moralium cap.2.* (d) *Filiucc. loc. cit. aliique communiter.*

nali foro nulla pœna afficiantur. Non ita tamen procedit in sponsionibus circa mortem, & vitam Romanorum Pontificum, vel Cardinalium creationem, quæ per Constitutiones Apostolicas *Pii IV.*, & *Gregorii XIII.* sub gravibus pœnis improbantur, nempe sub pœna nullitatis contractuum etiam in foro conscientiæ; itaut quidquid perceptum fuerit, retineri non valeat, sed debeat locis piis applicari; necnon sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, & quoad Ecclesiasticos sub pœna privationis omnium beneficiorum, & inhabilitationis alia consequendi; quas pœnas etiam incurrunt, qui tales sponsiones fieri permiserint, vel consilium, auxilium, aut favorem quomodocumque præstiterint, ut notat *Cardinalis de Luca* (a).

15. Circa Riffas tandem, & Lottos est advertendum, quod ex propria natura licite celebrantur, quia sive per eos certa res pretio æstimata, sive res incerta acquiratur, contractus emptionis iniri videtur, quo oblato pretio res comparatur (b). Nihilominus merito in Urbe, & Statu Ecclesiastico prohibentur, & sine necessariis permissionibus fieri nequeunt ratione detrimenti, quod subeunt, qui lucri cupiditate allecti patrimonium depauperant. Utrum autem lotti extractionum, quæ Januæ, Neapoli, Venetiis, & nunc etiam in Urbe peraguntur, illicite fiant, necne? varie in puncto juris a Doctoribus disceptatur. *Scaccia* (c), *Card. de Luca* (d), aliique inter ludos licitos, & honestos illos enumerant. Contra vero plures sunt graves etiam Auctores contrarium sentientes, pluraque extant in hanc rem fundamenta, quæ erudite super hoc puncto congessit bo. me. Advocatus *Ercoli* in sua dissert. typis impressa, quam *Benedicto XIII. anno* 1728. nuncupavit. Nobis autem superfluum est in hac controversia diutius immo-

(a) *Disc. 47. de alienat.* (b) *L. 8. ff. de contrahenda emptione.* (c) *De Commerc. tit. 1. q. 1. n. 2. & seq.* (d) *De Regalibus discurs. 30. n. 11.*

immorari, cùm ex Summi Pontificis indulto ad avertenda saltem majora mala, quæ tali ludo prohibito (ut asserunt) sequebantur, toleratum plane & permissum videamus. Nunc de delictis carnis, quæ mixti fori pariter sunt, opportune disserendum,

TITULUS XXI.

De delictis Carnis.

PRincipem sane locum sibi adsciscunt inter Carnis delicta Raptus, & Stuprum violentum. Raptus, de quo tractatur *in l. unic. & toto tit. Cod. de raptu Virginum, & Viduarum*, proprie describitur; *Violenta Mulieris honestæ, & invitæ de loco ad locum abductio, resistentibus ejusdem Parentibus, vel illis, sub quorum cura est, animo eam carnaliter cognoscendi* (a); dicitur *violenta abductio*, nomine autem violentiæ intelliguntur etiam blanditiæ, importunæ suasiones, aliæque callidæ artes, quæ relate ad mulieres coactioni æquipollent (b). Dicitur *mulieris*, quia sub hoc nomine tam virgines, quam nuptæ, tam sponsæ, quam viduæ comprehenduntur (c); additur *honestæ* ad excludendas publicas meretrices, circa quas proprie raptus non cadit, & earum Raptores extraordinaria pœna puniuntur (d). Dicitur *animo eam carnaliter cognoscendi*; nam raptus non dicitur, ubi copula deficit, aut saltem intentio eam perpetrandi, ut advertit *Farinacc.* (e), qui tamen notat cum communiori DD., quod si raptor sponte se a carnali cognitione mulieris abstinuerit, pœna ordinaria Raptus puniri non debeat, licet contrarium servandum sit, si ex alio titulo eam non cognoverit, quia scilicet ab alio impeditus, vel ex alia causa id perpetrare nequiverit,

(a) *Rayn. tom. 2. cap. 12.* (b) *L. 1. §. persuadere ff. de servo corrupto, & l. unica Cod. de raptu Virg.* (c) *Ex cit. l. 1.* (d) *Decian. lib. 8. cap. 7. n. 9.* (e) *Quæst. 145. n. 196.*

2. Contra hujus porro criminis Reos utroque jure pœnæ ſtatuuntur. Jure Canonico pœna excommunicationis tam contra Raptores, quam contra illos, qui conſilium, vel auxilium quomodolibet præſtiterint, ipſo jure incurrenda diſponitur (*a*). Inſuper omnes iſti perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces declarantur. Raptor vero ſive raptam in uxorem duxerit, ſive non, debet eam decenter dotare, & ſi Clericus fuerit eſt deponendus (*b*). Jure autem Civili pœna mortis naturalis imponitur, Raptoris bona raptis mulieribus applicantur, nec unquam inter raptorem, & raptam matrimonium ſuſtinetur (*c*).

3. Verum de Jure Canonico matrimonium inter raptorem, & raptam validum eſſe decernitur (*d*), ſi mulier rapta in loco tuto poſita, atque a raptore ſeparata matrimonio conſenſerit. Præſertim ſi non ſimplex tractatus, ſed ſponſalia per verba de futuro, multoque magis ſi per verba de præſenti præceſſerint, Mulier autem non invita, ſed volens, fuerit abducta, quo quidem caſu, conſtito, quod nec blanditiis nec minis conſenſus ejuſdem tam circa ſponſalia, quam circa raptum fuerit extortus, matrimonium rite celebratur, nec diſpoſitio citatæ *l. unicæ Cod. de raptu virginum* ullomodo procedit, quamvis reclamantibus parentibus, vel illis, ſub quorum cura mulier exiſtit, matrimonium celebretur (*e*).

4. Raptui affine eſt ſtuprum violentum in eo conſiſtens, quod in perſonam pueri, virginis, aut viduæ honeſtæ cum armis & violenter ſtuprum committatur. Dixi *boneſtæ*, communiter enim docent, quod mulieres publice inhoneſtas cum armis, & violenter cognoſcentes extraordinarie puniuntur, honeſtas autem ſtuprantes, etiam ultimo ſupplicio pro qualitate violentiæ condemna-

(a) *Trid. ſeſſ.24. de reform. cap.6.* (b) *Trid. loc.cit. Farinacc. pariter loc.cit.* (c) *Cit. l. unica.* (d) *In cap.cum cauſam, de Rapterib. & ex Trid. loc. cit.* (e) *Ex cit. Juribus.*

demnantur, dummodo vis illata perſpicue conſtet, & quod in mulierem prorſus invitam ſtuprum fuerit perpetratum (*a*).

5. Quoniam vero raptui, & ſtupro violento alia etiam delicta Doctores addere ſolent in peculiari Titulo, qui *de delictis carnis* inſcribitur, ibique delicta carnis ad iſtas ſpecies reducunt, nimirum *ad ſtuprum ſine violentia commiſſum, ad adulterium, inceſtum, ſimplicem fornicationem, concubinatum, & delicta carnis, quæ contra naturam committuntur*; hæc omnia hic breviter attingemus, a ſtupro ſine violentia exordium petentes.

6. Igitur pro ſtupro ſine violentia commiſſo, quamvis de jure civili antiquo pœna mortis ſtatueretur, ut probat *Textus in l.* 4. §. *fin. ff. de extraordin. crim.* temperato tamen poſteriori jure tanto rigore, pœna ſtatuitur ſolutionis dotis arbitrio Judicis etiam ab hæredibus ſtupratoris præſtandæ, ſi ſtuprator eam in uxorem ducere recuſaverit (*b*); Niſi tamen cum Moniali patretur, quo caſu ſtuprum paſſa in carcerem intra monaſterium eſt detrudenda, reus autem ultra excommunicationis pœnam poteſt ultimo ſupplicio damnari (*c*). Imo etiam ſi puella ſponte ſtupro conſentiat, eſt omnino punienda, ut poſt *text. in l.1. cod. Theodoſ. De rapt. virg.* docent interpretes ibi, & proſequitur Carpzov. (*d*).

7. Neque eſt prætereundum, in aliquibus circumſtantiis pœnam ſtupri eſſe a Judice plurimum augendam, ut ſi famulus dominam, tutor pupillam, vaſſallus dominam viduam ſtupraret, vel ſi mentecapta, frenetica, ebria forſan ſtupraretur, vel ſi cuſtos carcerum fœminam ibi detentam corrumperet, vel demum ſi Clericus temerario auſu cum filia ſpirituali jungere-

(a) *§. Sin autem Inſtit. de publ. Jud., Farinacc. q.* 147., *Decian. lib.* 8. *cap.* 15. (b) *Cap.* 1. *&* 2. *de adult. & ſtupro.* (c) *Farinacc. quæſt.* 145. (d) *Quæſt.* 69. *n.* 57.

geretur, in quibus omnibus casibus posset pœna stupri usque ad triremes extendi, ut notat Raynald. (*a*); imo vigore edicti Clementis XII. editi die 13. Septembris 1736. quod refert per extensum cit. Bassanus (*b*), in Urbe contra stuprantes in genere pœna usque ad triremes extendibilis statuta est, licet hujusmodi edictum raro, aut nunquam servetur.

8. Adulterium definitur *alieni Thori violatio* (*c*); & vel a conjugato cum conjugata, vel a conjugato cum soluta, vel a soluto cum conjugata committitur (*d*). Adulteri de jure divino in Levitico, & Deuteronomio lapidibus obruti mortem subire cogebantur; imo etiam de jure civili tam mulieri, quam viro pœna mortis imponitur (*e*), quæ tamen jure novissimo (*f*), quoad mulieres correcta est, statutumque, ut illæ verberatæ in monasterium detrudantur. De jure vero Canonico adulteri Laici excommunicantur, & exilio, pœnis pecuniariis, aliisque arbitrariis puniuntur (*g*); Clerici autem ultra pœnas enunciatas deponuntur; & fœminæ detrusione in monasterium coercentur (*h*).

9. Incestus dicitur *carnalis conjunctio inter eos, qui consanguinitate, vel affinitate naturali adstringuntur.* Inter alios autem, qui affinitate, vel cognatione spirituali, aut legali cohærent, ut sunt patrini, itemque adoptantes, & adoptati, crimen incestus improprie, & abusive committitur (*i*). Distinguere vero oportet, an incestuosus sit laicus, vel Clericus, an cum figura matrimonii, vel sine matrimonio incestus committatur. Pœna enim incestus cum matrimonio conjuncti

(a) *Observ. crimin. tom. 2. cap. 23. n. 32. & seq.* (b) *In Theorico pract. crim. lib. 1. cap. 15.* (c) *L. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* (d) *Cap. intelleximus, de adult. cum aliis.* (e) *In l. quamvis Cod. ad l. Jul. de adult.* (f) *In authent. sed hodie Cod. eod. tit.* (g) *Cap. intelleximus, de adult.* (h) *Can. Si quis Clericus cum aliis dist. 81.* (i) *Farinacc. quæst. 149.*

juncti de jure civili est exilium, infamia, & omnium bonorum confiscatio, præter nullitatem matrimonii, quod incestuosum vocatur (*a*); De jure vero Canonico incestuosas nuptias contrahentes ipso jure excommunicantur (*b*). Si tamen sine figura matrimonii incestus patretur, pœna juris Canonici est quoad Laicos excommunicatio, & infamia, quoad Clericos depositio, & omnium beneficiorum privatio, etiamsi incestus cum persona affinitate tantum spirituali conjuncta fuerit commissus (*c*). Jure autem civili incestus cum adulterio conjunctus ultimo supplicio punitur (*d*); Eodemque modo coercetur, si cum persona Deo dicata, & inter ascendentes, & descendentes committatur (*e*). Inter alios autem consanguineos, vel affines pro qualitate delicti arbitraria pœna a Judicibus irrogatur, ut notat Farinac. *quæst.*149. ubi advertit, per constit.54. Sixti V. pœnam mortis naturalis contra incestuosos primi gradus indictam fuisse, licet aliqui censeant, pœnam hanc in terris tantum Ecclesiæ locum habere, alii vero prorsus abrogatam esse, & in desuetudinem abiisse contendant.

10. Simplex fornicatio a fornicibus, seu locis occultis dicta, quia in istis meretrices habitare consueverunt, definitur: *Viri soluti cum muliere soluta carnalis conjunctio*; Mulier autem vel vir solutus vocatur, qui liber est a quocumque vinculo consanguinitatis, affinitatis, vel voti, alterutro quorum concurrente, luxuria speciem immutat, quæ in Sacramentali confessione exprimi debet (*f*).

11. Quamvis autem dubitari nequeat, fornicationem Jure Divino vetitam esse, & hæreticum sit asserere, pecca-

(a) *Auth. incestas nuptias Cod. de incestuos. nupt.* (b) *Clement. eos, de consang. & affinit.* (c) *Pignatel. consult. cap.116. tom.1.* (d) *L. Quamvis Cod. ad l. Jul. de adulter.* (e) *L. Si quis in hoc genus cod. de Episc. & Cleric.* (f) *S. Thomas in 4. dist.41. & 61. Trid. sess.14. cap.5.*

peccatum grave per eam non committi, ut declaravit Ven. Innocentius XI. propositione 48. ab ipso proscripta, idemque literaliter dixit Apostolus (*a*): *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt*: Tamen Laicus hujus criminis Reus de jure civili non punitur, nisi in aliquibus circumstantiis v.g. si custos carceris mulierem carceribus detentam libidinose cognoscat, vel si cum Turca, aut Judæa quis conjungatur (*b*), quemadmodum supra de stupro agentes animadvertimus. Imo etiam de jure Canonico fornicatio simplex in Laicis toleratur, ne majora mala sequantur, qua ratione etiam meretrices tolerari consueverunt, prout late ostendit Migliorucci (*c*), & eleganter notat S. Augustinus (*d*): *Tolle meretrices*, inquiens, *& mundum libidinibus conturbabis*. Cæterum Clerici fornicarii etiam pro prima vice pœna carceris, aliisque arbitrariis puniuntur (*e*).

12. Si vero inter solutum, & solutam carnalis consuetudo intercedat, concubinatus vocatur; Concubinarius enim dicitur, *qui cum certa aliqua fæmina sive soluta, sive conjugata, sive intra, sive extra domum assiduam libidinem exercet*, ut notat Surdus (*f*), qui etiam advertit, quod licet de jure civili antiquo concubinatus permitteretur, quædam tamen debebant requisita concurrere, & signanter quod non propter solam voluptatem, sed gignendæ prolis gratia quis cum soluta cohabitaret (*g*). Quæ tamen dispositio fuit deinde novissimo jure sublata *in §. unico de Lenonibus* (*h*), ubi concubinatus severe intedicitur; prout etiam licet apud Hebræos concubinæ tolerarentur, ut procrea-

(a) *Ad Galatas 3.* (b) *Farinacc. q. 139.* (c) *Instit. Canon. lib. 4. tit. 9. dissert. 2.* (d) *Lib. 2. de Ordine.* (e) *Anacletus lib. 5. Decretal. tit. 16. §. 3. Bellettus de pœnis Clericor. §. 2. n. 4.* (f) *De alimentis tit. 1. quæst. 9.* (g) *Ad text. in §. Consideremus, auth. de triente, & semisse, & §. Si quis autem, quibus modis efficiantur sui.* (h) *Cujac. lib. 5. observat. cap. 6.*

procreationi liberorum incumberent, ut docet S. Augustinus (*a*); cessante tamen lege Mosaica, & sine liberos procreandi, etiam tolerantia isthæc abolita fuit, ut solide probat S. Hieron. (*b*), & late ostendit Gonzalez (*c*).

13. Jure hinc Canonico tam laicis, quam Clericis concubinatus prohibetur, ut definivit Tridentinum (*a*). Laicus enim concubinarius arbitrarie punitur, & si post trinam monitionem in concubinatu permanserit, excommunicatur; Clerici vero gravioribus pœnis arbitrariis, quam Laici coercentur, & si post primam monitionem non paruerint, tertia parte fructuum omnium beneficiorum locis piis applicandorum privantur: si post secundam monitionem in delicto persistant, omnibus fructibus beneficiorum spoliantur, atque ab administratione beneficiorum suspenduntur: & si indurati adhuc permaneant, ipsis beneficiis privantur, atque ad alia obtinenda redduntur inhabiles; quod si beneficiis nullatenus gaudeant, carceratione, suspensione, aliisque pœnis juxta gravitatem criminis condemnantur (*e*).

14. Insuper contra mulieres concubinas, sive conjugatas, sive solutas, si monitioni non pareant, pœna exilii a loco, vel diœcesi, aliaque arbitraria a proprio Judice imponitur, cum hoc discrimine, quod contra concubinas laicorum uterque Judex, nempe aut Laicus, aut Ecclesiasticus potest procedere, sed concubinæ Clericorum ratione connexionis, quam habent cum Clerico, a solo Judice Ecclesiastico possunt puniri, ut advertit Fagnanus (*f*), qui etiam notat (*g*), quod generaliter loquendo tam mulieres, quam quicumque alius hujus criminis reus, sive Cle-

(a) *Lib. 3. de doctr. Christ. cap. 12.* (b) *In epist. ad Oceanum.*
(c) *In 3. Decretalium cap. Clericos 3. de cohabitat. Cleric. & mulier. num. 8.* (d) *Sess. 24. cap. 8. de reform.* (e) *Trid. cap. 14. sess. 25. de reform.* (f) *In cap. perniciosum, de off. Ord.* (g) *Ex cap. sacris, de sepult.*

ricus, sive Laicus existat, sepultura Ecclesiastica gaudere non debeat, & quatenus in Ecclesia sepultus fuerit, inde est exhumandus, si absque Sacramentali confessione, nulloque signo pœnitentiæ dato, ex hac vita decesserit.

15. Agunt ulterius DD. de Osculis, quæ inter carnis delicta pariter numerantur, si luxuriose præbeantur: de Polygamia, seu plurium nuptiarum constante primo matrimonio celebratione: de Lenocinio, cujus nomine intelligitur cooperatio exercita alienæ libidini quæstus gratia, & ad lucrum comparandum; de Sacrilegio carnali, nec non de delictis contra naturam, seu de Sodomia, & brutalitate, quæ juxta Theologorum doctrinam quolibet peccato mortali graviora censentur. Quamquam vero personarum conditio, ad quas Institutiones istæ præcipue diriguntur, in his materiis plus æquo immorari non patiatur; præsertim quia maxime dedecet in hoc rerum genere esse eloquentem, ut dicitur *in Can. in eo* 23. *q.* 3. unde Catechismus Concilii Tridentini (*a*) silentio supprimendum esse monet, quibus modis homines circa delicta carnis delinquant, ne excitandæ libidinis occasio, & materia tribuatur; Ne tamen, qui has Institutiones sunt excepturi, in materia horum criminum, quæ utinam nimis obvia, & usitata non forent, sint omnino jejuni, eadem quoque, quæ nuper nominavimus, crimina exponemus.

16. Oscula igitur, quæ luxuriose præbentur, inter delicta carnis adscribuntur, & gravissimis pœnis damnantur, ut notat inter alios Raynaldus (*b*). Imo ex Bannimentis Status Ecclesiastici cap. 7. si osculum, vel amplexus ad impediendum matrimonium cum alio, vel ad alliciendum cum se ipso porrigatur, pœna capitali punitur, quin minor etiam ætas excuset, ut advertit

(a) *Part. 1. de 6. præcepto Decalogi num. 2.* (b) *Observ. crim. cap. 11. §. 6. per tot.*

vertit Cardinalis de Luca (*a*). Quod tamen intelligitur, si de dissensu mulieris, & violentia osculantis constiterit, alias enim nulla pœna statuitur ex Bonfinio (*b*), qui quinque hujus legis limitationes apponit, quibus animadversis merito concluditur, arbitrariam esse osculi pœnam, ut notarunt Clarus (*c*), idemque Bonfinius (*d*).

17. Gravissimum quoque crimen est Polygamia, seu pluralitas virorum, aut uxorum simul viventium, quæ, ut alibi innuimus, nedum jure civili, & canonico, sed jure etiam divino interdicitur, unde hujus criminis reus a Tribunali Sanctæ Inquisitionis privative punitur, ut firmat Carena (*e*). Ut autem eadem Inquisitio in crimine polygamiæ sive veræ, & perfectæ, cum quis duas fœminas in uxores assumit, vel e converso, sive attentatæ, & imperfectæ, cum quis assumere tentat, atque disponit, sive similitudinariæ, & interpretativæ, cum constitutus in Sacris, vel solemniter professus matrimonium inire præsumit, vel uxoratus ad Sacros Ordines ascendere audet; Ut, inquam, eadem Inquisitio ad capturam procedat, tria extrema debent in prima, & secunda specie polygamiæ certo constare, nempe primum matrimonium, superviventia conjugis, & alterum matrimonium sive perfectum, sive attentatum, prout etiam de religiosa professione, vel Ordine Sacro recepto, si de polygamia similitudinaria tractetur, ut advertit citatus Carena (*f*).

18. Lenocinium itidem non est prætereundum, quod est *cooperatio*, ut diximus, *alienæ libidini quæstus gratia* (*g*). Ut autem hoc crimen agatur, quatuor requiruntur, quæ refert Raynaldus (*h*), quod nempe lu-

(a) *In prax. crim. verbo Bacio forzato.* (b) *Ad Bann. tom.1. cap.7. n.5. & seq.* (c) *Pract. crim. q.83. n.6.* (d) *Ibid. c.7. per tot.*
(e) *De off. S. Inquisit. p.2. tit.5. §.1. per tot.* (f) *Loc. cit.* (g) *L. palam §. Lenocinium, vers. lenas autem ff. de ritu nupt. cum aliis juribus.* (h) *Observ. crim. tom.3. cap.27. §.1. num.9. & seq.*

crum non sit modicum, & ex pacto præfigatur, quod sequatur effectus, quod iteratis, & saltem binis vicibus committatur, & demum, quod virgo, aut fœmina honesta sit prostituta. Idem vero Raynaldus (a) pœnas ejusdem criminis amplissime refert.

19. Subsequitur sacrilegium carnale, quod definitur: *Carnalis copula cum persona Deo sacra*, v.g. *cum Moniali commissa*. Quamvis autem, ut supra notavimus, in casu hujus criminis stuprum passa in carcerem intra Monasterium sit detrudenda, Reus autem ultra excommunicationis sententiam possit ultimo supplicio damnari: In praxi tamen, si reus Laicus sit, excommunicatur, Clericus vero beneficiis privatus, & ab Ordine depositus ad perpetuos carceres mittitur (b).

20. Postremo delicta contra naturam forent explicanda, nimirum crimina sodomiæ, & brutalitatis, quorum primum est coitus carnalis, non servata debita sexus diversitate, & a Sodoma civitate nomen sortitur, quæ ob nefandum hoc vitium igne cœlitus delapso fuit absumpta, cujus pœnæ exemplo hujus criminis Rei, merito ex utriusque Juris censura, & Apostolicis Constitut., præsertim S. Pii V. incip. *Horrendum* 3. Kal. Septembris 1568. morte coercentur. Alterum vero brutalitatis, quod pari pœna punitur, est coitus cum brutis. Verum quia adeo fœtida ista sunt, ut ipse diabolus fugiat cum perpetrantur, ut inquit Ceval. (c), & muta idcirco dicuntur, ut mutos homines reddere debeant, ut observat Cohel. (d); ideo ab eorum ulteriori examine ultro abstinemus, & ad Raynaldum (e), Rault. (f), Bassanum (g), aliosque, Juris criminalis studio-

(a) *Loc. cit.* (b) *Menoch. de arbitr. Judic. cas. 189. num. 24.*
(c) *Commun. contra commun. quæst. 247. n. 8.* (d) *In bull. boni regimin. cap. 14. n. 13.* (e) *Tom. 2. cap. 21. per tot.* (f) *Ad Statut. Favent. tom. 1. lib. 4. rubrica 23.* (g) *In Theorico prax. crimin. lib. 1. cap. 17.*

studiosos pro occurrentibus casibus remittendos judicamus.

21. Nemo tamen crediderit, per crimina hactenus exposita *dumtaxat* in periculoso hoc rerum genere posse delinqui. Etsi enim in expositis tantum casibus forum externum, & Tribunalia procedant, si tamen luxuria imperfecte patretur, seu ad actum externum non redigatur, nec extrinsecus pateat, adhuc gravissimum peccatum est, & Deum Judicem habet. Ad eamque classem rediguntur delectatio morosa, impudici aspectus, obscœna verba, aliaque hujusmodi, quæ videri possunt apud Mendo (a), P. Viva (b), aliosque Moralistas. Quamobrem nemo non videt, quam caute cogitare, sentire, & agere oporteat, ut cuivis aditus luxuriæ præcludatur, cujus species a supremo Judice etiam pœnis temporalibus punitas fuisse ex sacris paginis compertum undique habemus, in quibus legimus, Onau repentina morte peremptum, igne Sodomorum urbes absumptas, aquis diluvii universam carnem deletam; & nostris quoque temporibus, bella, terræmotus, pestes, familiarum eversiones, aliaque divina supplicia exoriuntur. Id vero nedum Christiano cuivis homini maxime convenit accuratissime præcavere, cujus nedum anima, verum etiam corpus per Baptismi lavacrum Christo est consecratum, ejusque caro Christi carnibus in Eucharistia est passim refecta, unde nimis dedecet per hujus sceleris speciem, quomodocumque fœdari; Verum multo magis est affirmandum de iis, qui in sacris sunt constituti, vel quomodolibet ad Sanctuarium adspirant. Scimus enim, castitatem adeo apud Gentiles in pretio fuisse, ut Sacerdotibus ad sacra accessuris omnia, quæ eamdem lædere possent, prohiberentur, ut notarunt inter alios Espenc. (c), Silvius Cla-

(a) *Disp. 5. num. 4.* (b) *In proposit. 40. proscripta ab Alexandro VII.* (c) *De contin. lib. 2. cap. 11.*

Clarus (*a*), aliique; unde Seneca (*b*); *Indignum*, inquit, *te Sacerdotio dicerem, si transires per lupanar.* Indeque intelligitur, multo rationabilius a ministris Ecclesiæ, qui non vanis, & superstitiosis ritibus vacant, ut Sacerdotes Gentilium, sed vera solidaque Religione divino cultui mancipantur, castitatem fore servandam, ut fusius advertimus in Institutionibus Canonicis (*c*), ubi amplissime de cœlibatu tractavimus; nunc de Usuris agere oportet, ut nihil tractatui criminum, quæ mixti Fori sunt, desiderandum supersit.

TITULUS XXII. ET ULTIMUS.

De Crimine Usurarum.

Quamvis variis modis a Doctoribus Usura definiatur, ut erudite notat in hunc titulum Miglioruc-ci (*d*); in eo tamen omnes indistincte conveniunt, quod usura sit *lucrum ultra sortem ex mutuo, vel mutui causa perceptum* (*e*), quod quidem ab omni jure, naturali, Gentium, divino, canonico, & civili interdicitur, atque improbatur. Jure quidem *naturali*, quia jus naturale non patitur, ut ex re infructifera, cujus generis est pecunia, fructus percipiatur, ut notat Cajus (*f*); disertius vero Aristoteles *lib. 1. Politicor. cap. 7.* ibi: *Optima ratione omnibus odio est ars fœneratrix, quod ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est, usurpetur; permutationis enim gratia institutus est, fœnus autem nummum auget & multiplicat. Quamobrem hæc quærendæ pecuniæ ratio maxime abhorret a natura.* Jure insuper *gentium*, quia penes cultiores gentes hæc lucri species exitialis semper Reipublicæ fuit judicata, ut

(a) *Lib. 1. de legib. c. 1. & 2.* (b) *De clementia c. 1.* (c) *Lib. 2. in tit. de Sacramento ordinis* (d) *Differt. 2. Instit. canon. lib. 4.* (e) *Can. usura 14. quæst. 3.* (f) *L. 2. ff. de Usufr. earum rerum quæ usu consum.*

ut enumerando varias nationes ostendit supra indicatus Megliorucci (*a*). Jure itidem *divino* tum veteris Testamenti *Levit*.25. *Ezech*.18.,*& alibi*, tum Testamenti novi ex celebri textu Lucæ *cap*.6. *verf*.35. ibi: *Mutuum date nihil inde sperantes*: quæ quidem verba ad creditorem videntur esse directa, seu ad dantem pecunias, ideoque mutuatarium in necessitate constitutum ab usuræ crimine expertem declarant, ut fusè ostendit Gibalinus (*b*). Jure quoque *Canonico*, ut patet ex pluribus canonibus relatis in Decreto (*c*), aliisque textibus in Decretalibus & Clementinarum libris contentis in *titulo de usuris*. Jure demum *civili in l. improbum cod. ex quibus causis infamia irrogetur*, *& L. ut nullo modo* 28.*cod.hoc tit*. Quamvisque aliqui proferri soleant textus, in quibus usura videtur permissa, illi sane intelligendi sunt de usura compensatoria, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, de qua infra amplior sermo redibit, non vero de usura fœneratoria, quam nos usuræ nomine hic intelligimus.

2. Nomine verò lucri non simplex, & sola pecunia comprehenditur, sed æque usura committitur, sive pecunia, sive aliud quodcumque pretio æstimabile ultra sortem præbeatur, & quemadmodum munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio pro re spirituali, vel spirituali adnexa porrectum Simoniam constituit, ut in titulo *de Simonia* dicebamus: ita idem dicendum de crimine usuræ (*d*), unde usura est si aliquid Titio mutueris, ut tibi Titius obligationem remittat ei famam restituendi, vel ut abstineat ab actione injuriarum, quam contra te posset intentare, vel ut vicissim tibi debeat mutuari, aut officium aliquod conferre, vel ut quid simile faciat; eademque habenda est ratio de onere mutuatario injuncto aliquid pauperibus erogandi, Missas celebrare faciendi, & si quæcumque alia obligatio

(a) *Cap*.9. *art*.7. (b) *Lib*.1. *de usur. cap*.9. *art*.7. (c) *Causa* 14.*q*.3. (d) *Can.Salvator* 1. *q*.1. *can.plerique* 4. *q*.4.

gatio eidem imponatur, prout variis perpensis exemplis considerat Gibalinus (*a*), & firmat Angelicus doctor (*b*). Dixi *quæcumque obligatio Mutuatario imponatur*; Nam ad usuram requiritur, quod cum pacto sive expresso sive tacito, vel cum intentione aliquid temporale tanquam fructum pecuniæ percipiendi quidquam expectetur, ideoque si contractu jam absoluto, & consummato, nulla præcedente obligatione, sed sponte, & ex mera liberalitate aliquid mutuanti quis elargiatur, usura non erit (*c*).

3. Trita & exploratissima est divisio usuræ in mentalem, & realem. Mentalis est, in qua nullum pactum, nec tacitum, nec expressum intervenit, sed ea intentione, & voluntate mutuum alteri datur, ut lucrum ex illo tanquam debitum percipiatur; Realis autem est, cum præcedente expressa, vel tacita conventione realiter ex mutuo lucrum percipitur (*d*).

4. Altera divisio usuræ est in apertam, & palliatam. Aperta est, quæ in vero contractu mutui committitur; Palliata vero, cum in aliis contractibus a mutuo distinctis, sed eidem æquivalentibus lucrum ultra sortem intenditur, aut comparatur. Multas enim hominum avaritia subtilitates invenit, ut in fraudem legis usuras prohibentis lucrum ultra sortem acquireret; Hæ quidem ad tres communiter reducuntur. Prima scilicet *de re ad rem*, cum loco pecuniæ alia quævis res pretio æstimabilis comparatur, & hoc modo usuram committi jam affirmavimus. Secundo *de Persona ad Personam*, cum quis per alterius personam lucrum ex mutuo cohonestare contendit, & ista ratio ab usura minime excusat, ut decernitur in *can. sicut non suo dist. 46. & in cap. super eo, de usur.* Tertio *de contractu ad contractum*, cum unus contractus, qui justus est, simulatur, sub eo tamen quasi sub involucro mutuum continetur, in quibus circumstan-

(a) *De usuris lib. 1. cap. 8. art. 2.* (b) *2. 2. quæst. 78. art. 2.*
(c) *Cap. 1. & 2. de usuris.* (d) *Cap. consuluit, de usuris.*

ſtantiis nemo dubitat uſurarum crimen incurri, quod eò magis toti Reipublicæ eſt exitiale, quò magis fraudes ſimulantur (*a*).

5. Primo quidem uſura palliata ſeſe offert in contractu emptionis, & venditionis, ſub cujus pallio uſura committitur, ſi in venditione alicujus rei v. g. mercis pretium ſupra juſtum ex titulo dilatæ ſolutionis pretii a venditore exigatur, quæ quidem dilatio mutuo æquiparatur, quia ſpatium temporis ad ſolvendum concedere perinde eſt, ac pro eodem tempore pecuniam mutuari (*b*). Secundo conſiderari poteſt in Societate, ſi unus ex ſociis pecuniam alteri conferat ea lege, ut nullum ejus periculum ſubeat, quæ contrahendi ratio in Conſtitutione 45. *Xiſti V. incip. Deteſtabilis avaritiæ*, expreſſe damnatur, & a Jure civili in *l. ſi non fuerit ff. pro Socio*, *ſocietatis Leoninæ* nomen obtinuit. Inde tamen non improbatur contractus trinus communiter dictus, quia tres contractus complectitur, ſcilicet ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & aſſecurationis lucri, qui juxta communiorem ſententiam in praxi receptam expers eſt uſurariæ labis, ſi de moderato lucro, & proportionato periculo ſortis & fructuum fuerit conventum (*c*).

6. Præterea in commodato & depoſito uſura deliteſcit, ſi ex mora depoſitarii rem depoſitam non reddentis, & ex mora commodatarii rem commodatam tempore ſtatuto non reſtituentis lucrum extorqueatur; idemque dicendum de pignore, & hypotheca, v. g. ſi creditori prædium fructiferum in pignus fuerit traditum, addito pacto, ut donec pecunia eidem reſtituatur fructus ex prædio percipiat, quod quidem pactum Antichreticum communiter dicitur, & uſurarium vocatur *in cap. cum contra 6. de pignor. in cap. conqueſtus, de uſuris, & l. 1. & 2.*

(a) *Ad text. in Cap. in Civitate cum aliis hoc tit.* (b) *S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. cit. cap. in Civitate 7. & cap. conſuluit 10. de uſuris.* (c) *Leotardus de uſuris q. 31. Azor. Inſtit. moral. tom. 3. lib. 9. cap. 3. aliiq.*

& 2. cod. de pignor. act. cum aliis juribus, in quibus decernitur, in circumstantiis expositis fructus ex prædio perceptos, vel debitori esse restituendos, vel in extinctionem sortis computari debere; eodemque jure reprobatur pactum legis commissoriæ in eo consistens, quod debitor conveniat cum creditore, ut si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, pignus ad creditorem pertineat, & stet loco solutionis, quod quidem pactum tamquam usurarium rejicitur *in cap. significanti 7. de pignoribus, & in l. fin. cod. de pact. pignor., & lege commissor.* ex quo scilicet plus in pignore, quam in debito existere soleat.

7. Tres tamen casus in Jure Canonico reperiuntur, in quibus creditori licet citra usuram a creditore fructus rei oppignoratæ percipere. Primus est, si Laicus injuste detinens possessionem prædii ad Clericum beneficiatum spectantis, eidem Clerico tale prædium oppignoret. Secundus, si res oppignorata sit Feudum, & Domino directo ejusdem Feudi, qui interim debitam pensionem vel obsequium a Vassallo non exigit, in pignus tradatur. Tertius, si maritus pro dote sibi promissa possessionem prædii fructiferi a socero in pignus accipiat, quo sane casu potest fructus percipere, donec dotem obtineat (a). Generaliter autem pro his, aliisque contractibus advertendum, quod quotiescumque aliquid pretio æstimabile ultra sortem, idest ultra justum pretium exigitur, usura intrinsecus latet, & sub pallio abscondi videtur, ut notant communiter Moralistæ. Judex vero ex sequentibus præcipue circumstantiis poterit in contractibus a mutuo distinctis usuram conjicere. Primo scilicet ex conditione Personæ, quæ celebrandis contractibus usurariis assueverit. Secundo, si pacta contractui apposita vix aliquem debitoris favorem respiciant, & in solius creditoris commodum vergant.

Ter-

(a) *Cap. 1. cap. conquestus 8. cap. salubriter 16. de usuris. Molina tract. 2. de justit. disput. 320. & 322.*

Tertio, si nulla donationis justa causa concurrente res pro parte donetur, & pro parte vendatur. Quarto, si simulationi contractus per partes fuerit renunciatum; aliasque similes conjecturas late deducit Miglior. (*a*), variis auctoritatibus Doctorum & textibus allegatis.

8. Accedit his tertia divisio usuræ in simplicem, & usuras usurarum. Simplex usura est, quam supra definivimus. Usuræ verò usurarum sunt, quæ ex usura, seu lucro usurario non soluto, seu ex nova sorte exiguntur, quæ eo detestabiliores sunt, quo duplicem iniquitatem usurariam important.

9. Quamvis autem mutuantibus interdicatur ratione mutui quodcumque vel minimum lucrum percipere, inde tamen non prohibetur aliquod lucrum comparare, si causa mutui aliquod damnum patiantur, quod ratione lucri cessantis, vel damni emergentis potest contingere. Unde alia afferri solet divisio usurarum, in lucrativas, quæ quocumque jure vetantur, ut supra notavimus, & compensatorias, per quas enunciatum interesse creditoris aliquommodo compensatur, jure approbante, ut notatur in *l*. 3. §. *ultimo ff. de eo, quod certo loco*, & in aliis textibus. Interesse autem lucri cessantis ad hunc effectum concurrere dicitur, cùm quis pecuniam suam alteri mutuatur, quam negociationi, vel emendo prœdio, vel redditibus annuis alia ratione comparandis destinarat. Interesse vero damni emergentis, cum ob defectum pecuniæ mutuo alteri datæ nec restitutæ nequit quis corruentem domum reficere, vel alteri propriæ indigentiæ providere, vel si alio modo in rebus suis jacturam experiatur (*b*).

10. In his itaque circumstantiis mutuanti permittitur moderatum lucrum occasione mutui acquirere, sive coactus v. g. a Judice, sive sponte fuerit mutuatus, & sive de lucri præstatione, & respectiva exactione fue-

 rit

(a) *Megliorucci in suis Instit. hoc tit. differt. quinta per totam.*
(b) *Canisius hoc tit. cap. 1. n. 7. aliiq. communiter.*

rit conventum, five abſque conventione mutuum dederit. Dummodo tamen tres conditiones verificentur, quæ cum a Paulo de Caſtro traditæ fuerint,requiſita Paull de Caſtro communiter appellantur. Prima eſt, quod lucrum ceſſans, vel damnum emergens appareat. Secunda, quod mutuans promptam lucrandi, & in re fructifera pecuniam ſuam occupandi occaſionem habuerit. Tertia, quod debitor, qui pecuniam accepit, ſit in reſtituendo moroſus (*a*).

11. Circa primum ſanè requiſitum eſt opportunè notandum, quod damnum emergens, vel lucrum ceſſans debet ex mutuo dimanare. Hinc ſi quis non ſit ſolitus negociari, nequit lucrum ex mutuo percipere, quia cum pecuniæ otioſæ, prout a tali mutuante ex defectu negociationis retineri ſupponuntur, fructum non pariant, nullum damnum ex mutuo oritur, nec lucrum amiſit, qui fuit mutuatus (*b*). Covarruvias (*c*) tamen appoſite notat, nomen negociationis non de ſolis mercatoribus dici, vel aliis perſonis negociationi addictis & aſſuetis, ſed extendi debere ad omnes illos, qui ſuis ex pecuniis fructum quomodolibet capere valent. Quod verò ſpectat ad alterum requiſitum Pauli de Caſtro de prompta occaſione lucrandi, merito iſta requiritur, quia incertitudo lucrandi lucro amiſſo non imputatur (*d*). Talis autem certitudo arbitrio prudentum eſt æſtimanda, licet enim actu lucrum non detur, ſufficit, quod dari veriſimiliter poſſit, prout in Civitatibus, aliiſque inſignibus oppidis accidit (*e*). Circa moram poſtremò eſt diſtinguendum, an ſtatutum fuerit inter partes aliquod tempus, quo mutuum debeat reſtitui, vel abſque ulla temporis præfixione aliquis fuerit

(a) *S.Thom.2.2. q.62.art.4.in corpore.Pax Jordan.lib.14.tit.13. n.478. Gratian. diſcept.67. n.22. & diſcept.987. n.27. aliique communiter.* (b) *L. qui ſemiſſes 13. §. 1. ff. de uſur.* (c) *Variar. cap.4.* (d) *L.naturalem ff. de acquir. rer.dominio.* (e) *Facchineus lib.11. controv. cap.39.*

rit mutuatus. Hoc ſanè caſu, ut lucrum a mutuante percipi valeat ratione damni emergentis, interpellatio mutuatarii eſt præmittenda, ut mutuum reſtituat, ſin minus damnum mutuanti emergens pro tali cauſa, mutuatarius patiatur; priori autem caſu nulla interpellatio mutuatarii neceſſaria eſt, ſed ſi ipſe elapſo tempore ad mutui reſtitutionem aſſignato, ſit in reſtituendo moroſus, cum ipſa dies interpellare pro homine videatur, damni emergentis compenſatio mutuanti debetur, ad textum in *l. cum quidam ff. de uſuris &c.* (*a*).

12. Ad cauſas ſupradictas lucri ceſſantis, & damni emergentis, alia etiam cauſa poteſt reduci, quæ communiter *periculum amittendæ ſortis* vocatur, habetque locum, cùm pecunia alicui mutuata, prudens periculum imminet ſortis amittendæ, ſi nec per fidejuſſorem, nec per pignora de reſtitutione caveatur; cum enim ſubjicere ſe tali periculo in gratiam mutuatarii ſit pretio æſtimabile, poteſt ratione illius ultra ſortem aliquid percipi. Eademque ratio militat quomodocumque res per alios contractus in alios transferatur, adeoque ſi re alicui vendita, vel permutata, prudenter timeatur periculum amittendi pretii ab emptore ſolvendi, poteſt fortaſſe res carius vendi, quam ſecluſo tali periculo vendita fuiſſet (*b*).

13. Ex hactenus vero deductis liquido apparet, cur uſuraria non ſint lucra a Montibus Pietatis, a Campſoribus, ab iis, qui cenſus vitalitios inſtituunt, & ab aliis, qui uno vel altero modo pecuniam inveſtire dicuntur, percipi ſolita. Quod enim ſpectat ad Montes Pietatis, a quibus mutuo dantur pecuniæ, pignore pro ſecuritate faciendæ reſtitutionis recepto, licite profecto moderatum lucrum ab iſtis recipitur, quia id non fit intuitu mutui, ſed pro expenſis faciendis ad pignoris conſer-

(a) *Layman. Theol. moral. lib.3. tract.4. cap.6. num.10. aliique.* (b) *Leſſius lib. 2. dub.13. cap.11. & cap. 21. dub. 6. cum aliis.*

conſervationem, aliiſque in ſuſtentationem Miniſtrorum erogandis. Hinc in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. (a) Montes iſti approbantur, & Concilium Trident. (b) inter Loca Pia eoſdem Montes enumerat.

14. Altero etiam modo Montes intelliguntur, illi ſcilicet, qui per Principes, vel Reſpublicas ſuper ſuis redditibus, vel fundis erecti reperiuntur, & conferentibus pecuniam, quinque, ſex, vel tria annua pro ſingulis centenis aſſignantur, donec pecunia accepta reddatur. De horum ſane Montium juſtitia fuſe agunt Giball. (c), Bonac. (d), de Lugo (e), aliique, advertentes, per iſtas Montium erectiones vendi a Principe determinato pretio aliqua loca, & jus annuum fructum exigendi favore emptorum conſtitui ſuper re frugifera ad Principem, vel Civitatem ſpectante, quæ quidem ratio bene perpenſa demonſtrat locorum Montium erectionem, venditionem cenſus redolere, ideoque jure permitti.

15. Eademque ratio procedit pro Campſoribus, quorum nomine veniunt, qui rogantur, ut pecuniam cum alio permutent, illi enim, qui rogant, & in quorum gratiam pecunia commutatur, Campſarii communiter appellantur. Iſti ſane aliquid pro cambio pecuniæ recipere poſſunt, quia non pro pecunia ipſa, quæ eſt infructifera, ſed pro labore, pro Miniſtrorum ſtipendio, aliiſque neceſſariis expenſis illam recipiunt; ut notant Card. de Luca (f), Scaccia (g), aliique. Verum cùm pro cambio aliquid percipi poſſe affirmavi, loquebar equidem de cambio manuali, aut locali, non autem ſicco, quod tanquam uſurarium, & illicitum per Conſtitutiunes Apoſtolicas, præcipue *Pii IV.*, & *S. Pii V.* in Conſtitutione 59. ejuſdem Pontificis improbatur.

16. Cam-

(a) *Seſſ.10.* (b) *Seſſ.22. de reform. cap. 8. 9. & 11.* (c) *De uſur. lib.4. cap.7. art.1. & 2.* (d) *Diſp. 3. de contract. q.3. p.1.* (e) *Diſp.25. n.199.* (f) *De camb. diſcurſ.1. & ſeqq.* (g) *De cambiis lib.1. q.2.*

16. Cambium manuale, ſive minutum eſt illud, quo pecunia unius formæ, vel generis cum pecunia alterius generis commutatur, v.g. argentum cum auro, vel moneta Italica cum Hiſpanica. Cambium locale, quod etiam per literas, & ad nundinas dicitur, illud eſt, quo pecunia præſens cum pecunia in alio loco diſtante commutatur. Cambium poſtremo ſiccum illud eſt, quo revera nulla pecunia tranſmittitur, nec permutatur, ſed prævia determinatione certi lucri inter contrahentes facta, tranſmiſſio, aut permutatio pecuniarum fingitur interveniſſe, quod quidem cambii genus, ut ſupra innuimus, permiſſis duabus ſpeciebus cambii manualis, & localis, merito per prædictas Conſtitutiones improbatur, quia nulla inter ipſum, & ſimplex mutuum differentia intercedit, maximumque in Remp. detrimentum inde redundat juxta *Migliorucci* (a), qui plures caſus cambii ſicci, & Pianam Conſtitutionem diſertiſſime exponit.

17. Tandem quoad cenſus vitalitios, qui tunc conſtitui dicuntur, cum alteri certa pecuniæ ſumma ea conditione datur, ut is, qui dedit, ſingulis annis partem ſortis quamdiu vixerit accipere valeat; quo ad cenſus, inquam, vitalitios indubitata res eſt eos licitos eſſe, ut conſtat ex *L. hæreditatum ff. ad Leg. Falcid.* cum aliis juribus expenſis a *Covarruvia* (b); dummodo tamen juſto pretio a Summis Pontificibus juxta locorum conſuetudines taxato iidem cenſus emantur, aliter enim etiam cenſus vitalitius poteſt eſſe uſurarius; illudque eſt etiam affirmandum, ſi ex parte emptoris pactum interveniat, ut ſors ſalva remaneat, quo caſu mutuum potius, quam cenſus vitalitius eſſe videtur, ut notat *Carolus Maſcardus* (c). Supereſt nunc, ut de pœnis, quibus uſura a jure punitur, verba faciamus.

18. Ante-

(a) *Inſtitut. Can. lib.2. tit.29. diſſert. 4., & lib.4. tit. 6. diſſert.10.* (b) *Lib.3. variarum reſolut. cap.9.* (c) *De commercio redditus vitalitii q. 4. per totum.*

18. Antequam vero pœnas usurariornm proferamus, est advertendum, usurarios in manifestos, & non manifestos esse divisos. Usurarii manifesti sunt, qui publice & notorie pro usurariis habentur, sive sit notorietas facti in eo consistens, quod publicum bancum ad mutuandum cum usuris retineant, & quod publice constet eos ad mutuandum cuique convento fœnore esse paratos, sive sit notorietas juris in eo consistens, quod vel hoc crimen fuerint in judicio confessi, vel de illo per testes, scripturas, aut domesticos libros, (quos certe in judicio exhibere coguntur) convicti, & per sententiam Judicis fuerint condemnati. Non manifesti vero sunt, qui minus frequenter, secreto, & occulte usuras exercent (*a*).

19. Quamvis autem usurarii non manifesti grave peccatum committant, & ad restitutionem obligentur, ut in foro pœnitentiario absolutionem consequantur, sin foro tamen externo vix aliqua pœna puniuntur, olumque Deum Judicem habent; ideoque omnes pœnæ, quæ contra usurarios utroque jure indicuntur, & infra innuentur, contra usurarios manifestos statutæ sunt, ut unanimi calculo DD. affirmant apud *Anacletum* (*b*).

20. Inter pœnas vero, quibus usurarius manifestus punitur, primo loco recensetur infamia (*c*), ideoque usurarius persona vilis efficitur, nequit in testem assumi, ad gradus promoveri non potest, omnesque pœnas infamiæ adnexas incurrit (*d*). Quosi si Clericus fuerit, & post consuetas monitiones a tali pravitate non desistat, per sententiam Judicis ab officio, & beneficio suspenditur, & si adhuc non resipiscat, deponitur (*e*).

21. Laici

(a) *Anacletus in lib. 5. decretalium tit. 19.* (b) *Loco citato.*
(c) *Can. infames 2. quæst. 7.* (d) *L. 1. & 5. Cod. de Testibus.*
(e) *Cap. præterea, de usuris.*

21. Laici autem usurarii publice sunt excommunicandi, neque absolvendi, nisi usuras restituerint (*a*), immo non facta restitutione, nec data cautione restituendi, ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non admittuntur, & si ex hac vita decesserint, quin saltem juratoriam cautionem de restituendo viventes præstiterint, & suis hæredibus talem restitutionem demandaverint, Ecclesiastica sepultura privantur, licet pœnitentes obierint, aut verius obiisse videantur; *ad text. in cap. quia in omnibus, de usuris*, ubi pœna suspensionis contra Clericos constituitur, qui supradictos usurarios in Ecclesia tumulaverint.

22. Verum hæc restitutio quatenus a defunctis facta non fuerit, ab hæredibus est omnino facienda, licet testator onus non imposuerit, immo indistincte, sive Clerici, sive Laici, sive Christiani, sive etiam Judæi, vel eorum hæredes ad usurarum restitutionem a Principe compelluntur (*b*), quia usura in jure, furto, & rapinæ æquiparatur, ut supra notatum est; res autem ad Dominum clamat. Idque ampliatur etiam si mutuatarius jurasset se usuras non restituturum, adhuc enim potest usurarius a Judice ad restitutionem compelli, vel quatenus sors restituta non fuerit, in ejusdem compensationem usuræ computantur (*c*); & hæc quidem restitutio vel debitoribus læsis, vel istorum hæredibus fieri debet, vel iis deficientibus pauperibus est eroganda (*d*).

23. Irrita præterea sunt testamenta, codicilli, & donationes causa mortis etiam ad causas pias ab usurariis manifestis confecta, si talem restitutionem non fecerint, vel cautionem de restituendo nequaquam præstiterint (*e*). Aliisque insuper iidem usurarii tempora-

 libus

(a) *Cap. præterea hoc tit.* (b) *Cap. post miserabilem, de usuris.* (c) *Cap. tuas hoc tit.* (d) *Cap. cum tu, de usuris, capit. ra te, de jur. jurando, cum aliis textibus.* (e) *Cap. quamquam, de usuris in 6.*

libus pœnis etiam puniuntur, ut ex Bannimentis generalibus ſtatus num. 31. & ultra pœnas expoſitas, aliaſque arbitrarias, pœna amiſſionis rerum deductaram in contractum, & pœna pecuniaria ſupra ſummam ſcutorum centum iiſdem imponitur, qua pœna etiam comprehenduntur Mediatores, Conſultores, & Notarii ſcienter contractus uſurarios ſtipulantes.

24. Ad hæc, ut plenius appareat, quæ ſit hujus criminis gravitas, duo ſunt opportune ſuperaddenda; primum nempe, quod *in cap. 2. de uſuris in 6.* diſponitur, nec Collegium, nec Univerſitatem, nec aliam quamcumque perſonam cujuſcumque conditionis, & dignitatis exiſtat, uſurarios manifeſtos, qui non ſint de eorum terris oriundi, ad habitandum admittere poſſe, ſed intra tres menſes expellere omnino debere pœna ſuſpenſionis contra Eccleſiaſticos in dignitate conſtitutos, pœna vero excommunicationis contra minores perſonas ſingulares, pœna Interdicti contra Collegia, & Univerſitates in caſu contraventionis conſtituta; cui quidem interdicto ſuppoſitæ declarantur Terræ, & Regiones, ſi harum Univerſitates, & Collegia Interdicti ſententiam per menſem indurato corde ſuſtinuerint. Alterum vero eſt, quod licet juxta communiorem ſententiam ad pœnas prædictas incurrendas actus conſummatus exigatur, ideoque qui inito contractu uſurario uſuras non capiunt eaſdem pœnas non ſubeant; Tamen generaliter loquendo in odium talis criminis ad probandam uſuram manifeſtam, & conſequenter ad contrahendas pœnas non requiritur plena, & perfecta probatio; aliter enim raro, aut nunquam uſurarii convincerentur, ut ponderat Card. de Luca (*a*). Videatur Benedictus XIV. *in tractatu de Synodo Diœceſana* (*b*), ubi materiam hanc de uſuris accuratiſſime pertractavit.

25. In-

(a) *Diſcurſ. 12. de uſuris.* (b) *Lib. 7. cap. 51. num. 1. & ſibi.*

25. Inquiri pro coronide posset, an usura semper, & indistincte inter delicta mixti fori accenseatur, itaut uterque Judex contra usurarios procedere possit; seu potius an aliquando privative ad Judicem Ecclesiasticum debeat pertinere? In hac vero controversia licet affirmativam tueatur Reinfestuel (a), quod nempe usura indiscriminatim crimen mixti fori sit judicandum; contrarium tamen existimant plures ab eodem citati, quibus accedit Fagnanus (b), qui opportune distinguit inter quæstionem facti, & juris, atque in primo quidem casu delictum mixti fori usuram affirmat, in altero vero, nempe si quæstio sit juris, v. g. si discuti debeat, an contractus aliquis sit usurarius, & tamquam talis universaliter prohibendus, eoque casu usuram delictum Ecclesiasticum esse concludit, ex quo doctrinam Fidelium mores spectantem firmiter, & universim declarare soli Pontifici competit.

(a) *Lib. 5. Decretal. tit. 19. §. 10. in fin.* (b) *In cap. tuam n. 33. & 35. de ordine cognitionum.*

CRIMINALIUM INSTITUTIONUM

LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De Judiciis Criminalibus, & modo in illis procedendi.

POstquam superiori libro de materia criminalis Judicii, nempe de Criminibus, egimus, de modo, quo idem Judicium instituitur, operæ pretium est disseramus, quod in præsenti libro, Deo dante, qua poterimus brevitate, & perspicuitate præstabimus.

2. Judicium in genere acceptum, ut *in Instit. Canon.* (a) adnotavimus, significat *causæ alicujus discussionem, Actore instante, & Reo excipiente, coram competente Judice factam*. Quamvis autem alibi, nempe *in iisdem Instit. Canon.* (b), varias Judicii divisiones protulerimus, non incongrue tamen sequentes superaddendas arbitramur. Judicium ergo dividitur in generale, & speciale. Generale, vel est simpliciter tale, vel, ut inquiunt, secundum quid. Generale simpliciter tale est, in quo controversia aliqua movetur de aliqua universitate, seu corpore quodam mystico ex Pluribus specifice distinctis conflato, quale est hæreditas, Ecclesia, Territorium &c. Secundum quid est, quod ad plura quidem objecta, sed separata, ac nullam universitatem conficientia, porrigitur, quale est judicium super administratione generali, v. g. Tutela, societate, negotiis gestis &c. (c). Speciale judicium est, quod instituitur circa rem specialem, determinatam, ac singularem; quale est in Actione Commoda-

(a) *Lib. 3. tit. 1.* (b) *In eodem tit. 1. lib. 3. Instit. Canon.*
(c) *L. pro Socio 38. in pr., & ibi Brunem. ff. pro Socio.*

modati, Depositi Mandati &c. (*a*). Differt autem plurimum unum judicium ab altero, quod exceptio rei judicatæ in judicio singulari solummodo noceat quoad rem singularem petitam, in generali autem, si generaliter sit institutum, quoad res omnes, etsi specifice in libello non expressæ, & postmodum primum cognitæ fuerint (*b*).

3. Judicium item dividitur in reale, & personale. Reale est, in quo disputatur de jure in re, v. g. dominio, servitute, pignore &c., sive in quo actio realis intentatur. Personale est, in quo jus ad rem, nempe obligatio ex contractu, vel quasi, delicto, vel quasi, aut aliis causarum figuris oriunda; sive in quo actio personalis ad examen revocatur.

4. Dividitur itidem judicium in simplex, & duplex. Simplex censetur, quum quisnam Actor, quisnam Reus sit, perspicue constat, seu in quo alius est Actor, alter Reus. Duplex dicitur, quando quisnam Actor, quisnam Reus sit minime apparet, seu in quo uterque est Actor, uterque est Reus, utrinque a se invicem aliquid petendo.

5. Præterea judicium in conventionale, & reconventionale, seu conventionis, & reconventionis dividitur. Conventionale est, in quo Actor agit adversus Reum; reconventionale, in quo Reus conventus adversus Actorem, eadem instantia pendente, judicium instaurat.

6. Præcipua tamen Judicii divisio, quam huic consulto reservavimus loco, est in Civile, & Criminale, ejusque differentia a causarum discrimine pendet. Causa enim, si criminalis fuerit, nempe si agatur de alicujus hominis condemnatione propter scelus commissum, Judicium Criminale vocatur, sicuti Judicium

(a) *D. l pro Socio 38. in pr.* (b) *L. quid tamen 21. §.6. ff. de recept. &c. l. licet 2. Cod. de Judic. l. actione 4. l. sub prætextu 29. Cod. de Transact. Brunem. ad l. licet.*

cium Civile dicitur, si de re familiari, & privata tractetur.

7. In pluribus sane Judicium Criminale, & Civile conveniunt, in pluribus differunt. Conveniunt, quia in utroque Judicio testes examinantur, libellus porrigitur, aliaque peraguntur, quæ indicantur a Glossa (*a*). Differunt autem, quia Judicium Civile per actionem, sed Criminale per accusationem, denunciationem, aut inquisitionem inchoatur, ut infra videbimus. Rursus quoad progressum distinguuntur, tum quia solus Actor in Civilibus probat, sed in Criminalibus aliquando Actor, & Reus (*b*); tum etiam quia longe clarior probatio in Criminalibus, quam in Civilibus desideratur. Tandem quoad finem, quia in Civilibus agitur, ut aliquid Actori præstetur, in Criminalibus autem, ut accusatus puniatur; ideoque licet ex delicto actio Criminalis, & Civilis oriatur, tamen Judex Criminalis solùm incidenter potest de interesse partis, seu de Causa Civili cognoscere, principaliter autem de crimine, & pœna eidem debita judicat, *ad textus expressos in L. solemus ff. de Judiciis, & L. interdum ff. de publ. Jud.*, quos variis quæstionibus, & declarationibus illustrat Farinaccius (*c*).

8. Trita vero est Judicii Criminalis divisio in publicum, & privatum. Privatum est illud, in quo privatæ tantum personæ, non autem Reipublicæ præjudicium infertur vel nulla lege publica fuit institutum; publicum autem, quod a legibus publicorum Judiciorum descendit, ut lege Julia Majestatis, Cornelia de Sicariis, Pompeja Parricidii, aliisque similibus; vel, ut alii arbitrantur, est illud, cujus accusatio cuique de populo regulariter competit; vel verius est illud, quo ipsi Reipub. præjudicium irrogatur (*d*).

9. Quo-

(a) *In §.1. Instit. de publicis Judiciis.* (b) *L. ubi falsi 22. Cod. ad l. Cornel. de falsis.* (c) *Quæst. 100.* (d) *Hotboman. ad tit. Instit. de pub. Jud.*

9. Quocumque autem modo Judicium Criminale publicum accipiatur, certum est, Jure canonico, quod in praxi, & foro recipitur, usum privati Judicii Criminalis in desuetudinem abiisse, quia omnia crimina reputantur publica, & per quamcumque delicti speciem Respub. offenditur, ideoque spectat ad Judices etiam ex officio quoscumque delinquentes punire, excepto crimine injuriarum, nec non delictis adulterii, & stupri non publici, & cum mulieribus diffamatis, quæ ad instantiam partis dumtaxat coercentur, ne ex inquisitione, fama alterius præjudicium patiatur, ut infra fusius videbimus, & aliqua in primo titulo libri præcedentis innuimus.

10. Substantialia porro Criminalis Judicii, quæ in omnibus Tribunalibus observantur, sunt Accusatio, vel Denunciatio, vel Inquisitio; genericæ, & specificæ criminis probationes; litis contestatio, quæ verbali, aut reali delinquentis citatione perficitur; ejusdem delinquentis defensiones; & sententia, de quibus seorsim *in hoc tertio libro* tractabimus. Igitur Criminale Judicium, vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per inquisitionem instituitur, ut dicitur *in Cap. Licet Heli, de Simonia*, & expressius *in cap. qualiter 24. de accusat. §. debet igitur*.

11. Accusatio definitur: *Alicujus criminis delatio, legitima interveniente subscriptione, ad publicam vindictam coram competente Judice facta* (a); ex quibus quidem verbis substantialia requisita accusationis eruuntur; nimirum cùm Judicium Criminale ad instar Civilis ordinetur, sicuti in Judicio Civili, ita & in Judicio Criminali libellus requiritur, qui in scriptis fieri debet, annum insuper, & diem Accusationis factæ, nomen Judicis, Accusatoris, & accusati continere, nec non criminis qualitatem, cum anno, mense, die, loco, & tempore, quo delictum patratum fuit exprimere, ipsamque

(a) *L. libellorum 3. ff. de accusationibus, & l. fin. Cod. eod. tit.*

que horam, si per accusatum petatur, ut probando *negativam coarctatam*, innocentiam suam possit is facilius ostendere (*a*); Insuper accusatoris subscriptio ex antiqui juris censura requiritur cum obligatione pœnam Talionis subeundi, si crimen Judici delatum non probaverit, illam scilicet pœnam, quam Reus probato crimine pati debuisset, ut notant Pellegrinus (*b*), & Miglioruccius (*c*), qui varios antiquæ accusationis ritus recensent.

12. Dixi: *negativam coarctatam*, cujus quidem tanta est efficacia, si favore Rei concludenter probetur, ut quamcunque aliam probationem, ipsosque Testes de visu supereemineat, itaut ab impicto crimine sit Reus absolvendus, ut cæteris omissis firmat Guazzinus (*d*). Cùm vero e converso si eadem negativa coarctata probata non fuerit, delictum probatum remaneat, nedum leges voluerunt caute a Judice esse admittendam, sed pluribus requisitis suffultam esse oportere, præcipue vero, quod Testibus omni exceptione majoribus, atque in sufficienti numero comprobetur: quodque plus est, non vage, sed absolute, & positive probetur, ostendendo vel per continuam absentiam a loco, vel ex alia circumstantia diversimode contingere nequivisse ab eo, quod ipsi deponunt, ut late ostendit Bossius (*e*).

13. Quamvis autem nostris etiam temporibus enumeratio dictarum circumstantiarum in accusationibus requiratur, usus tamen libellorum, & obligatio subeundi pœnam Talionis ab aula recessit; Loco enim libelli querela verbalis successit, quæ in scripturam a Notario redigitur (*f*). Prætereaque pœna Talionis in desue-

(a) *Bartol. in l.is, qui Reus num.9. 10. de pub. Jud. Conciol. de negat. coarctata, verbo negativa. resolut.2.* (b) *Part. 4. Sect. 3.* (c) *Instit. Can. lib.4. tit. 1. dissert. 3.* (d) *Defens. 28. cap.1. n.15.* (e) *Tit. de defens. Reorum n.13. & seq.* (f) *Scaccia de Judic. lib.1. cap.51. n.27.*

desuetudinem abiit, quia plures ejusdem timore deterriti non accusabant, ideoque crimina sæpe impunita cum Reipublicæ, & privatorum detrimento remanebant, ut advertit Conciol. (*a*); qui apposite notat, pœnam extraordinariam, & arbitrio Judicis accusatori esse imponendam, si in criminis probatione defecerit, nisi statuta locorum certam pœnam constituant.

14. Quilibet sane in publicis delictis ad accusandum admittitur, nisi expresse prohibeatur, ideoque affirmans aliquam personam accusare jure non posse, id probare tenetur (*b*); Personæ autem, quæ accusare prohibentur, ad hæc capita reducuntur. Primo nempe ratione sexus, vel ætatis, ut sunt mulieres, pupilli, ac minores; Secundo ratione Militiæ, sive sacræ, quam Clerici profitentur, sive armatæ, quæ in actuali militia sæculari exercetur; hæc tamen prohibitio nostris temporibus minime attenditur, sed milites possunt libere quoscumque delinquentes accusare (*c*); Tertio ratione delicti, ut criminosi, & infames; Quarto ratione conditionis, ut filius, frater, uxor, servus, & laicus, qui Clericum accusare non potest; Quinto ratione paupertatis; licet enim honestum sit, & laudabile Accusatoris officium, ut pluribus fundamentis latè deductis ostendit inter alios pluries memoratus Megliorucci (*d*): quia tamen vehemens imminet in pauperibus personis subornationis & collusionis periculum, quod scilicet pecunia corrupti falso alium accusent hinc, nisi attenta bona opinione hujusmodi personarum tale periculum abesse videatur, accusare prohibentur. Has vero, aliasque similes accusandi prohibitiones sequentibus versiculis Glossa complectitur (*e*);

(a) *Resol. Crimin. verbo accusatio, resolut. prima per tot.*
(b) *L. qui accusare ff. de accusationibus.* (c) *Clar. in praxi §. fin. quæst. 15.* (d) *Loco citato dissert. 5. per tot.* (e) *In Cap. 1. de accusationibus.*

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suspectus, quæstu corruptus, sortilegusque,
Infamis, servus, pauper, cum milite, Princeps,
Libertus, socius socium, necnon inimici,
Clericus Ecclesiam nullus deferre valebit.

15. His tamen omnibus accusare permittitur, si suam, suorumque consanguineorum injuriam prosequantur (*a*); nec non si de crimine læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ, alioque crimine excepto tractetur (*b*); imo si Processus criminalis ab accusatione personæ accusare prohibitæ fuerit inchoatus, adhuc sustinetur, si nec pars accusata, nec Judex de vitio accusationis exceperit (*c*).

16. Verum omnes, qui doli capaces sunt, accusari criminaliter possunt absque ullo sexus, vel ætatis discrimine (*d*). Excipiuntur Principes in suprema dignitate constituti (*e*); Insuper qui super crimine, de quo accusantur, absolutionem alias retulerunt (*f*); Demum qui ante 20. annos crimen commiserunt, si enim eo tempore elapso ejusdem criminis non fuerint accusati, quasi præscriptionis beneficio amplius de eo accusari non possunt (*g*).

17. Id vero limitatur in casu, quo de crimine hæresis, Apostasiæ, matrimonii contra Sacros Canones contracti, alioque delicto excepto tractetur. Quemadmodum enim jure cautum est, stuprum, adulterium, aliaque similia delicta, si fuerint simplicia, nec cum alio crimine conjungantur, ut esset v.g. adulterium simul, & incestus, itemque si sine violentia fuerint commissa, quinquennio præscribi (*h*); Insuper actionem criminis Stellionatus duobus annis, actionem

(a) *L. si tamen 11. ff. de accusation.* (b) *Gloss. in citato textu.*
(c) *Cap. pia 1. de exception. in 6.* (d) *L. Pupillum 111. ff. de regulis juris.* (e) *L. qui accusare 8. ff. de accusat.* (f) *Cap. de his 4. de accusat.* (g) *L. querela 22. cod. ad leg. Cornel. de falsis.*
(h) *L. Mariti §. quinquennium ff. ad L. Jul. de adulteriis.*

nem vero injuriarum unico anno prorsus cessare (a); Ita eodem jure statutum est, accusationem criminum supra expositorum perpetuam esse, & semper posse proponi (b).

18. Quamvis autem Accusator possit in quacumque causa criminali Procuratorem deputare, accusatus tamen id facere nequit juxta communiorem sententiam in praxi receptam, de qua Clarus (c). Imo de jure Civili veteri, neque Accusator poterat Procuratorem eligere, quia cùm deberet subscribere, & ad pœnam talionis sese obligare, ut supra innuimus, illius præsentia, & personalis comparitio desiderabatur. Quod unicè est limitandum tam pro novo, quam pro veteri jure, si de Causis pecuniariis, nec pœnam afflictivam promerentibus disceptetur, tunc enim recte Procurator admittitur (d). Nunc de denunciatione, quæ est alter modus criminale judicium inchoandi, verba faciamus.

19. Denunciatio communiter definitur *alicujus veri criminis manifestatio, sive delatio, sine inscriptione Judici legitimè facta*. Atque ita inter alios eam describit Hostiensis (e). Dicitur *alicujus veri criminis*, quia denunciatio cùm sit inquisitioni præambula, ut infra videbimus, frustra, & cum famæ alterius detrimento Judici deferretur crimen, quod non esset verum, & probari non posset. Additur *sine inscriptione*, quia in hoc denunciatio ab accusatione distinguitur, quod accusator saltem de jure veteri subscribere tenebatur, & se ad pœnam talionis obligare; Neutrum autem in denunciatione præstatur; ex quo etiam sequitur, posse a denunciante Procuratorem ad denunciandum deputari,

 licet

(a) *L. fin. Cod. de dolo, Leg. si non convicii Cod. de injuriis.*
(b) *Farinac. in prax. crim. par. 1. tit. 1. de Inquisit. quæst. 10.*
(c) *§. Fin. quæst. 32. versic. Item quæro.* (d) *Late Reynoldus observ. crim. tom. 3. cap. 24. supplet. 2. per tot.* (e) *In Summa de denunciat. §. quid sit denunciatio.*

licet Accusator Procuratorem eligere de rigore juris non posset, ut supra notavimus.

20. Omissis autem variis denunciationis speciebus, quæ a Canonistis, & Theologis afferuntur, præcipua, & magis obvia ejusdem denunciationis divisio est in judicialem, & evangelicam; judicialis est, quam supra descripsimus, eaque in publicam, & privatam subdividitur. Publica dicitur, cum per publicos Officiales, & Curiæ Ministros ad publicam vindictam crimen Judici denunciatur (*a*): Privata est, quæ ad privatum interesse denunciantis proponitur, ut huic scilicet damnum illatum resarciatur. Evangelica verò denunciatio est, cum ad Superiorem tamquam ad Patrem pro privata emendatione proximi crimen defertur, quæ quidem fieri debet juxta ordinem a Christo Domino institutum *Matthæi* 18. *ibi*: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ut ex charitate procedat. Cæterum non solum permissum est omnibus denunciatione Evangelica uti, verum etiam iis omnibus, quibus accusare licet, judicialiter quoque denunciare permittitur.

21. Aliquando tamen quibus accusare prohibitum est, non est vetitum denunciare (*b*); qui enim nequit ordinario accusationis remedio jus suum prosequi, potest nihilominus *extraordinarium denunciationis remedium* ad eundem effectum adhibere, unde Filius a Patre gravatus potest ita contra Parentem insurgere, quem accusare non potest (*c*). Dixi *extraordinarium denunciationis remedium*, id tamen intelligitur relatè ad eum, qui accusare non potest, nam si generaliter, & in abstracto denunciatio spectetur, remedium ordinarium vocatur, quia cum maximè deceat crimina non remanere impunita, cuique permittitur posse crimina denunciare (*d*). Superest nunc, ut ad Inquisitio-

(a) *Can. Episcopus 35. quæst. 6. Cap. Romana, de Censib. in 6.*
(b) *Clar. §. fin. quæst. 7.* (c) *Abbas in cap. Novit 13. de Judiciis n. 48.* (d) *Cap. super his, de accusation.*

tionem, quæ est tertius modus instituendi, & prosequendi Causas criminales, transeamus.

22. Inquisitio in genere sumpta definitur ab Hostien. (*a*): *Alicujus criminis a Judice competente ex officio facta investigatio*: Tunc enim Judicium criminale Inquisitione instituitur, cùm præcedente criminis notitia ejusdem Reum ad publicam vindictam ex proprio officio Judex inquirit, ideoque inquisitio ab accusatione, & denunciatione distinguitur, tum quia accusare, vel denunciare privatis hominibus competit, ex officio autem procedere ad solum Judicem spectat, tum quia Judex inquirens non ab accusatione, vel a solemni, & judiciali denunciatione, sed a sui muneris præstantia ad inquirendum adducitur (*b*).

23. Triplex autem Inquisitionis species recensetur. Alia est, ut inquiunt, generalissima, qua Prælati, aliique Superiores in visitatione Provinciæ, & locorum subjectorum utuntur, ut facinorosos reperiant, eosque coerceant (*c*); alia est generalis, qua super certo crimine Judici noto delinquens incertus investigatur; tertia est specialis, per quam super certo crimine, v. g. homicidio contra certam Personam, v.g. Titium inquiritur. Ea verò differentia inter inquisitiones hasce versatur, quod inquisitio generalis nullum ordinem, nullamque solemnitatem desiderat, ideoque etiam sine corpore delicti, & nulla diffamatione præcedente potest ex officio generaliter Judex inquirere, quia vi talis inquisitionis nemini præjudicium infertur (*d*); Contra verò in Inquisitione speciali, per quam fama alterius offenditur, ultra Judicis competentiam, quæ semper, & indistincte requiritur, ut infra videbimus, debet etiam de corpore delicti constare, & indicia urgen-

(a) *In Summa de Inquisit.* (b) *Cap. Inquisitionis, & cap. qualiter & quando, de accusat. cum aliis Juribus.* (c) *L. 13. ff. de Off. Præsidis.* (d) *Clar. §. fin. quæst. 9.*

urgentia unà cum præcedenti Delinquentis diffamatione exiguntur, ut pluribus allegatis Textibus notat Clarus (*a*); si verò unum ex præfatis requisitis deficiat, non solum inquisitio, sed totus criminalis Processus vitiabitur, si reus excipere voluerit, eundemque defectum proferre (*b*).

24. Limitatur autem necessitas diffamationis, quæ præcipuum requisitum specialis Inquisitionis constituit, in criminibus enormibus, & Reipublicæ maximè noxiis, cujus generis sunt hæresis, apostasia, hisque similia, in quibus præcedente rationabili suspicione, etiam non concurrente diffamatione, ad Inquisitionem proceditur (*c*). Idemque dicendum, si non agatur de hominis condemnatione, sed de beneficiorum, aut officiorum collatione, vel ad aliquod scandalum evitandum, in quibus certè circumstantiis etiam super delictis occultis potest inquiri, dummodò alterius fama indemnis servetur (*d*). Postremò si Reus incidenter Crimen fuerit confessus, vel in fragranti, scilicet in ipso actu delinquendi reperiatur, vel alio quovis modo contra illum publica suspicio existat, diffamatio nequaquam exigitur (*e*). Imò si delictum fuerit notorium, etiam omissa inquisitione poterit Delinquens condemnari (*f*).

25. Prætereundum verò non est, quod quamvis de jure communi in delictis publicis tantum possit Judex ex officio procedere, cùm tamen Juris Canonici dispositione, & censura omnia fere crimina publica censeantur, ut diximus, potest in omnibus Judex inquirere. Imò etiam quando Judex prævia denunciatione procedit, clausula *ex officio* in Processu solet

(a) *Loco citato*. (b) *Farinac. quæst. 1. n. 5.* (c) *Ad Textum in cap. Excommunicamus 13. de hæret. & l. Apostatarum 4. Cod. de Apost.* (d) *Navar. in Rubrica de Judiciis num. 96.* (e) *Ad Textum in l. 1. ff. ad Senatus Cons. Syllanianum.* (f) *Cap. super eo, de Testibus. Meglioruccius loc. cit. dissert. 15.*

let apponi, vi cujus, quatenus denuncians jure denunciare nequiverit, vel querelam retractaverit, adhuc Judici permittitur *ex officio* crimen investigare, dummodò injuriarum non sit, pro quo ad instantiam dumtaxat interesse habentium proceditur, itemque exceptis criminibus Adulterii, & Stupri, in quibus nisi notoria fuerint, solum instantibus proximioribus Consanguineis inquiritur (*a*); atque in Urbe quidem, & Statu Ecclesiastico extat etiam in hac re constit. 65. relata per Setam (*b*), quam cum Cardinalis Ægidius in Italia Legatus edidisset, ad Urbem, & universum Ecclesiasticum Statum extendit Sixtus IV. & Paulus III. confirmavit, ut notat Ridolphinus (*c*). Neque est insuper omittendum, quod sive prævia denunciatione, sive absque denunciatione Judex inquirat, in aliquibus delictis Principem consulere debet, cùm experientia comprobemus, magis aliquando expedire, ut œconomicè, quam juridicè procedatur (*d*). Quoniam verò nec generaliter, nec specialiter inquirere potest, qui incompetens est, & potestatem non habet, *de competentia*, *& potestate Judicis* breviter est pertractandum.

TITULUS II.

De Judicis potestate, & competentia.

NON hic intendimus de potestate, & competentia Judicis generaliter ut inquiunt, & indefinitè sermonem habere, quia de hac materia in sua latitudine, atque extensione *in Canonicis Institutionibus* agitur, nosque etiam

(a) *L. quamvis Cod. ad l. Juliam de Adulteriis.* (b) *De Offic. Locumtenentis cap. 22. num. 10.* (c) *Prax. Judiciar. p. 2. cap 6. annot. 121. ad seq.* (d) *Seta de Offic. Locumtenentis cap. 7. num. 1.*

etiam ibi (*a*) amplissime differuimus. Proinde potestatem, & competentiam Judicis sub eo dumtaxat respectu examinabimus, quo hæc materia criminalibus Judiciis inservit. Judicis igitur potestas, & competentia definiri potest: *Auctoritas, & jurisdictio, quam Judex supra Subditum habet publica auctoritate, & in commune bonum introducta* (*b*). Eaque dupliciter hic consideratur, prima enim dicitur potestas *gladii*, qua Judices facinorosos compescunt, & nomine gladii intelligitur jus, & potestas, ultimum Supplicium, Triremes, Exilium, & pœnas similes decernendi, quibus quomodolibet Civile caput a Republica adimitur, *juxta Cujac. in l.1. ff. de eo, cui mandata est Jurisdictio*; quod quidem jus, & potestas merum Imperium in jure vocatur (*c*). Altera est facultas simpliciter coguoscendi causas criminales, quæ si cum potestate infligendi pœnas supradictas conjungatur, ut regulariter accidit, imperium mixtum communiter dicitur (*d*).

2. Præterea potestas Judicis in Ecclesiasticam, & Sæcularem dividitur; Ecclesiastica, seu Spiritualis est potestas Judici Ecclesiastico competens, qua per Censuras, & pœnas spirituales delinquentes coercet; Sæcularis verò Judici Sæculari tribuitur, qua pœnis temporalibus criminosos condemnat. Gaudet autem certo certius Ecclesia tam spirituali, quàm temporali potestate, ideoque utrumque gladium habere dicitur, quidquid in contrarium docuerint Marsilius de Padua, Salmasius, aliique hujus furfuris hæretici, quos erudite confutat inter alios Petavius, qui (*e*) Catholicam veritatem pluribus fundamentis demonstrat.

3. Mul-

(a) *In titulo primo libri 3. earumdem Institutionum.* (b) *Oldrad. conf.* 10. (c) *L. Imperium 3. ff. de Jurisdict. l. Nemo* 10. *ff. de Regulis juris cum aliis.* (d) *Decian. lib.4. tract. crim. cap.2. num.4. aliique.* (e) *Lib.3. de Hierarchia cap.10.*

3. Multipliciter autem poteſt Judex in criminalibus Cauſis competens fieri, ſeu auctoritatem ſuam in alios exercere, primo ob criminis qualitatem; ſi enim delictum Eccleſiaſticum ſit, privative debet coram Judice Eccleſiaſtico diſcuti; ſi Sæculare, ad Sæculare Tribunal ſpectabit, niſi delinquens ſit Clericus; ſi demum crimen mixtum exiſtat, æque coram Judice Eccleſiaſtico, ac Sæculari poteſt proponi.

4. Has porro criminum ſpecies ſatis ſuperiori libro expoſuimus; Etenim Hæreſis, Apoſtaſia, Schiſma, & Simonia crimina ſunt Eccleſiaſtica nominata, ſicuti Eccleſiaſtica innominata dicuntur delicta, quæ vel circa Ordines, vel circa Sacramentorum adminiſtrationem, vel circa officia, vel circa vitæ honeſtatem ab Eccleſiaſticis Perſonis committuntur. Inſuper crimina læſæ Majeſtatis, Ambitus, Repetundarum, Peculatus, & de Reſiduis, fraudatæ Annonæ, Homicidii, Furti, Falſi, Injuriarum, & famoſi libelli, vis publicæ, & privatæ, crimina nominata mere Sæcularia vocantur; ſicuti crimina Sæcularia innominata ſunt, quæ ad calcem tituli primi de delictis in genere ſupra explicavimus. Poſtremo crimina Blaſphemiæ, Perjurii, Sortilegii, Sacrilegii, Falſi in literis Apoſtolicis, Uſurarum, & delicta Carnis dicuntur crimina nominata mixti fori, prout etiam mixti fori vocantur tria illa violati ſepulchri, fractæ pac s, & Ludorum, quæ in eodem præcedente libro fuerunt explanata.

5. Competentia inſuper Judicis reſultat a qualitate delinquentis, ſi enim Clericus fuerit Reus indiſtincte tam in Cauſa criminali, quam civili, coram Judice Eccleſiaſtico judicatur (a); ſi vero Laicus fuerit, neque crimen commiſerit privative, aut cumulative ad fo-

(a) *Ad Textum in Cap. ſi diligenti, de foro comp. cum aliis Text. toto tit. de Judiciis.*

rum Ecclesiasticum pertinens, ad Judicem Sæcularem ejus causa spectabit (*a*).

6. Tertio ratione Originis vel Domicilii Judex competens redditur; Idque intelligitur sive locus, in quo ipse delinquens, sive locus, in quo Pater ejus originem traxit, Judici subsit, itemque non solum pro delicto in Territorio Judicis originis commisso, sed etiamsi delictum alibi fuerit perpetratum, dummodo delinquens in Territorio originis reperiatur (*b*). Id tamen sibi vindicat locum *de jure communi*, quo certum est, in foro domicilii, vel originis posse quemquam propter delicta etiam alibi perpetrata civiliter, & criminaliter conveniri; ex praxi tamen universali, & consuetudine recepta, hodie id amplius non procedit in domicilio originis, nisi concurrat domicilium habitationis, ut testantur *Gaillius* (*c*), & *Card. de Luca* (*d*). Excipitur filius familias, qui ubi separatim domicilium nondum constituit, in loco originis, seu domicilii Paterni recte convenitur. Excipiuntur etiam vagabundi, qui cum nullibi habeant domicilium habitationis, ne delicta eorum remaneant impunita, non solum in loco originis, sed etiam ubique possunt conveniri. Et demum excipitur casus in eo, qui ad Ordines Ecclesiasticos adspirat, talis enim ab Episcopo originis non solum valide, sed etiam licite promovetur (*e*); nam Episcopus originis est unus ex tribus Episcopis propriis, a quibus potest quis ad Ordines promoveri, ad formam tamen Constitutionis Innocentii XII. incipien. *Speculatores*, quam innuimus supra (*f*), cùm de delictis Clericorum ageremus; unde

(a) *Pellegrin. in prax. crimin. p.4. sect.2.* (b) *L. 1. Cod. ubi de crimine agi oporteat, cum aliis adductis a Conciol. resolut. crimin. verbo Forum resolut. 4.* (c) *Lib.1. observat. 36. num.6.* (d) *De jurisdictione discurs.75. n.2. & 3.* (e) *Cap.3. de temporibus ordinat. in 6.* (f) *Lib.2. tit.6.*

unde extra hos casus domicilium originis in praxi forum non præbet, & competentiam minime inducit.

7. Quarto ratione loci, in quo delictum committitur, Judex fit competens (*a*); quo quidem modo peculiari jure a Judice jurisdictio, & competentia supra delinquentes comparatur, expedit enim Reipublicæ, ut Judices loci, in quo delictum committitur, non expectato Judice originis, vel domicilii, contra delinquentes procedant (*b*).

8. Tandem ratione privilegii competentia resultat, prout in Militibus accidit, qui in causis militaribus coram militum Præside conveniuntur, ut de istis, aliisque Personis privilegiatis agentes in Institutionibus Canonicis adnotavimus (*c*). Quæri hìc solet, a quo puniendi sint Vagi, & Peregrini? Quamvis autem ex Glossa communiter recepta *in l.* 1. *Cod. ubi de crimine agi oporteat*, aliqui affirment, a Judice loci, in quo capiuntur, pro delicto alibi commisso posse puniri, quod quidem variis ampliationibus firmat Farinaccius (*d*); alii tamen probabilius existimant, remittendos ad Judicem loci, in quo delictum patrarunt, si is id forte petierit, ex quo Judici illius loci ratione delicti sint subditi, nec videantur Judici loci, per quem transeunt, quoad punitionem delictorum alibi commissorum subjecti, nisi ad summum in defectum Judicis loci, in quo delictum patrarunt, ut docet inter alios Clarus (*e*). Atque hæc innuisse sat est, cùm materiam de competentia Judicis *in iisdem Institution. Canon.* (*f*) plenius exposuerimus.

(a) *L.* 1. *Cod. ubi de crim. agi oporteat, cap. fin. de foro compet. cum aliis.* (b) *L. Præses Provinciæ ff. de officio Præsid.* (c) *Ibidem.* (d) *Lib.* 1. *prac. quæst.* 7. *num.* 15. (e) *Lib.* 5. *sententiar. in pract. crimin.* 39. *n.* 7. (f) *Titul.* 1. *lib.* 3.

TITULUS III.

De Probationibus in genere.

DElata Judici, per accusationem, vel per denunciationem Criminis notitia, aut alias inquisitione ejusdem ex officio præmissa, supposita insuper ejusdem Judicis ordinaria, vel delegata jurisdictione supra Delinquentes aliquo ex expositis titulis, per quos competentiam induci affirmavimus, Probationes delicti investigantur, quæ vel genericæ sunt, vel, quia propius delicti qualitates attingunt, specificæ nuncupantur. Nomine autem probationis genericæ corpus delicti intelligitur, quod diversimode juxta varias delicti species consideratur, ut infra videbimus.

2. Criminum porro divisioni superiùs (*a*) fuse explicatæ, illa præcipue addenda est, quam consulto ibi prætermisimus, & huic loco reservavimus, qua delicta in permanentia, & non permanentia, seu transeuntia dividi solent; Permanentia sunt illa, quæ post se vestigia relinquunt, v.g. Incendium, Homicidium, Furtum cum fractura, hisque similia; Delicta non permanentia, seu transeuntia illa dicuntur, quæ nullum post se signum relinquunt, ut Hæresis, Adulterium, Injuriæ verbales &c. (*b*). Quamvis autem in utraque specie criminis *probatio in genere* ex corpore delicti resultet, corpus tamen delicti in crimine permanente, ac in crimine transeunte, & non permanente diversimode inspicitur; In crimine enim transeunte, & non permanente, per Testes, & alia indicia corpus delicti comprobari; In crimine autem permanente per ocularem Judicis, vel Notarii visitationem, & inspectionem, quæ dicitur *visum*, *& repertum*, de corpore delicti debet perspicue constare.

3. Ne-

(a) *Tit.1. lib.2.* (b) *Majoran. in apopraxi crim. lib.1. cap.1.*

3. Nequit proinde Judex in crimine permanente ſine oculari viſitatione, & inſpectione ad Inquiſitionem procedere, ideoque Corpus delicti in genere, nempe tam reſpectu criminis permanentis, quam tranſeuntis, baſis, & fundamentum Proceſſus Criminalis vocatur, ita ut ſine illo omnis actus invalidus, & nullus exiſtat, etiamſi deinde confeſſio Delinquentis habeatur; *ad Textum in l. prima ff. ad Senat. Conſult. Syllan.*, & firmat *Farinaccius* (a) cum aliis communiter.

4. Prædicta vero recognitio, ſeu viſitatio quoad crimina permanentia in hunc modum peragitur; Adit Judex locum, in quo delicti ſignum remanſit, ibique per Notarium cum duobus Teſtibus omnes, & ſingulas circumſtantias, quæ in delicto conſiderari poſſunt, exactè, accurateque deſcribit.

5. Dixi, *locum, in quo delicti ſignum remanſit*, a Judice eſſe adeundum, nam licet poſſit is etiam Notario facultatem concedere, locum commiſſi criminis viſitandi, debet tamen de hac facultate data expreſſe conſtare, viſitatio enim iſta eſt actus juriſdictionis, qui nequit a Notario ſine expreſſo Judicis mandato exerceri, ideoque hoc ordine Judicis deficiente, corpus delicti non dicitur comprobatum, ut notat inter alios *Raynaldus* (b). Dixi ulterius, *per Notarium cum duobus Teſtibus circumſtantias criminis eſſe deſcribendas*, neque enim ſimplicis Tabellionis aſſertioni ſine Teſtium depoſitione defertur, ut notat citatus Raynaldus, præſertim quia aliud eſt probare delictum, aliud eſt, quod de delicti corpore conſtet, ad quem effectum identitas rei, ſuper quam delictum commiſſum prætenditur, debet comprobari, quod ſine Teſtibus fieri nequit, ut concludit Farinacc. (c). Rem practice exponemus exemplo Homicidii, neque

(a) *De Inquiſit. quæſt.* 2. (b) *Obſervation. cap.* 32. §. 4. *n.* 17. *& ſeq.* (c) *Quæſt.* 2. *num.* 4.

que enim Inſtituti noſtri ratio patitur per unumquodque delictum rem uberius explanare. Si homicidium fuerit commiſſum, fieri debet a Judice deſcriptio Cadaveris, in qua ſcilicet ætate homo mortuus videretur conſtitutus, quod ex aſpectu judicabitur, niſi aliquis adſit, qui illud recognoſcat, nec non barba, ſtatura, veſtes, capilli, locus, & ſitus, in quo reperitur, una cum numero vulnerum, partibus corporis vulneratis, & armis per Occiſorem adhibitis notabuntur (*a*). Si vero dubium irrepſerit, num vulnera ſint mortalia, an verò occiſus ex alia cauſa naturali obiiſſe potuerit, periti Chirurgi aſſumuntur, qui moribus etiam probi ſint, quorum aſſertioni præmiſſo juramento veritatis dicendæ defertur; idemque eſt affirmandum, ſi de homicidio tractetur, quod creditur ex propinato veneno contigiſſe, tunc enim periti Medici ſeliguntur, qui attente id recognoſcant, & Judici referant (*b*). Ex praxi tamen Gubernii Urbis, & Legationum, forſan ob cauſarum quantitatem, & numerum, abſque ulla ſolemnitate corpus delicti recognoſcitur, vel per modum rogitus, ut inquiunt, ad Teſtium præſentiam, vel per modum examinis, *per extenſum* Teſtium depoſitiones redigendo, ut experientia nos docet, & teſtatur Raynaldus (*c*).

6. Quid dicendum, ſi Cadaver nullo modo reperiatur, ex quo fuerit combuſtum, vel in flumen projectum, vel ſit adeo putrefactum, ut a nemine recognoſcatur? Sane in iſtis circumſtantiis, ne delicta impunita remaneant, præſumptiones, & indicia loco corporis delicti admittuntur (*d*). Poſtremo ſi Cadaver antequam facta ſit dicta deſcriptio, fuerit tumulatum,

(a) *L. ultima ff. ad l. Corneliam de Sicariis, Peregrin. in praxi part. 4. ſect. 1. de denunc.* (b) *Ex citatis auctoritatibus.* (c) *Obſerv. crim. cap. 32. §. 4. & 5. tom. 3.* (d) *Ad Textum in l. ita vulneratus ff. ad legem Aquiliam.*

latum, ut in homicidiis mediante veneno commissis contingere solet, petita Judici Ecclesiastico venia exhumatur, & deinde per Judicem laicum ad probationes corporis delicti proceditur. Judex autem Ecclesiasticus in concessione licentiæ cavere debet, & protestari, ne Reus sententia sanguinis condemnetur; Quam tamen Ecclesiastici Judicis licentiam prærequirere, aut protestationem emittere non indiget Urbis Gubernator, qui ex vi peculiaris Chirographi Urbani Papæ VIII. libere potest exhumationem Cadaverum, eorumque recognitionem suis Ministris absque ulla protestatione demandare. Meritoque ista protestatio in aliis Judicibus Ecclesiasticis, Gubernatore Urbis excepto, postulatur; Exploratum quippe est, Clericos aliquem accusantes, vel quomodolibet influentes in criminis punitionem, cui pœna sanguinis respondeat, nisi hanc protestationem emittant, irregulares evadere, *ex textu literali in cap. postulasti, de homicid.*, ideoque ad hanc irregularitatis pœnam evitandam debent Ecclesiastici Judices eandem facultatem concedentes expresse protestari, *quod citra pœnam sanguinis Reus castigetur*, juxta censuram alterius Textus *in cap. Prælatis, de Homicid. in 6.* (*a*); cujus tamen protestationis effectum Testibus non suffragari communius affirmant; & si in causa sanguinis Clerici testificentur, non obstante protestatione, irregularitatem incurrere, cum nullus magis, quam Testis, Judicio sanguinis cooperari videatur (*b*). Utrum vero Episcopi, aliique Ordinarii absque Sedis Apostolicæ indulto possint Laicis Judicibus Cadaverum exhumationem, & recognitionem permittere, & quomodo id sit exequendum, late expendit Monacellus omnino adeundus (*c*). 7. Quo-

(a) *Late Raynald. observ. crim. Cap. 10. §. 8. & 9. num. 79.*
(b) *Covarruvias in Clement. Furiosi num. 13. vers. his omnibus, Fragos. de Reg. Reip. Christ. p. 1. lib. 5. disp. 12. num. 8.* (c) *Formul. Leg. pract. 1. num. 16. Form. 1.*

7. Quoniam vero Clemens Papa XII. *in Constit. incipien. In supremo Justitiæ solio*, immunitate Ecclesiastica homicidas privavit, exceptis tantum illis, qui casu, vel ad defensam homicidium patrarunt, subdendo Ecclesiasticas Curias ad instantiam Sæcularium cumulatis indiciis ad capturam a Locis immunibus hujusmodi Reos extrahere debere, eosque in carcere retinere, confectoque processu, & constito de casu excepto declarationem emittere, & subinde Reum Sæculari Judici tradere; Benedictus vero XIV. *Constitut. edita* 15. *Martii* 1750. *incipien. Officii nostri*, ulterius præcepit, Reos vulnerum cum gravi periculo etiam in rixa ab eodem loco immuni esse extrahendos, & in carceribus loco Ecclesiæ detinendos, ut deinde eidem Ecclesiæ restituantur, si vulneratus convaluerit, aut brachio Sæculari tradendos, si forsan obierit, ut in Institutionibus Canonicis innuebamus (*a*); Prætereundum idcirco non est, qua methodo se gerere debeat Judex, qui huic causæ præsit; Debebit igitur Ecclesiasticæ Curiæ delicti corpus exhiberi cum alicujus Testis examine de aliquo indicio contra Reum apto ad capturam deponentis, ad quem profecto effectum sufficiet Judicialis inculpatio occisi ante obitum acta. Debebitque ulterius a Curia Ecclesiastica in actu traditionis Rei fides obtineri captæ resolutionis, qua eadem Curia Ecclesiastica definiverit constare de casu excepto, ideoque Reum Curiæ Laicali esse tradendum, quæ quidem fides inserenda erit in processu, & Reo in principio Constituti notificanda, ne alias confitendo crimen sibi blandiatur, restituendum esse Ecclesiæ, nec posse a Judice Laico damnari, ut egregie advertit Mirogli (*b*).

8. Nunc ad probationes delictorum in specie transeamus, neque enim sufficit constare de Corpore

(a) *Sub tit. de immunitate*. (b) *Instit. crim. lib.*1. *cap.*5, *num.* 203.

pore delicti, si probationes in specie deficiant, per quas auctor delicti specialiter constet, & quis inter Reos constitui possit (*a*).

TITULUS IV.

De probationibus in specie.

PRæcipua sanè probatio delicti in specie a Testibus sumitur, qui vel ab accusante, vel a denunciante proponuntur, vel ex officio a Judice examinantur, si is per viam inquisitionis tantum procedat. Cauti tamen esse debent Judices recipientes denunciationes aliquo licet testimonio munitas, si enim quis alterum secreto, & sine expressione proprii nominis denunciaverit, Judex secretum servare non debet, sed in principio Processus, nomen, cognomen, aliasque ejusdem denunciantis qualitates aperire tenetur, quia aliter primus testis examinatus, ipse denunciator esse præsumitur, qui proinde nullam fidem promeretur, ut notat Andreol. (*b*), qui etiam advertit, propter hanc causam cavere debere Judices, ne facile secretas denunciationes excipiant, nisi plures testes ad probandum delictum adducantur (*c*).

2. Illud autem in Testibus peculiari jure advertendum, ne a Reo, vel ab ejus consanguineis, amicis, vel aliis quibuscumque, imo etiam invicem corrumpantur, ad cujus rei periculum removendum plura provido opportunoque consilio statuta sunt in Judiciis criminalibus observanda; & primo Testes non citata parte recipiuntur, & secreto ac sigillatim testimonium proferunt, ne unus alterum instruat, & veritatem occultet (*d*). Secundo, exprimere debent proprias qua-

(a) *Late Pellegrin. prax. crim. par.4. n.1.* (b) *Controv. 345. num.1.* (c) *Late Raynald. observ. Crim. tom.1. cap.1. §.1. ad 7.*

(d) *Gloss. in cap. cum causam verbo Procuratores de Testibus, & cap. Venerabilis verbo Sigillatim eodem tit.*

litates, an ſcilicet domeſtici, vel vicini ſint, vel an ab accuſatore, vel conteſte fuerint inducti, aut quanam alia ex cauſa fuerint ad examen acciti, ne aliter ſponte acceſſiſſe videantur, & ſic falſitatis urgeat ſuſpicio, quæ etiam cauſa eſt, cur per citationem, quæ in actis refertur, ad informandam Curiam vocantur. Tertio, non omnes ad ferendum teſtimonium admittuntur; qui enim in Judicio Civili teſtes eſſe non poſſunt, etiam in Cauſis Criminalibus excluduntur; idemque dicendum de illis, quos ſupra diximus, accuſare non poſſe, niſi tamen agatur de atrociſſimis delictis, & de iis, quæ difficile probari poſſunt, in quibus circumſtantiis etiam Teſtes inhabiles, exceptis inimicis capitalibus, qui nunquam in Teſtes poſſunt aſſumi, libere admittuntur. Imo in aliis etiam quibuſcumque delictis quilibet poſſunt ad Curiam informandam vocari, etiam ſi quatenus inhabiles fuerint, fidem, & probationem non faciant, ut notant Carpzovius (*a*), & Sanzius (*b*). Quarto ſi de perſona tractetur alteri ſubdita, præſertim vero regulari, Judex inquirere debebit, an debita ſit Prælati ſui facultate munitus, ut notant S. Thomas (*c*), & Sotus (*e*); imo, ſi debitam is facultatem exhibeat, & de delicto tractetur pœna mortis, vel membri mutilatione puniendo, laudabile erit, vel denunciantem, vel teſtem Clericum monere, ut ſaltem proteſtationem emittat, quod non intendit accuſatum, vel inquiſitum pœna ſanguinis condemnari, ad evadendam ſcilicet irregularitatis pœnam, quam ex defectu lenitatis alias incurreret, & quam ſupra pariter de Judice agentes expoſuimus. Quinto demum, ante examen debent Teſtes juramentum veritatis dicendæ in manibus Judicis, vel Notarii præſtare, Sacroſanctis Evangeliis, vel Scripturis manibus tactis, quo juramento

(a) *Proceſſu crim. num. 3. quæſt. 1.* (b) *De re crim. contr. 1. tom. 1.* (c) 2. 2. *quæſt. 98. art. 4.* (e) *De Juſtit. & Jure lib. 6. quæſt. 5. art. 1. ad 3.*

mento deficiente nullam probationem atteſtationes conficiunt (*a*).

3. His vero omnibus præmiſſis ad interrogationes proceditur, & primo interrogatur Teſtis de nomine, & cognomine, patria, habitatione, exercitio, & an cauſam ſciat, vel ſaltem conjicere poſſit, propter quam fuit ad examen vocatus, deinde vero ſuper articulis ad cauſam, ſeu crimen particulariter pertinentibus, qui ad decem prædicamenta ſolent reduci, nam Teſtis interrogatur, a quo, ſeu quibus homicidium v.g. fuerit commiſſum, quis fuerit occiſus, quando, quomodo, ubi, quo inſtrumento, quibus præſentibus, & qua de cauſa, debet enim in Proceſſu de cauſa delicti conſtare; inſuper de cauſa ſcientiæ interrogatur, quam per unum ex quinque ſenſibus corporis reddere debet *ad Textum in cap. cum cauſam, de Teſtibus*, ubi Gloſſa ſequentes verſiculos addit:

Auditus, viſus, perſona, ſcientia, cauſa,
Fama, locus, tempus, aut certum credulitaſque;
Dum Teſtes recipit Judex, hæc cuncta notabit.

Et poſtremo omnia per Notarium fideliter, exacteque, eo modo, quo proferuntur, ſcribi debent, interrogationes quidem lingua latina, reſponſiones autem vulgari; & in fine examinis Teſtis ſubſcribit, vel ſigno Crucis examen ſignat, ſi ſcribere neſciat. Si vero Teſtes inhabiles fuerint, poſſunt ſolum Judicem ad inquirendum excitare, ſed nullam nec ſemiplenam quidem probationem conficiunt, ut ſupra notavimus. Multoque magis id affirmandum de Teſtibus contrariis, & inveriſimilia deponentibus, aut de Teſtibus unicis, & ſingularibus, qui circa ſubſtantialia differunt, atque diſcordant; ſubſtantialia autem hoc verſiculo continentur.

Res, perſona, locus, gradus, hæc ſunt conſona, tempus.

Oo 2 4. Sin-

(a) *Ad Textum in cap. Nuper; & cap. Tuis cum aliis de Teſtibus, l. jusjurandi, & l. ſolum Cod. eod. tit.*

4. Singularitas autem Testium tripliciter consideratur; alia est enim adminiculativa, alia diversificativa, alia obstativa. Adminiculativa dicitur, cum diversos actus ad eumdem finem tendentes Testes deponunt, v.g. cum super crimine homicidii duo, vel tres actus a Testibus affirmantur, qui licet diversi sint, ad ejusdem tamen criminis probationem ordinantur. Diversificativa dicitur, cum diversos actus Testes deponunt, ex quibus in rei substantia diversitas videtur induci, ut si unus in crimine mandati numerationem pecuniæ in certo loco, & tempore factam fuisse affirmet, alius vero aliam numerationem diverso tempore locoque deponat. Obstativa demum est, cum circumstantiæ essentialiter oppositæ deducuntur, ut si quis asserat Petrum a Paulo tali die in platea Agonali occisum fuisse, alter vero Testis deponat id altera die in foro bovario contigisse.

5. Jam vero singularitas adminiculativa probationem plusquam semiplenam inducit. Diversificativa vero eo casu unice probat, quo de delicto in genere, & de actu iterabili agitur. Obstativa tandem nullam probationem constituit, ut notant Doctores supra citati. Ideoque etiamsi possint Judices ex solis depositionibus singularibus ad inquisitionem, vel etiam ad Reorum capturam devenire, præsertim si tales depositiones a persona bonæ opinionis, & in dignitate constituta processerint, tamen si singularitas obstativa fuerit, quæ assertiones Testium uti falsas rejicit, id facere nequeunt (*a*).

6. Plura tamen in materia Testium animadvertenda supersunt, & primo quidem testes contestes, & non singulares vocari, etiamsi inter se in contestes non appellentur, dummodo in depositionibus sint secum concordes (*b*); ideoque non sunt tamquam contestes interrogandi, si enim deinde examinati non fuerint,

(a) *Conciol. resol. crim. verbo Falso resol. 19., Farinac. quæst. 66. aliique communiter.* (b) *Farinac. quæst. 64. num. 29.*

rint, auditi præſumentur, quodque contra Fiſcum depoſuerint; immo idem continget, ſi examinati cum fuerint, non interrogentur ſuper peculiari re, in qua conteſtes vocantur; acceditque aliud periculum, quod nempe haudquaquam verificent dictum illius, qui eos in conteſtes appellat, eoque caſu dictum alterius Teſtis pro Fiſco deponentis nihil concludit, ut pluribus citatis notat allegatus alias Mirogli (*a*).

7. Advertendum ulterius eſt, ante Teſtium examen Fiſcalem comparitionem eſſe præmittendam, in qua Teſtes inducantur, aut ſaltem in fine proceſſus cautius eadem comparitio cum ſerie Teſtium eſt apponenda. Dixi, comparitionem hanc cum inductione Teſtium præmittendam, alias enim primus Teſtis accuſator ipſe præſumitur, ut poſt Decianum (*b*), nos etiam ſupra innuebamus. Addidi cautius in fine proceſſus eſſe inſerendam, ne alias ii reperiantur inducti, & allegati, qui non fuerunt examini ſubjecti, quo quidem caſu contra Fiſcum depoſuiſſe præſumerentur, juxta reſponſum quadrageſimum *Vulpellii*.

8. Advertendum tertio eſt, extenſionem depoſitionum a Teſtibus prolatarum uſuali ſermoni Teſtium reſpondere debere, ne alias cenſeantur inveriſimiles, aut per ſuggeſtionem extortæ. Advertendum tandem eſt, Teſtium depoſitiones ſcindi non poſſe, eas in parte Fiſco favorabili deſcribendo, in alia vero reticendo, ut advertunt Guazzin. (*c*), & Farin. (*d*), idque in Urbe expreſſe prohibetur *in Conſt.*81. *Pauli V. ſuper reform. Tribunalium* §. *Reſponſiones*, & §. *Nec ullo*.

9. Aliqua tamen ad uberiorem hujus materiæ intelligentiam breviter ſunt inveſtiganda; primo ſcilicet quot Teſtes requirantur; ſecundo an Teſtes de auditu plenam probationem conficiant; quemnam inſuper probationis gradum Teſtes contrarii conſtituant; quidque ulte-

(a) *Lib.*1. *inſtruct. crim. cap.*5. *n.*114. & *ſeq.* (b) *Reſponſ.*93. *n.*125. *volum.*2. (c) *Defenſ.*14. *n.*3. (d) *Quæſt.*74. *n.*16.

ulterius dicendum, ſi contrarietas in diverſis Teſtibus adſit, quorum alii pro Reo, alii contra Reum depoſuerint; & tandem an ſi contrarietas ſit in uno, eodemque Teſte, prior ne, an poſterior depoſitio ſit attendenda? Facili autem negocio hæc omnia diſſolvuntur; quod enim ſpectat ad numerum Teſtium, nihil antiquius habemus, quam quod in ore duorum, vel trium Teſtium ſtat omne verbum (*a*), unde concluditur duplicem ſaltem Teſtem eſſe oportere, ut fuſius oſtendimus in Inſtitutionibus Canonicis (*b*). Quod vero ſpectat ad alteram controverſiam de Teſtibus de auditu deponentibus, quidquid porrò ſit an in materia civili, præſertim in antiquis, aliquam ſibi fidem Teſtes adſciſcant, ut variis ampliationibus, & limitationibus advertit Gabriel (*c*); Certe in Criminalibus plena, & concludens probatio per Teſtem de auditu deponentem minime inducitur, & ad ſummum concurrentibus indiciis poteſt Reus extraordinaria pœna damnari (*d*).

10. Poſtremo ad Teſtium contrarietatem deveniendo iterum redit animaverſio de ſingularitate adminiculativa, vel diverſificativa, vel obſtativa, ita ut ſingularitas obſtativa nullum probationis gradum conficiat, ſecus autem adminiculativa, vel diverſificativa. Addendum inſuper, quod ſi contrarietas in diverſis Teſtibus adſit, magis deferendum eſt illis, qui pro Reo, quam qui contra Reum depoſuerunt, ut notat Cæpolla (*e*), niſi forſan Teſtes contra Reum deponentes nulla exceptione laborent, gravemque e contra exceptionem alii Teſtes patiantur, ut ratiocinatur Gabriel ſupra citatus (*f*); Et demum quod ſpectat ad Teſtem in depoſitione contrarium, aſſerendum eſt, eſſe torquendum, ſi contrarietas in ſubſtantialibus accidat, alias

(a) *Cap. Licet 23. de Teſtibus.* (b) *Lib. 3. tit. 14.* (c) *Communium Concluſionum lib. 1. de Teſtibus concluſ. 4.* (d) *Late Baſſanus Theoric. prax. crim. lib. 2. cap. 1. n. 96. & ſeq.* (e) *Conſil. crimin. 1. column. 2.* (f) *Eodem loco.*

alias enim si non fuerit circa factum principale, vel circumstantias substantiales, depositio prior non infringitur, & similes variationes non attenduntur, ut notant Burlat. (*a*), & Clarus (*b*).

11. Cæterum cùm maximum toti Reipublicæ inferretur præjudicium, si in arbitrio testium repositum esset ad deponendum accedere, vel non, ut cuique planè exploratum est, hinc possunt Judices, vel mulctis pecuniariis, vel pœna carceris, vel aliis arbitrariis afficere testes verisimiliter informatos, & vocatos ad examen venire recusantes, vel veritatem aperire nolentes (*c*), solis exceptis agnatis, affinibus, collateralibus, septuagenariis, valetudinariis, aliisque personis privilegiatis, quarum attestationes si spontè emissæ fuerint, valent, sed ad deponendum compelli non possunt, nisi aliunde veritas innotescere nequeat (*d*), vel nisi de causis Sacræ Inquisitionis, vel de atrocibus delictis agatur, quo quidem casu consulto Principe ad Testimonium admittuntur (*e*).

12. Postremo animadvertendum, quod cum Interrogationes suggestivæ facile possint testes ad falsas depositiones adducere, hinc debent omnino Judices ab illis abstinere, aliter Processus non sustinetur (*f*); idque intelligitur non solum si suggestio fuerit aperta, v.g., siquis interrogetur an Titius cum pugione, vel alio instrumento tali die fuerit a Cajo interfectus, verum etiam si palliata dicatur, per hoc, quod ex interrogatione Judicis suggestio minime appareat, licet re ipsa eadem interrogatio suggestionem contineat, prout contingeret, si facta interrogatione Judex ad respondendu-

(a) *Consil. 400. n. 11. volum. 4.* (b) *Quæst. 53. versic. Scias tamen.* (c) *Cavalcan. de brach. Reg. part. 1. n. 128., & Sabell. in Summa verbo Testimonium n. 25.* (d) *Can. si Testes §. Inviti 4. q. 3. l. Inviti ff. de Testibus, cum aliis.* (e) *Late Carena de officio S. Inquisit. part. 3. tit. 5. §. 3. n. 2.* (f) *Per Textum in l. 1. ff. de quæstionibus.*

dendum testem instrueret; aliasque similes species supra relati Doctores enumerant, quibus addendi sunt *Farinac.* (*a*), *Ciaz.* (*b*), & *Cyriac.* (*c*). Cæteras vero suggestionis classes supereminere videtur illa, per quam nullatenus deprehenditur, aut apparet, qua de re fuerit Testis interrogatus, quia forsan scriptum reperitur ad opportunas Domini interrogationes, vel opportune interrogatus, qui quidem modus expresse prohibetur a Paulo V. *in Constit.incipien.Universi agri*, *edita Kalendis Martii* 1611. *quæ in Bull. est tom.*5. *in ordine* 471. §.10. ibi: *Et tam Reos, quam Testes interrogent, descriptis, & extensis a Notario integrè verbis omnibus interrogatorii, rejecto prorsus, & sublato abusu illo scribendi ad opportunam Domini interrogationam, vel interrogatus respondit, aut subdens interrogatus, aut simili, quam tamquam perniciosam, & uti suggestivarum interrogationum velamentum, & fraudibus plenum damnamus*. Hac tamen provida Constitutione non obstante, duas Doctores limitationes admittunt, in quibus hæc forma examinis potest aliquando sustineri; primo scilicet si Reus, vel Testis perfecte non respondisset, vel si ejus responsio integritatis vitio laboraret. Secundo vero in Teste, qui in corpore delicti in genere adhibeatur, nihil enim videtur suggestionem redolere, si ita interrogetur, cùm nihil aliud Testis deponere debeat, quam ea, quæ fuerunt a Notario descripta (*d*). Quoniam vero quando delictum per Testes probari nequit, ad indicia, & præsumptiones recurritur, ideo de indiciis, & præsumptionibus est nunc pertractandum.

TITU-

(a) *Quæst.*43. (b) *Ad defension.Reor.defens.*9. (c) *Cons.*150.
(d) *Late Cartarius pract. interrog. Reor.lib.* 3. *cap.*3.

TITULUS V.

De Indiciis, & Præsumptionibus.

INdicium, quod ab indicando nomen sortitur (a), definitur communiter: *Signum ex probabilibus ortum, & ad aliquid de altero credendum, vel prudenter suspicandum inducens*: In duas autem Classes dividitur, scilicet in indubitatum, quod etiam plenum dicitur, & dubitatum, quod non plenum vocatur. Primi generis indicium est illud, quod ita animum Judicis movet, & quodammodo arctat, ut contrarium credere nequeat, ideoque indicium necessarium appellatur (b). Exemplum hujus indicii est in eo, qui visus est cum gladio sanguinulento ab aliqua domo pallidus egredi, si enim in ea domo homicidium fuerit commissum, indicium indubitatum urget, illum qui exivit Reum existere, pluraque alia exempla referunt Menoch. (c), & Raynald. (d). Indicium autem dubitatum, & non plenum in eo consistit, quod Judicis animus ad aliquid suspicandum inclinet, licet de rei veritate non sit undique certus, sed in dubio versetur: Casus hujus indicii figurari potest in eo, quem furti Reum Judex conjiceret, ex quo, tempore commissi furti in eadem domo reperiretur, tale enim indicium non est adeo certum, ut per contrarium indicium destrui nequeat (e).

2. Dividitur secundo Indicium in proximum, & remotum. Proximum est illud, quod immediatè delictum respicit, illudque concludit, cujus generis est dictum de visu unius Testis omni exceptione majoris. Indicium remotum est illud, quod potius circumstantias remotas delicti, quam delictum attingit, cujus

 gene-

(a) *Ad Text. in L. quod fas §. qui furem ff. de furtis.* (b) *Farinac. quæst. 36. n. 36.* (c) *De arbitrar. casu 278.* (d) *Tom. 2. Observ. Crim. cap. 21. §. 3.* (e) *Farinac. loc. cit.*

generis sunt fama, fuga, præcedens inimicitia, vultus notabilis pallor, sermonis trepidatio, aliaque similia, quæ crimen prodere solent juxta versiculum:

Ob quam difficile est crimen non prodere vultu!

3. Tertia divisio indicii est in leve, grave, & gravissimum (*a*); Leve indicium consistit in mera criminis suspicione, vel ex aliqua diffamatione, vel exaltera causa de altero concepta, v.g. quæ ex mala physonomia, pallore, aliaque circumstantia deducitur. Grave indicium dicitur esse, quod ab actione aliqua oritur juxta prudentum æstimationem cum delicto connexa; Talia sunt indicia, quæ proxima delicto esse affirmavimus. Gravissimum denique indicium est illud, quod certitudinem quamdam moralem actus inducit, cujus generis indicium violentum, & indubitatum vocatur (*b*). Inter hæc autem indicia discrimen est, quod indicia levia solum ad inquirendum, non autem ad aliquem condemnandum, vel torquiendum sufficiunt (*c*). Gravia vero licet ad condemnandum non prosint, satis tamen sunt ad toquendum. Gravissima postremo ad torquendum, & condemnandum, satis apta censentur, ut notat *Farinaccius quæst.86.* ubi quæstionem examinat, num Reus casu quo sit per gravissima indicia convictus, sed non confessus, pœna ordinaria, an extraordinaria sit condemnandus, idque a consuetudine loci, & Judicis arbitrio pendere concludit. Nos tamen uberius infra materiam hanc pro Urbe, & Pontificia ditione examinabimus.

4. Possunt profecto plura indicia simul etiam conjungi, ita ut ex pluribus indiciis non indubitatis etiam remotis unum indubitatum, ex pluribus levibus unum grave, & ex pluribus gravibus unum violentum oriatur, quidquid alii in contrarium existiment

(a) *Clar. §. fin. q.20. n.2.* (b) *Clarus loco citato.* (c) *L. fin. ibique Glos. Cod. de probat. L. qui sententiam Cod. de pœnis. Menoch. casu 279. Bonfin. ad bannimenta generalia Status Ecclesiast. cap. 18.*

ment (*a*) ; Imo pluribus indiciis arbitrio Judicis simul unitis potest contra delinquentes procedi, ut notant Farinacius (*b*), & Bonfinius (*c*), ita tamen ut si tortura sit inferenda, plura debeant levia, & gravia indicia concurrere, si vero Reus sit condemnandus, cum pluribus violentis, & indubitatis indiciis fieri potest, eoque casu *pœna dumtaxat extraordinaria* solet imponi, ut notat Zuffus (*d*) ; quod tamen limitandum est in delictis atrocissimis, & qualificatis in Urbe, & Statu Ecclesiastico actis, ut infra videbimus.

5. Ex indiciis autem legitimis præsumptiones resultant, quæ licet cum indiciis confundi posse videantur, tamen tanquam conclusio a medio ab iis distinguuntur (*e*). Præsumptiones vero in tres Classes dividi solent, nempe in præsumptiones hominis, præsumptiones Juris, & præsumptiones Juris & de Jure. Præsumptiones hominis illæ sunt, quæ in Jure non exprimuntur, sed in mente hominis ex variis conjecturis, sive argumentis producuntur, & sicuti conjecturæ, ex quibus dictæ præsumptiones nascuntur, in gravissimas, graves, & leves dividi possunt, prout supra notavimus, ita in easdem species eædem præsumptiones divisæ possunt considerari (*f*). Præsumptiones juris sunt illæ, quæ in jure sive Canonico, sive Civili reperiuntur expressæ, qua ratione quisque in jure bonus præsumitur, nisi contrarium probetur (*g*). Præsumptiones tandem juris, & de jure illæ dicuntur, quæ non solum de jure reperiuntur expressæ, verum etiam pro certis approbatæ ; Exemplum hujus præsumptionis affertur in eo, qui propter hæresim, de qua erat suspectus, fuerit in contumacia excommunicatus, iste enim post annum hæreticus declaratur, & ut talis damnatur, quia non solum jure

(a) *L. siquis Cod. ad L. Juliam de adulteriis*. (b) *Quæst.47.* (c) *Ad Bannimenta cap.18. cum aliis*. (d) *De legit. Processus lib.1. q.43.* (e) *Menoch. de præsump. lib.1. quæst.1.* (f) *Amen. in Proxi Crim. tit.3. q.5.* (g) *Cap. dudum cum aliis de præsump.*

præsumitur hæreticus esse, verum etiam jure ipso disponitur, quod pro hæretico teneatur; Ideoque differentia est inter istas, aliasque præsumptiones, quod aliæ præsumptiones per contrarias probationes eliduntur, præsumptiones autem juris, & de jure probationem in contrarium minime admittunt (a).

6. Quodlibet igitur delictum, vel per Testes, vel per indicia, & præsumptiones probatur; Testes exceptione carentes plenam criminis probationem constituere dicuntur, talem scilicet, ut possit Judex ad sententiam contra Reum devenire; idemque dicendum, si aliunde de delicti evidentia constiterit, vel si Reus illud confiteatur, de qua confessione infra tractabitur. Indicia, & præsumptiones semiplenam probationem conficiunt, eam, nempe & talem, ut possit quidem Judex ea attenta delinquentem torquere, nequaquam autem pœna ordinaria eundem regulariter, & plerumque damnare; quod etiam militat de unius Testis exceptione majoris depositione, & de confessione Rei extrajudiciali, aut alia simili, quæ plenam fidem facere nequeat. Verum, si præter unius Testis depositionem, confessionem extrajudicialem delinquentis, aliamque similem semiplenam probationem, alia quoque indicia concurrant, plusquam semiplene delictum dicitur comprobatum, ideoque potest Reus repetita tortura damnari, & pœna saltem extraordinaria pro criminis qualitate puniri (b).

7. Prætereundum tamen non est in materia indiciorum, quod supra pro Urbe, & Ditione Pontificia attacturos nos fore promisimus, nempe Benedictum XIV. ut opportune prospiceret frequentiæ homicidiorum, aliorumque qualificatorum criminum, quæ in Urbe, & Ecclesiastico Statu a Reis perpetrantur, sub fiducia præsertim, & confidentia, quod si sponte delictum non

(a) *Alciat. de præsumpt. p.2. num.4. & sequen.* (b) *Raynald. tom.3. cap.34. §.12.*

non fateantur, aut illud fatentes in tormentis, a ratificatione se abstineant, ultimum supplicium sint evasuri, an.1743. particularem Congregationem convocari coram Urbis Gubernatore mandasse, ubi sequentia quinque dubia proposita sunt, quorum resolutiones edito peculiari Chirographo sub die 2. Jan. 1743. Sanctitas Sua per modum Legis universalis in Urbe, & eodem Ecclesiastico Statu servandæ approbavit, Apostolicæque Auctoritatis robore communivit. Dubia autem, eorumque resolutiones ita concipiuntur. Primo: *An duo, vel tres Testes concludentes pernecesse delictum, & aliquas patientes exceptiones præter illas, pro quibus Testes de jure in totum repelluntur a testificando, possint suppleri tam ex aliis indiciis, & conjecturis probatis per Testes minus habiles, & idoneos, quam ex numero Testium ad effectum imponendi pœnam ordinariam?* Responsum: *Attentis frequentia delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadunt promeritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret, in Tribunalibus Supremis, & suas vices gerentibus, ac in delictis atrocissimis, homicidiis appensatis, & furibus famosis posse suppleri, tam in indiciis, quam ex numero etiam per Testes minus habiles, & idoneos.* Secundo; *An idem servandum sit in delictis sequutis in lupanaribus, custodiis Birruariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii Testes, quam Personæ infames?* Responsum: *Affirmative, dummodo suppletio fiat per indicia, & conjecturas, quæ probentur per alios Testes.* Tertio: *An contra convictum indiciis indubitatis concludentibus pernecesse taliter, ut adimant ab animo Judicis omnem rationabilem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit, deveniendum sit ad pœnam ordinariam?* Responsum: *Affirmative.* Quarto: *An concurrentibus duabus semiplenis probationibus possint hæ insimul conjungi ad imponendam pœnam ordinariam?* Responsum: *Negative.* Quinto demum: *An in contestationibus*

bus faciendis Reis, quando indicia sunt de illis proximis indubitatis, possint reticeri aliquæ circumstantiæ ad hoc ut in casu, quo Rei tormentis subjiciantur, & tales circumstantias non contestatas fateantur, haberi possint pro verificationibus a parte post confessionis, taliter ut opus non sit ratificatione ad imponendum pœnam ordinariam? Responsum: *Negative*.

8. Quamobrem, si in iis circumstantiis res sit, de quibus enunciatæ resolutiones loquuntur, quæ, ut diximus, a Benedicto XIV. fuerunt confirmatæ, Advocati Fisci partes erunt urgere, ut Reus per certa, evidentia, & indubitata indicia in atrocissimis, & qualificatis delictis supra expositis convictus ultimo supplicio damnetur, licet negativus. Merito autem citatus alias Mirogli ex alterius etiam selectissimi Fiscalis Urbis prædecessoris sui consilio, & monito advertit (a) pro eorum Judicum instructione, qui criminales processus sunt confecturi, quod sive indiciorum, sive præsumptionum congeriem contra Reum urgentium, in quodam quasi speculo describere curent, in tres classes omnia dividendo, in quarum prima, quæ *ante delictum*, in altera, quæ *in delicto*, in tertia, quæ *post delictum* resultant, accurate recenseant; tali enim medio ictu veluti oculi delinquentium reitas innotescit, ut theoricam hanc ad praxim redigendo fusius citatus Auctor exponit. Nunc Titulus sequitur de Captura, quæ post legitima indicia a Judice demandatur.

TITULUS VI.

De Reorum Captura.

NE Rei pœnas delictorum veriti fugam arripiant, & sic Judicis sententiam, & auctoritatem eludant, post captas legitimas informationes custodiæ causa carceri

(a) *Instruct. Criminal. cap. 3. num. 100.*

ceri traduntur (a). Imo si sit suspicio fugæ, & periculum sit in mora, vel si de atrocissimis delictis, aut occultis agatur, vel de persona delinquere solita, vel si aliæ circumstantiæ concurrant, quæ judicio prudentum capturam flagitare videantur, etiam non inchoato Processu potest captura incunctanter decerni, ut notant Farinaccius (b), Pellegrinus (c), aliique communiter.

2. Judices autem capturam decernentes debent, vel ratione originis, vel domicilii, vel delicti Inquisito præesse, juxta ea, quæ *in titulo de foro competente* fuse notavimus, & firmant Salicet. (d), & Covarruvias (e). Ideoque cum Judices Laici nullo ex expositis titulis possint in Clericos jurisdictionem exercere, *ad plures Textus in tit. de foro compet.*, nequeunt consequenter eosdem carceri addicere (f); & licet si in fragranti Clerici delinquentes reperiantur, possint a Judice Laico retineri, tamen Ecclesiastico Judici sunt immediate tradendi, ut pœnis debitis afficiantur (g).

3. Captura porro per Officiales Curiæ fieri debet præcedente Judicis mandato in scripturam redacto (h), & quacumque die, & tempore etiam feriato eamdem exequi possunt, si de crimine agatur, vel etiam pro causa civili, si debitor suspectus de fuga rationabiliter judicetur (i); infirmus autem de crimine indiciatus in carcerem detrudi nequit, donec convalescat, ne afflictio addatur afflicto, sed vel fidejussionem de comparendo debet præstare, vel datis Custodibus debet caveri, ne fugæ se tradat; Sicuti etiam mulieres honestæ in carcerem non conjiciuntur, sed vel propria domus iis pro carcere datur, vel in aliquod Monasterium mittun-

(a) *Farinacc. in praxi crim. part. 3. quæst. 111.* (b) *Quæst. 27. usque ad num. 35.* (c) *In praxi crim. part. 4. sect. 8.* (d) *In l. 1. num. 3. Cod. ubi de crimin. agi oport.* (e) *Pract. quæst. cap. 11. tom. 2.* (f) *Cap. cum non ab homine, de Judiciis.* (g) *Felin. in cap. si vero de sent. excomm.* (h) *Bonfin. ad Bannimenta Generalia cap. 37. num. 1.* (i) *Bald. in l. fin. Cod. de exhib. Reis.*

mittuntur, *ad Textum in cap. Mulieres, de Jud. in 6.*; & notant Clarus (a), aliique.

4. Apprehensus itaque Reus, & carceri traditus, vel, si citatus fuerit, coram Judice per seipsum compareat, (quod raro contingit,) intra triduum a die capturæ, juxta praxim Tribunalium Urbis examinatur, seu constituitur (imo ultra tres dies ex Bulla Pauli V. 71. alias allegata §. 10. nequeunt in secretioribus carceribus detineri antequam examinentur, nisi causæ natura aliud suadeat), & si ab ejus primo examine nihil probari possit, cumulatis a Fisco indiciis iterum iterumque examini, & constituto subjicitur, in quo primo interrogatur de nomine, ætate, patria, exercitio, & de causa, propter quam in loco examinis reperitur, prout supra de testibus diximus, deinde vero super indiciis particularibus a Fisco collectis, ex quibus delictum concluditur, quibus capite operto, & manibus vinctis debet respondere, si vilis persona fuerit, si vero Nobilis, in loco inferiori sedebit; Uterque tamen, nempe sive Nobilis, sive plebejus existat, examen subscribet, aut propria manu signo Crucis signabit, si scribere nesciat; In Statu autem Ecclesiastico juramentum veritatis dicendæ Reo, qui ut principalis constituitur, non est deferendum, vigore Constitutionis S. M. Benedicti XIII. in Concilio Romano promulgatæ, quam alibi innuimus. Absit autem, ut quis opinetur, Reo minutatim omnes, & singulas circumstantias adnexas delicto esse contestandas, talis enim contestatio suggestionem præseferret, ratione cujus confessio Rei nulla, & irrita foret, ut notat Farinaccius (b).

5. Quemadmodum vero Judices maximam debent diligentiam adhibere, ut Reum ad Confessionem veritatis disponant, cujus diligentiæ regulas quasdam profert Chartar. (c); Ita æque abstinere debent a fictionibus,

(a) *Quæst. 28. n. 23.* (b) *Cons. 185. n. 9. & seq.* (c) *In prax. interrog. Reos lib. 2. cap. 3.*

nibus, fallaciis, aliisque fraudibus quibus confessionem extorqueant; Hinc uti prohibentur interrogatoriis suggestivis, ut de Testibus diximus, itemque ob eamdem causam impunitatem Reo dare non possunt, nisi in ea circumstantia res sit, ut cum jam per Testes, aliaque indubitata indicia *de crimine constet*, adhuc Reus mordicus negat, in quibus circumstantiis licebit *de speciali Principis facultate*, impunitatem promittere, ut notant Farinacius (*a*), Clarus (*b*), & Chartar. (*c*); licet valde dubium sit, an in prædictis circumstantiis, in quibus jam aliunde de crimine constat, Judex teneatur promissionem impunitatis servare (*d*). Dixi, *de speciali Principis facultate*; impunitatis enim concessio ad Principem spectat (*e*). Dixi ulterius, rem esse undique dubiam, an *cum aliunde de crimine constat*, Judex debeat promissionem impunitatis servare. Nam regulariter Judex etsi forsan auctoritate propria impunitatem promiserit, illam servare tenetur, & si non possit, Reum saltem monere compellitur, ut id ante confessionis ratificationem intelligat, cum turpe sit aliquem sub fide publica decipi (*f*). Quatuor tamen conditiones regulariter in concessione impunitatis generaliter, & indefinite promissæ, præsertim si Edicto promittatur, apponuntur. Prima, quod ea primo venienti conceditur, ad evitandam difficultatem, an si omnes accedant, omnibus sit concedenda. Secundo, quod non sit principalis delinquens. Tertio, quod integre veritatem fateatur. Quarto tandem, quod is, cui impunitas datur, delinquentem ita designet, ut per indicia apta ad torturam possit apprehendi, & si sit contumax condemnari, alias enim nulla impunitatis promissio servatur(*g*).

(a) *Quæst.81.c.8. n.285.* (b) *In praxi §.fin. quæst.55.* (c) *De interrogat. Reorum lib.2. cap.1.* (d) *Chartar. loc.cit. n.39. & sequ.* (e) *Ad Text.literalem in l.relegati ff. de pœnis.* (f) *L.1. Cod. qui veniam æt. impetr. Late Pignatell. contr. for.53. n.11.* (g) *Raynald.observ. crim. tom.1. cap.2. §.4. n.28.*

6. Curiose aliqui inquirunt, quare examen Reorum Constitutum vocetur? Placent sane aliis omissis duæ responsiones. Prima est Morelli (a), qui docet, examen Rei constitutum vocari, quia Reus coram Judice sistitur, & constituitur; Altera responsio affertur a Guazzino (b), qui ita ratiocinatur: *Sicuti visitatio, & recognitio cadaveris visum, & repertum vocatur, quia relatio Notarii sic incipit, sic examen Rei dicitur constitutum, quia Rei examen incipit: Constitutus personaliter &c.* Idemque existimat Clarus (c).

7. Cum vero major probatio dari non possit, quam proprii oris confessio (d), fit, ut ubi reus in Constituto, seu examine delictum confiteatur, nihil supersit desiderandum. Verum ut talis confessio Fisco suffragetur, & possit Judex ea attenta ad sententiam procedere, plura requiruntur; scilicet quod sit verisimilis: quod veritatem quoad omnes circumstantias saltem substantiales in confessione narratas contineat: quod non sit dubia, & generica, sed perspicua, & causam exprimat, propter quam delictum fuit perpetratum: item quod constet de corpore delicti, alias enim non obstante confessione Reus puniri non poterit, cum corpus delicti, criminalis processus fundamentum existat: quod indicia insuper præcesserint, sine quibus Judex privato homini æquipollet: ut insuper principaliter, & non incidenter sit acta: & demum quod non fuerit revocata, sicuti etiam simplex, & pura esse debebit, nec cum aliqua qualitate delictum excusante, aut minuente, ut advertit inter alios *Farinac*: *q*.81., ubi sub *n*.324. notat, confessionem prædictis conditionibus munitam in fine examinis a Fisco esse acceptandam. Quæri autem solet, an Reus possit confessionem a se factam revocare? Communius vero affirmative respondent, si ostendere ve-

(a) *In tit. de remiss. Clerici cap.1. §.8.* (b) *Ad defensam defens.20. cap.4.* (c) *Quæst. 45.* (d) *Per Text. in cap. per tuas, de probat. in l.1. cum aliis ff. de Conf. L. qui sententiam Cod. de pœnis.*

re velit primam confessionem suam erroneam extitisse, licet Clarus (a) contrarium in praxi servari fateatur, si confessio emissa fuerit sponte, vel extra tormenta ratificata.

8. Quæri insuper solet, si Reus qualificatam confessionem emittat, ex qua delictum quidem fateatur, sed qualitatem addat illud excusantem, vel minuentem, an talis confessio possit a Judice scindi, nempe pro ea parte, quæ criminis confessionem continet, acceptari, pro altera vero, in qua criminis excusatio adjicitur, reprobari? Communior vero sententia, quam tenent Farinac. (b), Gomez. (c), aliique, distinguit delicta, quæ in se mala sunt, & a jure communi prohibita, cujus generis sunt homicidium, rapina, injuria &c. ab iis delictis, quæ de sui natura, & jure communi non prohibentur, cujus generis est extractio frumenti extra territorium, quæ Statutis locorum, vel Decretis Principum tantum interdicitur; Cumque in delictis primi generis indistincte dolus contra committentem præsumatur, merito docet, posse confessionem Rei pro parte, in qua delictum confitetur, acceptari, pro parte vero altera, in qua delictum excusat, impugnari, atque hujus regulæ ampliationes varias adducit idem *Farinac.* (d); Si vero de Criminibus secundi generis pertractetur, iidem Doctores existimant confessionem Rei in delictis partim acceptari, partim impugnari non posse. Alia autem æque plausibili ratione quæstionem hanc dissolvit Carena (e), vel enim, inquit, qualitas per Reum adjecta, nedum juris præsumptioni adversatur, sed ab iis quæ plerumque contingunt inverisimilis redditur; eoque casu pœna ordinaria Reus est omnino damnandus, adjectaque qualitas est penitùs spernenda; Vel è contra, licet juris præsumptioni opponatur, verosimiliter creditur; eo-

(a) *Lib.5. sentent. quæst.55.* (b) *Loco citato.* (c) *Variar. resol. tom.3. cap. 3.* (d) *Loco citato.* (e) *De Offic. S. Inquisit. part.3. tit.8. §.1. num.5., & seq.*

que altero casu Reus erit torquendus, ut absque excusatione crimen fateatur, & in omnem casum extraordinaria pœna damnabitur. Verum quia Reus ut plurimum, dum constituitur, negat, quomodo oporteat illum tali casu judicialiter convincere, nunc videamus.

TITULUS VII.

De Legitimatione Processus.

OMnia sane acta criminalis Judicii in tres partes dividuntur. Prima dicitur *Processus informativus*, per quem Judex de delicto instruitur, seu, ut inquiunt, informatur; Secunda vero *Processus repetitivus*, quo Processus informativus legitimatur; Tertia tandem *Processus defensivus*, qui fit ad instantiam Rei ad se defendendum adversus probationes tam in informativo, quam in repetitivo Processu contra ipsum cumulatas; Hactenus de Processu informativo tractatum est, nunc de repetitivo, & defensivo superest disserendum. Testes enim, aliæque probationes in Processu informativo deductæ Fisco non prosunt, nisi repetitio, & defensio subsequatur (a).

2. Processus vero repetitivus, in quo informativus legitimatur, in repetitione testium alias examinatorum consistit; Repetitio autem ista, ut valide fiat, tria requiruntur, scilicet primo debent testes super iisdem articulis examinari, super quibus in primo examine depositiones emiserunt, ideoque repetitio non dicitur, si vel de aliis articulis de novo emergentibus examinentur, vel sub formula primi examinis alii testes de novo reperti examini subjiciantur (b). Sufficit tamen, si ea, quæ in primo examine deducta fuerunt, in substantia repetantur, & Reus interrogetur, num depositio-

(a) *Chartar. de interrogandis reis lib. 3. cap. 1. num. 84. & seq.*
(b) *Clarus §. fin. quæst. 45.*

sitionem in primo examine factam plene ratificet, an quidquam minuere, vel addere velit (*a*). Secundo debent in secundo examine omnes, & singulæ qualitates concurrere, quæ in primo fuerunt admissæ, ideoque si testis in primo examine torturam sustinuit, etiam in secundo cogitur eamdem sustinere (*b*). Tertio demum repetitio debet citata parte, & formiter fieri, nempe Reo præsente, & si velit testes interrogante, coram Judice, & Notario, prævio juramento veritatis dicendæ, & separatim, ne si turmatim, & simul omnes testes examinentur, unus audiendo alterum possit primum examen revocare, ut advertunt Guazz. (*c*), & Conciol. (*d*), qui formam repetitionis adducunt.

3. Cæterum tres sunt præcipui effectus, qui ex hac legitimatione promanant. Primus est, quod Fiscus efficaciter inde contra Reum agere potest, cum depositiones Testium, quæ absque solemnitate fuerunt antea receptæ, ex vi legitimationis auctoritatem sortiantur (*e*). Alter est, quod Judex potest Reum in casibus a jure statutis, vel loci consuetudine permissis, tanquam convictum punire. Tertius denique est, quod inquisitus potest contra Testes, eorumque depositiones excipere, & defensiones proferre, quas antea non poterat (*f*).

4. Si Testes invicem sint directè contrarii, vel examini delinquentis opponantur, ad Confrontationem proceditur, quæ est alter modus Processum legitimandi, & vocatur remedium extraordinarium, quia regulariter, & ordinarie loquendo Testes simpliciter repetuntur, possunt autem confrontari, si id Judici opportunius videatur, ut advertit *Farinacc. quæst.* 72. *n.*139., ubi notat, non expedire, quod Judex ad confron-

(a) *Ambrosin. de proc. informat. lib.*3. *cap.*2. (b) *Guazz. defens.*19. *cap.*13. *num.*11. *tom.*1. (c) *Loc. cit.* (d) *Resolut. crim. verbo Testis quoad examen resol.* 6. *per tot.* (e) *L.*1. *in princ. ff. de stipul.* (f) *Late Zuffus q.*80. *per tot.*

frontandum deveniat, ſi de conſtantia Teſtis non ſit plene ſecurus, ideoque Filii cum Parentibus, Servi cum Dominis, viles cum Potentibus confrontari non ſolent. In Tribunali tamen Gubernii Urbis frequentiſſimum eſſe confrontationis uſum ob copiam cauſarum, & ut eædem facilius, & brevius abſolvantur, teſtatur inter alios Martin. (*a*).

5. Per confrontationem autem Teſtes coram Reo de facie ad faciem producuntur, ut efficacius illum convincant; ſi vero nomen delinquentis a Teſtibus ignoretur, ponitur is inter tres, aut quatuor perſonas facie, ſtatura, veſtibus, aliiſque qualitatibus magis ſimiles delinquenti, ut facilius recognoſcatur (*b*). Cæterum confrontatio eaſdem prorſus conditiones efflagitat, quas de repetitione affirmavimus, his unice exceptis; Quod in confrontatione citatio delinquentis non exigitur, quia hujus præſentia citationem ſupplere videtur (*c*): itemque licet magis confrontatio, quam ſimplex repetitio, Reum afficiat, majoremque vim habeat (*d*), tamen de jure potius per repetitionem, quam per confrontationem Proceſſus legitimatur, ideoque opportune notavimus, repetitionem eſſe remedium ordinarium, confrontationem vero extraordinarium, & ſubſidiarium vocari; unde etiamſi tam per repetitionem, quam per confrontationem, libera detur Reo facultas Teſtes interrogandi, ſi tamen Reus voluerit, etiam poſt confrontationem cum interrogationibus factam, poterit Teſtes repetere, eoſque iterum interrogare, ut notat Ambroſin. (*e*), qui formam, & modum affert, quo confrontatio peragi ſolet. Neque eſt prætereundum neutrum in delictis notoriis requiri, in quibus etiam ſine accuſatore, & Teſtibus Judex

(a) *In Prax. crim. cap. 47. fol. 206. in fine.* (b) *Ambroſin. l. 2. cap. 9.* (c) *Clarus in praxi quæſt. 45. num. 74.* (d) *Ad Textum in Can. in primis 2. quæſt. 1.* (e) *Lib. 2. cap. 9. num. 1. & 8.*

Judex procedere poteſt (*a*). Dixi, quod *ſola repetitio, non autem confrontatio proceſſum de jure communi legitimat*, nam de ſtylo, vel privilegio etiam confrontatio legitimationis vim habet, ut contingit in Tribunali Gubernii Urbis, & a Sacra Conſulta in aliquibus particularibus caſibus, etiam extra Urbem, ita diſponitur (*b*).

6. Legitimatio ſane proceſſus, quæ fit per repetitionem, & confrontationem Teſtium, expreſſa vocatur; Altera tamen legitimationis ſpecies affertur, qua ficte, & improprie proceſſus dicitur legitimari; Talis vero legitimatio reſultat ex confeſſione delinquentis, legitime, & ſpontanee coram Judice emiſſa, qua vel expreſſe delictum fatetur, vel Teſtes habere aſſerit pro rite, & recte examinatis (*c*). Idemque dicendum, ſi Reus, vel perſonaliter, vel in domo ſolitæ habitationis citatus comparere recuſet, & in contumacia perſiſtat (*d*), de qua quidem contumacia *in tit. ult. hujus libri* ex profeſſo tractabitur. Habita autem ſupradicta legitimatione ſive vera, ſive ficta, Judices decernere ſolent, quod delinquentes *ad largam ponantur*, ut barbare dicunt, cum termino trium, vel plurium dierum arbitrio Judicis, quibus Cauſarum Patronos conſulant, ſuaſque defenſiones exhibeant (*e*), exceptis tamen delictis atrociſſimis, in quibus ex Conſtitut. Pauli IV. relata a Chartar. (*f*), data facultate alloquendi Procuratorem, & Advocatum in præſentia Fiſci, aut Notarii, aut Cuſtodis carcerium, Rei in Secretis detinentur.

7. Cæterum ut Reus ſe defendere valeat [nam ſine defenſionibus totus Proceſſus eſſet inſanabiliter nullus, nec

(a) *Ad Text. in cap. tua nos, de cohabit. Cler. &c.* (b) *Majoran. in apopraxi crim. n.2. cap.3.* (c) *Clarus q.64.* (d) *Cap. ex literis, de dolo, & contumacia.* (e) *Foller. practic. crimin. in verbo, Et facta litis conteſtat., Clarus q.48.* (f) *De Interrogatione Reorum lib.3. cap.3. num.54.*

nec Reus posset ullatenus condemnari (*a*)] copiam, seu transumptum Processus accipiet propriis quidem expensis, si solvere possit, si vero persona sit miserabilis, *gratis* omnino juxta declarationem cit. Summi Pontificis innixam Juri civili *in l. tam dementes Cod. de Episcoporum audient.*, Juri item Canonico *in cap. qualiter, & quando, de accusat.*, & Juri demum naturali, quod nemini defensionis aditum præcludi debere permittit, prout certo præcluderetur, si attenta inopia Reus Processum habere non posset, ut cuique est exploratum; in traditione autem, & respectiva receptione Processus publicatio consistit.

8. Quoniam vero nisi Processus sit undique, & perfecte completus, ac legitimatus, non tenentur eumdem Judices tradere, idcirco antequam Rei copiam Processus accipiant, coguntur Testes pro rite, & recte examinatis accipere, eorumque dicta approbare, ex qua approbationis specie, ne delinquentibus præjudicium inferatur, solent eorum Procuratores hanc clausulam addere in declaratione, qua Testes pro rite, & valide examinatis habere fatentur, *præter absentes, & mortuos, & salvis exceptionibus circa personas, & dicta Testium, & salva eorum repetitione*: quibus quidem verbis reservant sibi jus contra personas, & dicta Testium opponendi, illosque super suis interrogatoriis repetendi, *absentibus, & mortuis exceptis*, quidquid sit num mortem, & absentiam Reus, an Fiscus probare teneatur, qua in re Practici hinc inde disceptant apud Zuffum (*b*). Cæterum absentes Testes pro repetitione facienda erunt ad Curiam evocandi, licet in remotissimis regionibus degant (*c*), vel Commissarius erit arbitrio Judicis transmittendus (*d*).

9. Hæc

(a) *Guazzin. ad defens. Reorum defens. 35., aliique communiter.* (b) *De crimin. Process. legitim. lib. 3. q. 173.* (c) *Ex textu in authent. apud eloquentissimum Cod. de fide instrum.* (d) *Guazzin. defens. 24. cap. 8.*

9. Hæc autem praxis extra Urbem, & in exteris Tribunalibus obſervatur; In Urbe enim, in qua mitius proceditur, non coguntur Rei pro rite, & valide examinatis Teſtes declarare, ut copiam Proceſſus accipiant, ſed etiam ſine hac conditione *ad largam* ponuntur, & proceſſus iiſdem communicatur; Et merito, quia, ut bene reflectit Urſaya (a): *Nimis dura videtur obligatio Reis injuncta recipiendi Teſtes pro valide, & rite examinatis, antequam ſciant quid fuerit per Teſtes contra ipſos depoſitum*; Itaque Romanæ Curiæ ſtylus laudabilis eſt, ut poſt traditam Reis ad largam poſitis indiciorum copiam citentur ad declarandum, an velint habere Teſtes pro rite examinatis, & ſi negative reſpondeant, citantur pariter ad videndum repeti, & ad danda Interrogatoria, quæ ſi dederint, ſuper illis Teſtes examinantur, alias ſuper examine jam facto repetuntur (b). Vimque enunciatæ rationis, etiam extera Tribunalia optime intelligunt, quæ idcirco conſentaneè ad Juris cenſuram jus, facultatemque Reo præſervare ſolent revocandi approbationem, ſeu conſenſum Teſtibus, eorumque examini datum, ſi antequam copiam proceſſus acceperint, eamdem declarationem forſan emiſerint, ut teſtatur Farinaccius (c).

10. Cæterum declaratio illa, qua Rei teſtes habere fatentur pro rite examinatis, modus eſt præcipuus Proceſſum legitimandi, qui ultra repetitionem, & confrontationem a Doctoribus ſolet proferri, imo præ cæteris in Tribunalibus Status Eccleſiaſtici ſervatur; meritoque dixi, in Urbe ex quadam æquitate copiam Proceſſus etiam ante hanc declarationem communicari, idque in exteris etiam Tribunalibus ſervari conſueviſſe, cujus conſuetudinis intuitu, licet olim Sacra Conſulta reſcriberet, *legitimato, & publicato Proceſſu*, anno tamen 1744. formiter diſcuſſo articulo, an

(a) *Tit. ultim. Inſtit. Crim. n. 7.* (b) *Ambroſin. lib. 3. cap. 1. n. 43. & ſeq.* (c) *Quæſt. 72. n. 56.*

publicatio Processus deberet legitimationem præcedere, *affirmative* respondit, & nedumvariavit in modo Judici rescribendi, qui sequitur, *publicato, & legitimato Processu, assignet terminum*, sed etiam omnibus Gubernatoribus sibi subjectis injunxit, ita in posterum servari oportere, ut notavit Philippus Mirogli (*a*).

11. Tanta autem est, ut supra innuimus, defensionum necessitas in Criminali Judicio, ut iis denegatis Processus sit insanabiliter nullus, & Reus condemnari non possit; hinc probi, expertique Judices consueverunt, casu quo Reus post terminos ad defensiones faciendas assignatos se defendere nolit, doctum, probatumque Advocatum ejusdem defensioni ex officio deputare, ut fieri decernitur *in l. si non defendantur* 19. *ff. de pœnis*, & firmant Carpzovius (*b*), & Pellegrin. (*c*). Quid igitur tam Reus, quam ejus Advocatus ad defensionem assumptus valeant proferre, sequenti Titulo est examinandum.

TITULUS VIII.

De Defensionibus.

PRocessus defensivus, cujus supra meminimus, resultat ex defensionibus a Reo, vel ejus Advocato propositis, quæ licet ex multiplici capite erui possint, eas tamen ad quatuor fontes reducit Decianus (*d*), 1. nimirum quando Reus mordicus negat crimen commisisse; secundo, quando negat esse delictum id, quod commisisse supponitur; tertio, quando dato, quod sit delictum, plura tamen in excusationem criminis affert; quarto, quando nullitatem Processus allegat. Ad primum sane caput defensionum non solum referri potest quid-

(a) *In Instructionibus Theorico pract. crim. typis impressis cap. 3. num. 62.* (b) *In Processu crim. par. 3. quæst. 115.* (c) *Par. 4. sect. 10.* (d) *Lib. 5. cap. 37. n. 1. & 2.*

quidquid favore Rei deductum fuerit, casu quo is absolute negaverit crimen commisisse, neque ulla vi tormentorum potuerit ad confessionem moveri, verum etiam plura afferri possunt contra realem ejusdem Rei confessionem, si evincatur illam nullius roboris esse ad effectum condemnandi; Id vero accidit, si confessio coram Judice incompetente fuerit emissa, vel si sub spe impunitatis, vel ex suggestione, aliisque malis artibus fuerit a Judice extorta (a), vel si aliunde de delicto non constet, ex quo nulla indicia saltem urgentia, & gravia præexistant.

2. Idem dicendum, si Reus negativam coarctatam probaverit, ut si ostendat tempore prætensi criminis a loco absuisse, vel si Fisci probationibus alias probationes opposuerit; regula enim est, ut data paritate probationum Rei, & Fisci, Reo negante ejus probatio prævaleat, *ad Textum in l. si Præses ff. de pœnis*. Vel denique ostendendo Accusatorem, vel Fiscum in probatione deficere, quod facile evincet, si indiciorum irrelevantiam, vel exceptiones contra testes pro Fisco examinatos, v. g. quod sint inimici, infames &c., vel contra eorum dicta, ut si sint singulares, de auditu, contrarii &c. demonstraverit, quibus stantibus, Reus erit Actore, vel Fisco non probante absolvendus (b).

3. Potest insuper Reus defendi, si probetur non esse delictum id, quod commissum a delinquente prætenditur, v. g. si pater filium, & dominus servum coercuerit, atque puniverit, licet enim mors deinde sequatur, nunquam tamen parenti, aut domino est imputanda, cum non præsumatur a parente filium, aut a domino servum occidi voluisse; Præsumptiones autem ad defensiones reorum plurimum conferunt, ut late ostendunt Menochius (c), & Clarus (d). Idemque dicendum, si Reus consuetudines, & statuta locorum

 igno-

(a) *Clarus in praxi quæst. 55.* (b) *Cap. ult. de jurejurando.*
(c) *Lib. 5. de præsumpt. præsumpt. 18.* (d) *Quæst. 56. per tot.*

ignoraverit, casu quo delictum commissum non a Jure communi, sed dumtaxat a statutis prohibeatur, multoque magis si non fuerit elapsum tempus, intra quod in Edictis exprimi solet, quod etiam alienigenæ ad leges municipales adstringantur (*a*); Ex hoc enim jam facile ostenditur non esse delictum id, quod alienigena gessit; quod æque militat, si aliis quibuscumque modis a delinquente dolus abfuerit, prout in primis motibus accidit, in quibus licet pœna extraordinaria Reus condemnetur, ordinariam tamen pœnam evitat (*b*).

4. Tertium caput defensionum continet illas, quæ in excusationem criminis allegantur, cujus generis sunt minoribus competentes, qui ratione ætatis pœna capitali non afficiuntur (*c*), nisi tamen attentis statutis locorum majores evaserint, prout in Urbe tales sunt, qui 20. annos excesserint, sicuti etiam si Princeps super ætate dispensaverit, quod præter quam in delictis atrocissimis fieri non solet. Præterea huc spectant defensiones pro viris, qui occiderint uxores in adulterio deprehensas (*d*); Pro ebriis, qui tempore ebrietatis deliquerint (*e*); Pro illis, qui non lethale vulnus inflixerint, ex quo licet vulneratus decesserit, id tamen vel Medicorum culpæ, vel alteri causæ sit adscribendum (*f*).

5. Tandem ex nullitate Processus defensiones assumuntur. Nullitas autem processus ex pluribus oritur; Nempe ex Judicis incompetentia; Ex defectu corporis delicti; Ex carentia indiciorum in prætenso delinquente; Ex testibus inhabilibus, vel non repetitis; Ex præscriptione delicti, ex quo, vel viginti anni fuerint elapsi, vel ab eo alias Reus fuerit absolutus. Ex denegatio-

(a) *Cabal. resol. crim. casu 129. num. 2. & seq.* (b) *Clarus in §. Homicidium num. 37., Farinac. quæst. 82.* (c) *Ad Textum in l. auxilium §. In delictis ff. de minor.* (d) *L. Si quis in gravi §. Si maritus ff. ad Syllanum.* (e) *Clarus quæst. 60. n. 11.* (f) *Gomez tom. 3. var. resol. cap. 3. n. 28.*

gatione processus, & ex aliis similibus causis, quas extendunt fusius Pellegrin. (a), Morellus (b), & Guazzinus in tractatu, quem *in defensam Reorum* typis mandavit. Hos si velint poterunt legere, qui in Criminali foro versantur, & regulas erudite ab illis traditas, peculiaribus Reorum causis applicare; si enim prodesse non poterunt, ut delinquentes, quorum patrocinium forsan suscipiunt, pœnam omnem effugiant, mitiori tamen, & extraordinaria pœna damnabuntur.

6. Pro coronide hujus tituli non est prætereundum majorem forsan defensionis difficultatem insurgere, si de delictis qualificatis in Urbe, & Statu Ecclesiastico commissis agatur, atque in earum circumstantiarum congerie versari res videatur, qualem descripsimus, cum *de indiciis, & præsumptionibus* loqueremur; Attento scilicet Chirographo Benedicti XIV. mandante posse Reos ultimo supplicio etiam negativos, & non confessos condemnari. Non inde tamen desperatum esse opinabitur prudens æque ac doctus pauperum delinquentium Advocatus defensionis præsidium. Proclamabit enim indicia per Fiscum collecta ad eum minime ascendere gradum *indubitabilitatis*, quem Chirographus in littera, & in spiritu exigit, idque ex examine eorumdem indiciorum seorsim perpensorum demonstrare conabitur, præsertim quia non solum ad hunc effectum indicia debent esse diversa, legaliterque probata, sed quasi plenam probationem attingere, ut notavit Clarus (c). Addet insuper, agi hic de re exorbitanti, & correctoria juris communis, quæque idcirco indiciorum qualitatem, & numerum arctius, & rigidius expostulat comprobari, ut in puncto ejusdem Chirographi advertit modernus additionarius ad Amænum

(a) *In praxi p.4. sect.10.* (b) *Manuduct. ad praxim §.8. tit.de defens.* (c) *Practic. crim. q.20. n.1. Vide Bassanum Theor. Prax. Crim. lib.5. cap.1. n.156.*

num (*a*). Postremo totus erit in ostendendo inapplicabilem esse chirographum hypothesi, seu delicto, de quo forte tractatur, ex quo ex ejusdem verbis: *Contra convictum indicia indubitata pernecesse concludentia debe rent adesse, quæ omnem rationabilem hæsitationem ab animo Judicis adimant, quod res aliter se habere potuerit*: si autem ostenderit, aliquam adhuc in Judice posse contra inditiatum, & prætensum convictum hæsitationem superesse, absque decreto pœnæ ordinariæ, quod edi Fisci Advocatus instabit, illud certo, & saltem obtinebit, quod quæstioni, seu tormento funis, aut vigiliæ, vel extraordinariæ pœnæ juxta circumstantias Reus subjiciatur, ut advertunt Cosp. (*b*), Carpzov. (*c*). Matt., & Sanz. (*d*).

TITULUS IX.

De Reorum Tortura.

POST tractatum de defensionibus, de Tortura Reorum differitur, quia regulariter loquendo prætensi delinquentes allegatis jam defensionibus solent torqueri, ut ita Judices, qui ad sententiam se debent accingere, de eorum innocentia, vel crimine tutiores reddantur (*e*). Dixi *regulariter*, quia in aliquibus Tribunalibus confecto Processu informativo ad Torturam proceditur, ut de Curia Gubernii Urbis, & Magnæ Vicariæ Neapolis testatur *Ambrosin.* (*f*), qui notat, præfata duo Tribunalia in latronibus insignibus, aut in delictis atrocissimis, his facultatibus uti, & etiam ante defensiones enunciatos Reos torquere consuevisse.

2. Tor-

(a) *De delictis tom.2. observ.23. sect.2. n.1. &* 10. (b) *In suo opusculo, cui titutus*: il Giudice Criminalista *cap.12. n.2.* (c) *In pract. rerum crim. par.1. quæst.24. in fin. versic. Et sic perpenso judicio cum num. seq.* (d) *De re crim. q.72. n.29. in fin.* (e) *Morellus manuduct. ad praxim* §.10. *de Tortura p.218.* (f) *De Processu informat. lib.3. cap.1. n.11. & seq.*

2. Tortura generaliter ſumpta ſignificat criminis Inquiſitionem, ſeu Interrogationem ad habendam veritatem tormentis, & cruciatibus factam (*a*), & hoc ſenſu Tortura quæſtio etiam vocatur (*b*). Dicitur ad habendam veritatem, quia Tortura eſt remedium ſubſidiarium, quod tunc præciſe eſt adhibendum, cum concurrentibus ſufficientibus indiciis in ſuo genere probatis contra Reum adhuc veritas non apparet (*c*). Modus vero iſte exquirendi veritatem tormentorum uſu eſt profecto antiquiſſimus, & ab Athenienſibus, & Rhodiis deſumptum eſſe credit Veſſembecius (*d*). Unde non ſolum in Tribunalibus Sæcularibus, verum etiam Eccleſiaſticis merito exercetur, & tempore quoque *S. Auguſtini* quoad Clericos adhibitum fuiſſe luculentiſſime conſtat ex teſtimonio ejuſdem S. Doctoris *in Can. Circumcelliones* §. *imple* 23. *quæſt.* 5. ibi: *Imple Chriſtiane Judex pii Patris officium* [loquitur de Clericis partis Donati]; *noli perdere paternam diligentiam, quam in ipſa Inquiſitione ſervaſti, quando tantorum ſcelerum confeſſionem non equuleo, non ſulcantibus ungulis, non urentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti.*

3. Quidquid autem gratis exiſtimet Pellegrinus (*e*), in Jure aliud tormentum præter chordam non exprimi *ex textu in l. nullus Cod. ad L. Juliam Majeſtatis*; Contraria certe eſt ſententia communior, quæ longè plura tormentorum genera in jure deſignari arbitratur; Exploratumque eſt, *in cit. l. nullus* de equuleo, non autem de chorda ſermonem haberi. Et quidem Roſinus ſcribit (*f*), Romanos veteres in equuleo torſiſſe; & 23. Tormentorum ſpecies enumerant Chartar. (*g*), Loca-

(a) *Cap. gravis* §. *Quocirca, de depoſito, l. item apud Labeonem ff. de injuriis, cum aliis pluribus.* (b) *L. cum Teſtamentum Cod. de quæſt.* (c) *Clar. quæſt. 64. n. 4.* (d) *In l. ult. ff. de quæſt.* (e) *Pract. crim. par. 4. ſect. 14. n. 2.* (f) *Lib. 9. Antiquitatum Romanorum cap. 31.* (g) *In praxi interrog. Reos lib. 4. cap. 1.*

Locatellus (*a*), aliique, quas consulto prætermittimus, ut eas dumtaxat, quæ frequentiores sunt, & in Statu Ecclesiastico adhibentur, breviter exponamus.

4. Magis igitur usitatum inter cætera est tormentum funis, & elevationis in altum, quæ Torturæ species *Regina Tormentorum* communiter dicitur, ut notat Sabell. (*b*); ad quam infligendam antequam Judex deveniat, debet benigne reum ad dicendam veritatem hortari; Eo autem in negativa persistente, prævio Judicis decreto, quod *torqueatur*, statim ne appellare possit funi alligabitur, in qua super indiciis contra ipsum urgentibus interrogabitur, & quatenus delictum fateatur, de causa delinquendi, de complicibus, fautoribus, aliisque circumstantiis inquiretur. Nequit autem Reus in hac Tortura ultra spatium unius horæ detineri etiam in delictis atrocioribus, in quibus, si indicia semiplenam probationem excedant, Tortura repeti solet, & in hoc casu prima die spatio mediæ horæ, die vero sequenti per integram horam repetitur, & ultra tetiam vicem (quod raro accidit) repeti nequit, ne processus in infinitum, ut inquiunt, dari videatur (*c*); Imo si testes vel socii criminis pro exquirenda veritate torqueantur, mediam horam Tortura nequit excedere.

5. Sed circa Torturam sociis, & complicibus criminum quandoque infligendam, non prætereundum arbitramur, hanc ex quorundam Tribunalium consuetudine præsertim decerni consuevisse, quando socius criminis fuit crimen confessus, principalis e contra Reus est negativus, quo quidem in casu ad legitimationem Processus, ultra alias solemnitates solet coram Reo negativo socius confessus confrontari, & deinde funis tormento ab illa infamiæ labe purgari, in quam ob

(a) *In praxi crim. de quæst. Judic. Inspect. prima*. (b) *In praxi univers. verbo Tortura n. 36*. (c) *Farinac. de Tortura quæst. 38. Clarus quæst. 64. aliique*.

ob criminis complicitatem incurrit, & ratione cujus testis esse non posset, *juxta textum in l.ob carmen 21. ff. de testibus, cum aliis relatis apud Clarum* (a).

6. Quidquid vero sit de hac quorundam Tribunalium praxi generatim, & indefinite torquendi Socios Criminum confessos, receptior certe est, magisque probata distinctio inter socios criminum confessos impunitatis fiducia, & alios in caput proprium, & sine spe impunitatis; quamvis autem in primo casu confrontatio, & respectiva purgatio fieri debeat, rejicienda tamen videtur consuetudo Socios etiam pro altero casu torquendi; ut enim diserte, solideque ostendit citatus alias Mirogli (b), anceps & dubia plane res est inter Doctores, quos ipse latissime profert, an post confrontationem Socii, & purgationem in Tortura, etiamsi aliis adminiculis forte fulciatur, judicium urgens ad Torturam Rei principalis resultet, nec ne. Quamobrem cæteris momentis prætermissis, quæ ab eodem Mirogli recensentur, istud ad excludendam Socii Torturam indefinite ab aliquibus volitam certo certius exuberat, quod inutile ex una parte sit illum torquere, ex alia vero sit maxime periculosum, cum facile contingere possit, quod is Torturam veritus, aut ex alia causa confessionem jam emissam retractet, sicque ordinariam pœnam evitet delicto respondentem. Uberiora tamen in hanc rem congerit dictus Mirogli (c), omnino videndus.

7. Cæterum si Reus confessionem criminis in tormentis emittat, debet eandem die sequenti extra tormenta ratificare, ut pœnam ordinariam incurrere valeat, aliter enim pœna extraordinaria damnabitur (d). Si autem tormenta sustineat, nec confessionem emittat, cum videatur indiciorum gravitas per tormenta purgata, relaxabitur cum sequentibus clausulis, scilicet:

(a) *Quæst. 21. num. 11.* (b) *Instruct. Crim. lib. 1. cap. 6. n. 195. & seq.* (c) *Loco cit.* (d) *Raynald. p. 3. cap. 34. §. 12.*

vel cum cautione de se repræsentando, quoties Judici videbitur, vel si nova indicia superveniant, ut advertit inter alios Clarus (*a*), qui notat, quod si delictum sit atrox, aut delinquens sit valde famosus, potest etiam extraordinariè puniri, ideoque cauti Judices sæpe tertiam vicem Torturæ omittere solent, ne impunitum Reum non confessum, sed ex cumulo indiciorum convictum, dimittere teneantur.

8. Non potest autem pro omni delicto Tortura decerni, sed pro eo tantum, quod pœnam corporis afflictivam efflagitat (*b*), ne quod una via prohibitum est, per aliam obtineatur (*c*). Præterea non omnes torqueri possunt, etiamsi delictum Torturam mereatur; Nam excipiuntur morbo gravi laborantes, propter quem absque periculo vitæ nequeunt Torturam sustinere, de quo periti Medici, vel Chirurgi cum juramento deponere debent; Hujus generis sunt, qui ruptura intestinorum, fractura brachii, angustia pectoris, podagra, febri, aliisque morbis afficiuntur, quibus etiam accedunt Infantes, Senes, Mulieres prægnantes, & quicumque privilegio, vel Doctoris, vel Militis, vel Nobilis, vel in arte aliqua valde excellentis excusantur (*d*). Quæstio hìc est, an Clerici torqueri possint, & quamvis negativa, & affirmativa sententia suis nitatur fundamentis; Praxis tamen omnium Tribunalium torquendi etiam Clericos controversiam absolvit, ut notat Pellegrin. (*e*).

9. Non omnes verò Rei æqualiter tormento Funis torquentur, sed quinque gradus hujus Torturæ a DD. considerantur, juxta criminis, & personarum qualitatem a Judice decernendi: Primus sane gradus dici-

(a) *Cit. quæst. 64. num. 38.* (b) *Ad Textum in L. Edictum 8. ff. de quæst.* (c) *Cap. Cum quid una via, de reg. jur. in 6. & firmat Carpz. p. 3. q. 119. processus crim. cum aliis communiter.* (d) *Farinac. q. 41. per totam, & Raynold. p. 3. cap. 34. supr. cit.* (e) *In praxi crim. part. 4. sect. 5. num. 40.*

dicitur terror, ſeu Torturæ præparatio, nam Judex decernit Reum in ſuperioribus partibus corporis expoliari, ac ſtatim diſponi, perinde ac ſi eſſet revera torquendus. Secundus eſt, cum Reus funi alligatur, & aliquantulum elevatur, ſed parum in eo detinetur. Tertius gradus eſt cum Reus ſpatio circiter unius quadrantis torquetur. Quartus eſt, cum tormento ſuperponitur media hora, vel per tres quadrantes, vel etiam per integram horam, uno vel pluribus ictibus, ſeu quaſſationibus corporis ſuperadditis. Quintus denique gradus eſt, cum ultra corporis quaſſationes, & longiorem detentionem in Tortura funis, aliis quoque modis tormentum augetur, v. g. compedes ferreos, vel aliud ſimile pondus alligando, aut aliis rationibus cruciatum graviorem, ac pene intolerabilem producendo; quos proinde gradus ſolum in atrociſſimis delictis adhiberi permittitur (*a*).

10. Præter tormentum Funis etiam tormento Vigiliæ delinquentes torquentur, quod quia fit per ſomni ſubtractionem, a vigilando nomen ſortitur, quamvis a multo tempore non in mera ſomni ſubtractione conſiſtat, ſed ob modum, quo infertur, relatum a Chartario (*b*), & a Scannarola (*c*), dolorem morti proximum irroget. Cum igitur hæc tormenti ſpecies omnium graviſſima judicetur, ſolum pro graviſſimis delictis infligitur, nempe pro illis, in quibus gravior pœna, quam ſimplicis mortis, de jure ſtatuitur; Debent præterea indicia urgentiſſima concurrere, nec ultra ſpatium 12. horarum poteſt Reus Vigiliæ ſupponi, ut notant Farinac. (*d*), aliique communiter. Imo diſertiſſime ſanxit Paulus V. in Conſtitut. 71. §.30. aliàs citata: *Quod tormento Vigiliæ Judices non utantur, niſi in delictis atrociſſimis, & in quibus præcedant*

 indi-

(a) *Farinac. quæſt.38. Clarus cit. q.64.* (b) *Lib.4. cap. 2. n.7.*
(c) *De viſit. carcer. lib.2. n.6. cap.4.* (d) *Cit. quæſt.38. Locatellus in praxi crim. inſpect.1. n.43.*

badill. (*a*), de Regnis Franciæ Marcus (*b*). Neque Farinaccius, qui contrariam ſententiam ſequendam aſſerit (*c*), negare potuit veritatem ſtyli, & conſuetudinis univerſalis in omnibus ſupremis Curiis, unde unicè monet àd caſus ſpeciales eſſe reſtringendam, in quibus uſu recepta eſt, & quoad homines malæ vitæ, & famæ, viliſque conditionis, quod etiam alii Doctores opportune notarunt.

12. Generaliter autem pro omnibus tormentis advertendum, quod ſi Reus in tormentis ſenſibus deſtituatur, ſtatim eſt deponendus, aptiſque medicamentis curandus; idemque eſt peragendum, ſi palleſcere incipiat, vel nimium ſudorem effundat, niſi tamen fraudulenter id accidat, qua in re periti Medici teſtimonio, & juramento defertur, ut notant Auctores ſupra citati. Si vero Reus confeſſionem in tormentis emiſſam ſequenti die extra tormentorum locum, ut ſupra diximus, ratificaverit, terminus ad dicendum contra confeſſionem eidem præſcribitur, quo elapſo, & per inutiles defenſiones Rei, ejuſque advocati, Proceſſu informativo, & repetitivo in ſuo robore permanente, poteſt tuto Judex prævia citatione perſonaliter executa, & neceſſario præmittenda ad inſtantiam Fiſci ſententiam definitivam pronunciare.

TITULUS X.

De Sententia.

SEntentia, quæ a ſentiendo dicitur, quia Judex juxta id quod ſentit illam pronunciat, in interlocutoriam, & definitivam dividitur; Interlocutoria eſt, quæ circa incidentia, & emergentia cauſæ profertur; Definitiva vero, quæ principali controverſiæ *ſervatis ſervandis*

(a) *Lib.2. cap.21. n.137.* (b) *Decis.278. n.1. p.2.* (c) *Quæſt.39. num. 17.*

Fiſcus, aut accuſator jactitat deliquiſſe, celeberrima eſt illa probationis ſpecies *de jure canonico* inventa, deficientibus aliis argumentis, quibus valeat idem Reus innocentiam ſuam comprobare, præſertim ſi de perſona in dignitate conſtituta, & cujus optima opinio Reipublicæ interſit, pertractetur, nempè *purgatio*, quæ cum a jure canonico ut diximus fuerit inventa, *canonica* dicitur, ut late advertit Pellegrin. (*a*). Eaque licet antiquitus obvia magis, & frequentior exiſteret, aliquando tamen hodie etiam ſervatur, & præcipue in Tribunali S. Inquiſitionis, ejuſque formula refertur in opere inſcripto *Sacro Arſenale* impreſſo Bononiæ 1679. *p*.8. *pag*.277. quod iterum editum fuit typis Bononienſibus cum annotationibus Paſqualoni anno 1716.*pag*.8. *fol*. 279.

4. Olim ſane multipliciter Purgatio iſthæc adhiberi conſuevit, & præcipue per Judicium Crucis, ſive hoc in eo conſiſteret, quod duæ teſſeræ, una pura, altera Crucis ſigno notata, linteo ſuper altari involutæ ponerentur; & poſt varias preces a Presbytero, vel Puero extraherentur, ita ut ſi prima Crucis teſſera fuiſſet extracta, innocentia, ſin minus, reitas probaretur; ſive in juramento per Crucem, aut contacta Cruce aſſumpto repoſita foret, ut opinatur Gretzerus (*b*), itemque per ſuſceptionem S. Euchariſtiæ, addita imprecatione, ut prætenſus Reus eodem momento periret, ni verum aſſereret, ut explicat Prado (*c*). Quemadmodum tamen provide Eccleſia purgationem alteram, quæ *vulgaris* dicitur, quia vulgo moribus inducta eſt, tamquam ſuperſtitionis plenam ſemel, iterumque rejecit, qualis erat, ſi per ferrum, aut per prunas candentes, vel per monomachiam, ſeu duellum quis innocentiam ſuam probare contenderet, de quibus experimentis expreſſe agit cæteris omiſſis *Textus in capitulo*

(a) *In Praxi Vicarii part.4. ſect.17. n.11. & ſeq.* (b) *L.2. de Cruce cap.16.* (c) *De Euchariſtia quæſt.8.*

tulo Dilecti Filii, de purgatione vulgari; ita eaſdem vetuſtas probationis canonicæ ſpecies penitus abrogavit, ut conſtat *ex cap. recepimus, cum aliis, de purgatione canonica*; atque eamdem probationis ſpeciem in juramento reſtrinxit, tam veritatis, quod debet infamatus aſſumere, quam credulitatis, quo compurgatores, ſeu teſtes omni exceptione majores ſe credere jurent purgandi innocentiam, qui quidem juxta qualitatem criminis, vel perſonæ, in majori, vel minori numero a Judice requiruntur, ut advertit Schmalzgrueber (*a*), & diſertius Gonzalez (*b*), & Bened. XIV. de Synodo Diœceſ. (*c*), & de Canon. Sanctor. (*d*).

5. Redeundo tamen ad ſententiam in cauſa criminali evulgatam, ſicuti in cauſa civili, ita etiam in criminali, a ſententia per inferiorem Judicem pronunciata ad Superiorem appellare permittitur, ſi aliquod gravamen irreparabile illatum fuerit, vel inferri debere prævideatur. Appellatio enim defenſionis eſt ſpecies, quæ, jure naturali exigente, cuique eſt concedenda, ut late expendit Guazzin. (*e*); In criminalibus autem uſus invaluit, ut hoc non obſtante ſolum in devolutivo, & non retardata executione ſententiæ appellatio concedatur; ſicut etiam Fiſcus nunquam appellat, niſi quando Inſtigator, ſive ſecretus, ſive apertus, & publicus, cauſæ reviſionem efflagitat, & præſtitis neceſſariis cautelis, refectionem expenſarum, tam primæ, quam ulterioris inſtantiæ, promittit (*f*). Quod vero diximus, in criminalibus in devolutivo tantum appellari, intelligendum eſt in mulctis, ſeu pœnis pecuniariis, cum de cætero agendo de pœna corporis afflictiva appellatio non concedatur, id enim conſentaneum eſt Juri communi *in l.244. ff. de verbor. ſignificat.* ibi:

(a) *In tit. de purgat. Canonic. n.5.* (b) *In cit. cap. recepimus eod. tit. num.4.* (c) *Lib.13. cap.7.* (d) *L.3.c.33.n.3.* (e) *Ad Defenſ. Reorum 36. cap.3. per tot.* (f) *Farinacc. quæſt.102.*

ibi: *Appellari non posse a pœna* (scilicet corporali) *bene vero a mulcta pecuniaria*; at in Urbe, & Statu Ecclesiæ id insuper servatur, quod neque admittitur appellatio circa pœnas pecuniarias, nisi facto deposito actuali, vel data cautione de solvendo in casu succumbentiæ, per Constitutiones 128. Pii IV, & 180. S. Pii V.

6. Quoniam vero hactenus expositis Regulis contra Reos præsentes, & in manibus Curiæ existentes proceditur, hinc quanam ratione delinquentes absentes, & contumaces damnentur, pro coronide Tertii Libri harum Institutionum nunc expendendum.

TITULUS XI.

Quomodo contra Reos contumaces procedatur.

Contumaces dicuntur, qui dolose absunt, ne commissi criminis pœnas incurrant, contra quos tamquam ficte confessos potest sententia condemnatoria pronunciari, si concurrentibus legitimis, & urgentibus indiciis, quod revera crimen patraverint, & citati ad informandam Curiam, præfixo termino, aut saltem per annum a die ejusdem termini, non comparuerint (*a*). Dixi *sententia condemnatoria pronunciari*; id tamen intelligitur de sententia, quæ etiam in absentem possit executioni mandari, cujusmodi est sententia depositionis, privationis ab officio, aliaque similis, ut notat Abbas (*b*). Dixi *concurrentibus legitimis indiciis*; nam in processu contra contumacem constructo requiritur, quod indicia adeo urgentia, & gravia contineantur, tam ex delicto in genere, quam in specie probata, ut rationabiliter Judex possit præsumere a Reo

(a) *Can. Rursus 361. quæst. 3. cap. Veritatis, de dolo, & contumacia, l. absentem Cod. de accusat. cum aliis pluribus.* (b) *In dicto cap. Veritatis, n. 20.*

contumace delictum esse commissum (*a*). Dixi, *si citati non comparuerint*, nam si citatio Rei cum præfixione termini ad comparendum fuerit prætermissa, totus Processus est nullus, ut notat Clarus (*b*), qui etiam advertit, citationem Rei ad comparendum vel personaliter, si fieri possit, vel in loco solitæ habitationis affigi debere, quod quidem Mandatarius Curiæ, qui Cursor dicitur, reproducta in actis citatione, se executum esse testabitur. Dixi *præfixo termino*, qui solet esse quinque dierum, quorum primi tres pro primo, reliqui vero pro secundo, & peremptorio termino assignati intelliguntur. Addidi demum, *aut saltem per annum*; nam quidquid sit in Tribunalibus exteris, praxis Tribunalium Urbis innixa Constitutioni S. Pii V., de qua Panimolla (*c*), est, quod Rei intra annum se præsentantes ad novas defensiones admittuntur cum clausula *salvis indiciis ex contumacia resultantibus*, & eodem modo contra ipsos proceditur, quo contra Reos præsentes procedendum esse affirmavimus (*d*).

2. Præterea pro Statu Ecclesiastico Constitutio Barberina a Cardinali Barberino ejus auctore edita die 25. Maii 1641. servatur, quæ videri potest apud Zuffum (*e*), aliosque. Ea vero disponitur, quod exemplar inquisitionis contra Reum absentem, ut supra diximus, efformatæ in domo solitæ habitationis Rei cum prædicto termino quinque dierum ad respondendum relinquatur. Deinde vero quod intimatione cum alio termino quinque dierum in locis publicis, & solitis facta pro prima die juridica immediate sequenti Reus ad sententiam citetur. In Urbe loco Inquisitionis Monitorium transmittitur, in quo ad instar Inquisitionis *omnes circumstantiæ criminis*, cum termino tamen trium dierum ad se exculpandum exprimi debent, emensoque

(a) *Farinac. de Inquisit. quæst. 1. n. 45.* (b) *Q. 31.* (c) *Decis. 92. addit. 2.* (d) *Farinacc. loc. cit. Raynald. observ. crim. cap. 22. §. 1.* (e) *De legitimatione Processus quæst. 159.*

que termino, & adhibitis solemnitatibus intimationis, & publicationis Monitorii supra præmissis, citatur Reus, ut doceat se Monitorio paruisse; instante autem substituto Fiscali, ut quatuor dilationis termini contumaci assignentur, iis elapsis, & Reo non comparente, in pœnas monitorii declaratur incursus, ut in foro Gubernii sæpe fieri videmus.

3. Dixi in foro Gubernii, quemadmodum enim pro Tribunalibus ditionis Ecclesiasticæ sacræ Consultæ subjectis Constitutio Barberina servatur, quam supra tetigimus, ita in aliis Tribunalibus Urbis, præsertim vero Gubernii, imò & Legationum, peculiares styli, & consuetudines attenduntur, quæ tamen si a Judice contumacialem processum efformante fuerint neglectæ, possunt nullitatem inducere. Diximus item, in inquisitione, seu monitorio ad Reum transmittendo, *omnes circumstantias criminis exprimi oportere*, si enim clara, & specifica enunciatio criminis non habeatur, Reus se nequit defendere, ut ad rem notatur *in l. libellorum cod. de accusationibus*; unde mensem quoque, ipsamque diem commissi criminis esse exprimendam affirmat Cyriacus (*a*). Et licet contrarium afferant Doctores citati per Pellegrinum (*b*); Utramque tamen sententiam conciliat inter alios Scaccia (*c*), asserendo, eo dumtaxat casu expressionem horæ non esse faciendam, quo subdole, & per calumniam a Reo peti deprehendatur. Ad hæc, si plures fuerint inquisiti, quis eorum delinquens fuerit, est exprimendum (*d*); unoque verbo, modum, locum, qualitatem, aliasque omnes præcisas circumstantias ita monitorium debet exprimere, ut si aliquid fuerit prætermissum, vel obscure enunciatum, nequeat Reus condemnari, ut concludit Pellegrin. (*e*). Utque hinc nullitatis periculum prudentes Judices opportu-

Tt 2

(a) *Controv.48. n.51. & seq.* (b) *In prax. Vicariorum par.4. n.6. vers. Sed nunquid dies.* (c) *De Judiciis lib.1. cap.51. n. 35.* (d) *Cyriac. controv.488.* (e) *Loco supra citato.*

portune declinent, nonnullas clausulas in monitorio solent adjicere, quibus etiam non probata qualitate criminis in inquisitione expressi, vel genericis verbis adhibitis, si aliunde de crimine constet, potest Reus in contumaciam damnari, quas quidem clausulas cum amplissime exponat citatus Mirogli (a), ad eum Lectorem remittimus.

4. Cæterum si Reus contumax post latam sententiam, elapsoque anno, vel etiam ante annum elapsum in manus Curiæ devenerit, executio sententiæ contra eum prolatæ suspenditur, donec prævio processu super recognitione personæ plene constiterit, eum esse de quo Bannum, & sententia Judicis loquitur. Recognitio autem personæ fit per confessionem ejusdem Rei, vel si Reus se esse illum impugnet, de quo sententia Judicis loquitur, ad Testes recurritur, qui inter consimiles eumdem recognoscant; Facta vero tali recognitione, etiamsi Reus in negativa persistat; prævia assignatione termini ad allegandam causam, propter quam sententia executioni demandari non debeat, potest ad executionem procedi, *nisi de nullitate, vel injustitia Processus constiterit*; quo quidem casu, ne innocens condemnetur, sublatis contumaciæ pœnis, Reus consulto Principe ad novas defensiones admittitur. Dixi *si de nullitate, vel injustitia processus constiterit*, Reum consulto Principe ad novas defensiones admitti. Quamvis autem acerrima sit inter Doctores controversia: An pro eo casu Processus sit legitimandus; Communius tamen cum distinctione resolvitur; aut enim ex justitia isthæc admissio conceditur, v. g. si sententia contumacialis esset undique nulla, debetque tunc Fiscus delictum probare, & ad hunc effectum Reum subjicere examini, & processum legitimare oportebit; aut admittitur tantum *ex Gratia*, eoque altero casu adstringitur Reus arctissimo onere innocentiam suam osten-

(a) *Instruct. crim. cap. 5. lib. 1. n. 156.*

ostendendi, ut sententiæ executionem evitet, neque Processus est legitimandus, ut firmat inter alios Raynaldus (*a*). Idemque Auctor (*b*) pressius materiam hanc perscrutando in duobus casibus admissionem *ex Justitia* intelligi concessam affirmat, nempe in casu dictæ nullitatis, & quando Reus intra annum rationabiliter se constituere nequivit, in quibus casibus repetitionem testium., & legitimationem Processus agendam esse concludit.

5. Si vero per Testes non fuerit recognitus, nec ipse, adhibitis etiam tormentis ad probandam personæ identitatem, confiteri voluerit, cum pœna extraordinaria arbitrio Judicis relaxatur (*c*). Quæ tamen de Reis contumacibus adduximus, peculiarem sibi locum vindicant in Bannitis, qui a bannis, seu edictis, per quæ post necessarias monitiones condemnantur, ita vocantur, ut notat Cujac. (*d*), de quibus in *tit. de homicidio* aliqua innuimus. Eos a quocumque impune occidi posse aliqui existimarunt, si de crimine capitali constiterit, etiamsi nondum sententia Judicis fuerit lata, ut inter alios docent Campana (*e*), & Farinaccius (*f*); Verior tamen est sententia contraria, quæ effrænatam istam facultatem pro certis tantum atrocioribus, & enormissimis casibus limitat, in quibus capitalis sententia Judicis prodiit, & in quibus impune licet bannitos occidere, quia occisor Legis, & Judicis vices repræsentat, ut eruditè notat Miglior. (*g*). Et merito: Quidquid enim sit, an ex censura juris etiam pro istis casibus Bannitos occidere liceat, nec ne, ut dubitant Clar. (*h*), Caball. (*i*), aliique; certe ex universalibus pene statutis ob bonum publicum editis, & ex Apostolicis

(a) *Observ. crim. cap. 7. supplet. 5. n. 5. & 6.* (b) *Vot. 175. per tot.* (c) *Farinacc. de Inquisitione quæst. 11. Bonfin. ad Banrimenta cap. 48.*, *aliique communiter.* (d) *Ad lib. 1. Feud. titul. 1. litt. E.*
(e) *Selectar. resol. 27. n. 4.* (f) *Cons. 113. n. 8.* (g) *Instit. Canon. lib. 4. tit. 11. diss. 2. n. 18. & seq.* (h) *Prax. crimin. §. Homicidium num. 72.* (i) *Resol. crim. casu 61. num. 1. & seq.*

licis constitutionibus pro Statu Ecclesiastico evulgatis bannitos istos occidere utilissimum est, ut ostendit Raynald. (*a*). Occiso autem Bannito, vel ejus caput ad Tribunal defertur, vel satis est etiam, quod per Testes, aliasque concludentes probationes de occisione doceatur, ut præmium recipi valeat, ut concludit idem Raynald. (*b*). Nunc ad pœnas, quibus delicta puniuntur, ut promisimus, accedamus.

CRIMI-

(a) *Observ. crim. cap.*1. §. 4. (b) *Cap.*33. §. 13. *ad* 17. *n.* 50.

CRIMINALIUM INSTITUTIONUM LIBER QUARTUS.

DE POENIS.

ABsoluto jam in *Primo Libro*, Deo dante, tractatu de personis, a quibus crimina coercentur; de delictis tam in genere, quam in specie in *Secundo*; de ordine in caufis, & Judiciis Criminalibus servando in *Tertio*; reliquum est, ut pro cumulata, absolutaque Criminalium Institutionum materia, pœnas, quas in decursu præcedentium librorum pluries nominavimus, aliquantulum fusius exponere aggrediamur. Cum autem nimium protraheretur oratio, si pœnas omnes seorsim explanare contenderemus, quæ utroque Jure contra delinquentes fuerunt indictæ, hinc ne plus æquo hic ultimus Institutionum liber ex una parte porrectus videatur, ex altera vero, ut nihil prætermittatur de iis, quæ scitu digna videntur, in earum dumtaxat pœnarum indagine immorabimur, quæ in viridi sunt observantia, atque nedum in nostra hac Urbe, & Curia, verum in omnibus fere Principatibus delinquentibus inferuntur. Fæ porro pœnæ vel ab Ecclesiastica, & spirituali profluunt potestate, cujusmodi sunt depositio, & degradatio, nec non censuræ, de quibus actum non fuit in 3. *lib. Canonicar. Instit.* post tractatum *de judiciis*, ut huic loco reservarentur; quibus accedunt irregularitas, ut inquiunt, ex delicto, vel delicti suspicione orta, aliaque pœnas istas concomitantia, seu istis pœnis adnexa; Vel a sæculari jurisdictione procedunt, licet quandoque etiam ab Ecclesiasticis Judici-

bus

Judicibus mero, & mixto imperio pollentibus, aliquæ saltem earum irrogentur, cujusmodi sane sunt aliquæ non corporales, ut dignitatum, & officiorum privatio, mulcta, seu pœna pecuniaria, aliæque, quæ corporis afflictivæ non sunt, aliæ vero corporales, ut carcer, funis, fustigatio; quæ quidem tres pœnæ non capitales dicuntur, quia pro delictis non capitalibus irrogantur, ad differentiam aliarum pœnarum, quæ pro delictis capitalibus plerumque imponuntur, ideoque pœnæ capitales vocantur, cujusmodi sunt ultimum supplicium, triremes, exilium, bannum, & confiscatio, seu publicatio Bonorum, de quibus omnibus singillatim differendum assumimus. Cum vero, ut alias innuimus, facilius sit speciem intelligere, cognito genere, antequam enunciatas pœnas attingamus, non incongrue notitiam pœnarum in genere præmittendam arbitramur.

TITULUS PRIMUS.

De pœnis in genere.

QUoniam experientia plane compertum habemus, nihil magis coercendæ hominum improbitati prodesse, quam pœnarum severitatem; prout nihil magis ad virtutem allicere, quam præmiorum spem, & fiduciam (*a*), idcirco nihil antiquius habuerunt Supremi Legislatores, quam pœnas constituere a delinquentibus subeundas: *Sunt enim*, inquit Plutarchus (*b*), *hæc duo quasi elementa quædam virtutum, nam & præmii spes ad optima quæque studia promptiores, & pœnæ metus ad actiones pravas tardiores facit*. Et ad rem Seneca (*c*): *Instituta sunt*, inquit, *publica supplicia, non tantum, ut Rei pereant, sed ut alios pereundo deterreant; siqui-*

(a) *L. 1. C. de assessoribus, Can. Sunt quædam, Can. Nos vos. 23. quæst. 5.* (b) *In vita Solonis.* (c) *Lib. 1. de Ira.*

ſiquidem ex punitione Reorum boni lætantur, & mali timidiores redduntur ad delinquendum. Idemque repetitur *in l.1. Cod. ad l. Jul. repet.*

2. Pœnam ſane deſcribit J. C. (*a*) *Noxæ vindictam*, vel *delicti mercedem*, juxta Thor. (*b*), vel, ut etiam explicat Scannarola (*c*), *pœna eſt debita coercitio a lege, & miniſtris legis impoſita*. Ut autem eadem pœna delicto commenſuretur, eique plane reſpondeat (cohærenter ad textum Deuteronomii (*d*) ibi: *Pro menſura delicti erit plagarum & modus*, quod in ipſo Dei judicio ſervari teſtatur Divus Joannes (*e*); *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. De qua quidem æqualitate egregie Ovidius (*f*):

Tutius exilium paulo quietius oro
Ut par delicto ſit mea pœna ſuo.)

In varias quidem claſſes pœnæ fuerunt opportunè diviſæ, præcipuè vero in ordinarias, & extraordinarias, corporales, & non corporales, legales, & conventionales, capitales, & non capitales. Pœna ordinaria eſt, quæ a legibus fuit expreſſe definita, atque in eo judicio, ubi ad petitionem partis, vel ad inſtantiam Fiſci juxta regulas juris proceſſus agitur, ſolet inferri; contra vero extraordinaria dicitur pœna, quæ vel in judicio extraordinario, non ſervato ſcilicet judiciali ordine, vel arbitrarie juxta circumſtantias a judicibus irrogatur, ut advertunt Marant. (*g*), & Anguian. (*h*). Merito autem ordinariæ pœnæ fuerunt conſtitutæ, quia ſcilicet facilius inde humana coercetur audacia, tutaque redditur inter improbos innocentia, ut advertit S. Iſidorus (*i*), quem explicat S. Thomas (*k*).

(a) *In L. 131. ff. de verb. ſignif.* (b) *Vot. 31. n. 48.* (c) *De viſitat. carcerat. §. 12. cap. 1. num. 2.* (d) *Cap. 25.* (e) *Apocal. cap. 18.* (f) *In Triſtib.* (g) *De Ordin. Judic. diſt. 10. num. 6.* (h) *Lib. 2. controv. cap. 5. n. 34.* (i) *In can. 1. diſt. 4.* (k) *1. 2. q. 65. art. 1. verſ. Sed contra.*

3. Dividitur ulterius pœna in corporalem & non corporalem. Corporalis est, quæ corpus affligit, adeout dolorem, livoremque patiatur. Non corporalis est, quæ vel ad animam præcise dirigitur, quæque idcirco spiritualis vocatur, vel si bona, aut famam hominis tangit, ut est v. g. pœna pecuniaria, adhuc corpus hominis inde minime læditur. Iisque accedit pœna altera, quam temporalem, vel medicinalem, vel etiam mixtam appellant, quia a corporali, & spirituali distinguitur, & de utraque quodam sensu participat. Exploratumque est, pœna corporali, aut spirituali neminem posse pro aliena culpa puniri; altera vero pœna, quæ temporalis, vel medicinalis, vel, ut diximus, mixta vocatur, unum pro altero, seu pro alterius culpa posse coerceri, ut docuerunt Antonius Gomez (*a*), & Guttier. (*b*). Unde jure receptum habemus, quod cum Interdictum in hac pœnarum specie adscribatur, populus pro contumacia Principis, aut alterius Prælati eo potest damnari, ut hac occasione facilius Princeps, vel Prælatus ad bonam frugem revertatur, ut advertit etiam Turetus (*c*).

4. Dividitur tertio pœna in conventionalem, & legalem; conventionalis est, quæ a partium conventione vires assumit, contra vero pœna legalis est, quæ a jure constituitur; unde sequitur, non esse in Judicis arbitrio repositum, pœnam conventionalem immutare, prout inspectis circumstantiis facere potest in pœna legali, quod quidem exemplificari solet in Emphyteusi, vel in alio quovis contractu, cui certa dies, vel conditio fuerit forsan apposita, adveniente enim tempore, vel conditione impleta, aut non impleta juxta leges contractus, non eo quidem extenditur Judicis arbitrium, ut possit contrarium statuere, sicque jus ex vi, &

(a) *Lib. 3. var. resolut. cap. 2. num. ultim.* (b) *De delictis q. 53.*
(c) *In notis ad Ivonem Epist. 266.*

vi, & natura contractus habenti, præjudicium irrogare, ut cæteris omissis notat Covarruvias (*a*).

5. Non est autem hic prætereundum, quod quidquid sit in genere de contractibus, qui constituta determinataque pœna passim stipulantur, certe in sponsalibus pœna adjici nequit, licet stipulari possit, quod interest, quanti scilicet interfuit sponso, vel ratione damni passi, vel ratione lucri amissi sponsalia non fuisse exequuta, ut docet Bald. (*b*); & pœnæ certæ promissionem inutilem esse, licet fuerit juramento firmata, testatur Guttierez (*c*) vivissima illa ratione, quod alias sponsus, vel sponsa, quæ justis caussis a sponsalibus resilirent, contra proprium votum cogerentur matrimonium celebrare. Quod quidem extra controversiam procedit, si pœna fuerit apposita ab illo solvenda, qui juste potest a sponsalibus resilire, *ob celebrem Textum in cap. Gemma, de sponsalibus*, quidquid sit num pœna adjici possit in casu, quo quis a sponsalibus sine justa causa recedere velit, in quo quidem articulo Doctores dissentiunt eundem Textum exponendo, & alii negative, alii affirmative respondent.

6. Tertio dividitur pœna in capitalem, & non capitalem, eaque dupliciter accipitur, una scilicet sanguinis, quæ mortem irrogat (*d*), altera vero sine sanguine, ut est v. g. deportatio, de qua infra, quæ licet non sit corporalis, ut habetur *in cap. ad audientiam, de crimine falsi*, & probat etiam Nicolaus Antonius (*e*); cùm tamen per eam caput a Republica civiliter abscindatur, merito inter capitales pœnas adscribitur.

7. Ex pœnis autem hactenus recensitis aliquæ non sistunt in specie, aliæ verò in specie versantur. Primæ sunt, quæ diminutionem, vel augumentum admittunt,

 ut est

(a) *Lib. 3. Variar. cap. 17. num. 4.* (b) *In L. ultim. C. de sponsalibus.* (c) *De matrim. cap. 17.* (d) *Ad text. in l. 3. ff. de pœnis.* (e) *Lib. 2. de exil. cap. 31.*

ut eſt mulcta, ſeu pœna pecuniaria, aliæ vero ſunt, quæ intra eandem ſphæram nullam diminutionem, vel augumentum recipiunt, ut ſunt v. g. pœnæ fuſtigationis, & mortis; nam decreta pœna mortis, quatenus minui oporteat, tranſitus fieri debet ad alterum pœnæ genus, & quatenus augeri, nihil plus adjici poteſt, niſi modus mortis inferendæ; aliæ verò pœnæ in eodem ſupplicii genere poſſunt augeri, vel diminui, ut ultra mulctam eſt pœna triremium ad tempus, quæ minuitur, vel juxta circumſtantias augetur.

8. Cæterum non ſolum in facientes, ſed etiam in conſentientes pœnæ a jure ſtatuuntur, imo eadem pœna conſentientes ſæpe afficiuntur, ut probant Textus *in Can. facientes 3. 86. diſt. cap. ſicut 6. §. illi autem, de homicid. l.1. §. pœna 2. C. de raptu virg.* aliique: ſatiſque innuit Quintilianus (*a*); *Hoc natura ſimile eſt facere ſcelus, & probare.*

9. Quamquam vero graviorem pœnam conſentientibus, quam facientibus eſſe irrogandam alii textus probare videantur (*b*); aliquando tamen leviorem imponi ſuadet alter textus *in cap. ſicut 6. §. illi etiam, de homicid. & in l.2. ff. ad L. Pompejam.* In quorum proinde jurium conflictu dicendum eſt circa hanc pœnarum inflictionem, totum negocium repoſitum eſſe in Judicis arbitrio, qui diſcuſſis, & ad juſtitiæ lancem appenſis circumſtantiis, quæ, & qualis pœna ſit irroganda dijudicabit (*c*).

10. Porro antiquitus delictorum pœnæ multipliciter redimi conſueverunt, ut conſtitutum videmus in jure canonico (*d*). Qui ſane uſus præſertim apud veteres Germanos invaluit, a quibus certa pecuniarum ſumma delicta omnia, ipſumque homicidium æſtima-

(a) *Declamat. 255.* (b) *In Can. tanta 24. 86. diſt. can. qui alia 32. quæſt. 3. can. qui conſentit 100. quæſt. 3.* (c) *Farinacc. in Prax. 4. p. quæſt. 129. num. 32.* (d) *In Can. ſi quis presbyter 2. de pœnis.*

mabatur, & indiſtincte facinoroſi, niſi læſæ majeſtatis Rei eſſent, per pecuniariam ſummam pœnam luebant, quæ dicebatur compoſitio, ut advertit Tacitus *de moribus Germanorum*, ibi: *Luitur enim homicidium certo armentorum, ſeu pecudum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus*. Late Petrus Gregorius (a), & Rouſſelius (b). Quem tamen uſum pro gravibus ſaltem delictis abolitum, revocatumque fuiſſe eſt undique exploratum. Et merito quidem: in ſummum quippe univerſæ Reipublicæ humanæque ſocietatis detrimentum vergeret, ſi auro, & pecunia oblatis poſſet quis delicti pœnam effugere, ſolique inopes debita pœna damnarentur. Quæri hic ſolet, quæ pœna in genere delicto reſpondeat, & ſi una in loco domicilii, altera in loco delicti fuerit ſtatuta, quænam Reo debeatur? Reſpondent autem communiter, eam pœnam debitam eſſe delictis in genere, quæ in loco criminis conſtituitur. Idque exemplificatur in contractibus, qui juxta leges loci, in quo initi ſunt, contrahentes adſtringunt, unde æquali jure debent delinquentes pœna in loco criminis ſtatuta coerceri (c).

TITULUS II.

De pœnis augendis, vel minuendis.

QUamvis, ut ſupra præmiſimus, expediat plurimum Reipublicæ, crimina non remanere impunita; *Impunitas* enim eſt *incuriæ ſoboles, inſolertiæ mater, radix imprudentiæ, tranſgreſſionum nutrix*, teſte Divo Bernardo (d), &, ut ait Cicero (e): *Impunitas maxima eſt illecebra peccandi*: Non debent tamen

(a) *Lib. 4. partit. 13. cap. fin.* (b) *Lib. 6. Hiſt. Pontif. juriſd. cap. 7. num. 6.* (c) *Zoeſius in ff. tit. de Pœnis num. 38.* (d) *Apud Franciſc. de Angelis de delictis, & pœnis part. 3. in exordio.* (e) *3. de Offic.*

tamen Judices præpropere, & festinanter, multoque minus frequenter, nisi necessitas urgeat, ad pœnas prosilire; *Periculosum est enim*, inquit Seneca (*a*), *ostendere civitati quanto plures sint mali*. Quamobrem ut regulæ quædam præ manibus habeantur a Judicibus exequendæ, & in pœnarum inflictione servandæ, hunc titulum opportunè subjicimus, in quo quando augenda, vel minuenda sit pœna, differendum aggredimur.

2. Prima autem regula sic statui potest: Quot sunt circumstantiæ flagitium augentes, vel minuentes, totidem spectandi sunt gradus ad exasperandam, vel mitigandam pœnam idonei, ita ut si pro una circumstantia minuente delictum uno gradu a pœna mortis v.g. recedatur, tunc pro delicto capitali pœna triremium perpetuarum subintret; itemque si duo gradus pro duabus circumstantiis minuentibus concurrant, locus sit pœnæ triremium ad decennium; si tres, ad septennium, si quatuor, ad quinquennium; idemque ad alios casus est æquali jure ampliandum, atque id quidem de juris rigore, etenim de æquitate ad exilium proceditur ad sensum Thesaur. (*b*). Eademque geometrica proportio servanda est in pœnis augendis, ut quotquot scilicet sunt qualitates crimen gravantes, totidem sint gradus pœnas exasperantes, eodem ordine retento, ut augmentum gradatim, & cum debita æqualitate flagitii pariter mensuretur, ut advertit *Flamin. Chartar.* (*c*).

3. Altera item succedit regula, qua edocemur, licet Judex pœnam certam, & in jure determinatam augere, vel minuere nequeat (*d*), id tamen intelligi, quatenus aliqua ratio non concurrat ejusdem Judicis animum movens ad recedendum a pœna certa in jure præ-

(a) *De Clementia lib.1. cap.23.* (b) *Q. forens. 13. n.11. & seqq. lib.3.* (c) *Post Crimin. dec. ejus Filii 66. num.117. & seqq.*
d) *Ad text. in l. nulla ff. de Legib.*

præfinita, ut post textum *in l.1. §.3. ff. ad Sen. Conf. Syll.* firmat Torpillius (*a*). Id autem planam obviamque viam sternit intelligentiæ quæstionis inter DD. agitatæ: utrum Judex, si pœna certa in jure definita non sit de illo pœnarum genere, quæ augumentum, & minorationem patiantur, sed de illis, quæ consistunt in specie, neque item augumentum, aut diminutionem intra ejusdem pœnæ sphæram recipiunt, ut variis verbis Doctores id explicantes utuntur, utrum inquam Judex ex circumstantiis gravantibus possit pœnam magis rigidam arbitrari, & sic a pœna fustigationis v. g. ad pœnam alterius generis graviorem devenire? Communiter autem distinguunt inter circumstantias gravantes simpliciter, ut sunt v.g. *locus, tempus &c.*, & inter alias magis gravantes, & delictum in altiorem speciem redigentes, quæ quidem in homicidio exemplificari possunt de *mandato*, *cum interventu pecuniæ*, *proditione*, vel cum alia circumstantia commisso, quæ quidem qualitates homicidium simplex in homicidium de mandato, in assassinium, & in proditorium, unoque verbo in qualificatum immutant, ut fusius in secundo libro exposuimus (*b*). Hoc autem præmisso, probabilius videtur, concurrentibus circumstantiis primi generis, quales sunt v.g. *locus*, *tempus*, & similes, pœnam certam a jure indictam in specie consistentem nullum augumentum recipere; concurrentibus vero ponderosioribus aliis circumstantiis crimen in altiorem sphæram extollentibus, pœnam etiam in specie consistentem posse a Judice augeri, & exasperari, firmat inter alios Raynaldus (*c*), qui refert etiam pœnæ mortis, tractionem ad caudam equi, scissionem, seu combustionem cadaveris, aliudque simile supplicii genus, nisi concurrentibus relatis gravioribus circumstantiis, addi non posse.

4. Ter-

(a) Q.142. *num.39.* (b) *Sub titulo de Homicidio.* (c) *Cap.38. §.4. n.60. 61.*

4. Tertia tandem regula non incongrue hic subnectenda est, ubi scil. recedere expediat propter aliquam minuentem circumstantiam a pœna corporali non posse ad aliam pœnam mitiorem corporalem descendi, sed oportere omnino ad aliam pœnam non corporalem commigrare, ut testantur Riccius (*a*), Guazzin.(*b*), & Vermigliolus (*c*); Quibus tamen cum contradicant Avendan. (*d*), & Prat. (*e*), e re erit utriusque sententiæ Auctores consulere, ut quæ magis solida videatur opinio, altera rejecta, recipiatur.

5. His vero in genere, & in abstracto circa augumentum, vel minorationem pœnarum prælibatis, ut exactius singula intelligantur, operæ pretium erit circumstantias aliquas augentes, vel minuentes in specie delictum in medium proferre, ut quisque inde ingenio suo conjicere possit æquale pœnarum augumentum, vel minorationem iisdem circumstantiis respondere.

6. Quamquam igitur in genere causæ omnes, ex quibus pœnæ reorum augentur, vel ad consuetudinem delinquendi, vel ad frequentiam delictorum redigantur, ut notavit inter alios Raynald. (*f*), ideoque præcisis his circumstantiis pœnæ minuantur; melius tamen in praxi sequentes causæ proferuntur. Et primo quidem *tempus* delictum augere consuevit, ut si commissum fuerit de nocte, vel solemni aliqua die, ut pluribus citatis *post textum in l.2. & 4. ff. de furtis*, ostendit inter alios *Vincentius Maxilius* (*g*). *Locus* item commissi criminis spectabitur, ut si in Ecclesia, vel cum divina celebrantur officia (*h*), vel in Palatio Principis, vel in Religioso altero loco ab injuriis hominum immuni, vel tandem coram Prætore, aut Judice

(a) *Dec.169. n.9.* (b) *Ad defens. Reorum defens. 33. cap.14. num.15.* (c) *Cons.68. n.9.* (d) *De exeq. Mand. Reg. p.2. c.16. num.17.* (e) *Observ. Crimin.1. per totam.* (f) *Lib.1. §.1. n.11.* (g) *Ad consuetud. Barenses in Rubrica Quousque dies intelligatur.* (h) *Farinac. quæst.105. n.206.*

dice (*a*). Crimen insuper in carcere patratum graviorem pœnam expostulat, nisi forte ad injuriæ propulsationem, aut iracundia movente, patrari contigerit, semper enim iracundia a præmeditatione seclusa criminis gravitatem imminuit (*b*).

7. Accedunt his aliæ circumstantiæ delictum, pœnamque correspectivè gravantes, ut si a larvato delictum patraretur; (Larvatus vero dicitur, qui vestes non suæ conditioni congruentes assumit); vel si ab habente consuetudinem delinquendi, vel si de delicto pessimi exempli ageretur, vel si pluralitas delictorum concurreret, vel demum si contra Personam in dignitate constitutam præsertim a subdito irrogaretur injuria, ut si filius patrem, vel dominum servus offenderet, quæ quidem circumstantiæ delicti qualitatem adaugent, ut late expendit *Carpzovius* (*c*). Si vero curiosè quis quærat, an patri ob sibi illatam a filio injuriam independenter a Judice competat jus illum puniendi, & an Judex debeat quoad totalem pœnæ remissionem, moderationem, vel augumentum, patris judicio deferre, legat Raynaldum (*d*).

8. Pressius autem gradum hinc faciendo ad criminum, pœnarumque diminutionem, operæ pretium est præmittere, triplici præsertim fundamento, delictorum punitionem fuisse a legibus institutam; primo scilicet, ut delinquentes coerceantur, pœnamque crimini debitam subeant; secundo, ut satisfiat offenso, ejusque honor resarciatur; tertio demum, ut inde in alios traducatur exemplum, quo perciti a delictis abstineant. Ad totidem verò causas reduci possunt momenta, quæ crimen, & pœnam imminuunt; vel scilicet propter verisimilem emendationis fiduciam; vel propter nullam, aut levem offensi jacturam; vel ob qua-

Tom. III. X x

(a) *L. Prætor. §. atrocem ff. de injuriis.* (b) *Pignatell. Consult. 66. num. 17.* (c) *Quæst. 23. num. 38., & ead. quæst. 23. n. 8,* (d) *Cap. 6. §. 3. & 4. num. 20. & seq.*

qualitatem delicti, quæ talis naturæ non sit, ut ad alios retrahendos a crimine punitionem saltem rigidam, & severam expostulet, ut has exponendo causas advertit inter alios *Aulus Gellius* (*a*). Cum vero in nonnullis personis causæ istæ copulative, aut disjunctive sæpe concurrant, plane sequitur, pœnas esse in iisdem circumstantiis temperandas; unde Nobiles mitius puniuntur, ut habetur *in Can. Nobilis* 2. *quæst*.4. *lege Capitalium* 28. §. *ultimo ff. de pœnis*, & diserte cecinit Prudentius de Bonifacio Martyre:

Persona quæque competenter plectitur;
Magnique refert vilis sit, an nobilis:
Gradu Reorum forma tormentis datur.

Id tamen intelligitur quoad pœnas arbitrarias, non verò pro illis, quæ lege aliqua, vel consuetudine statuuntur, ut advertit cit. *Carpzovius* (*b*). Ecclestastici item mitius puniuntur, contra quos extraordinaria imponitur pœna pro crimine, quod contra Laicos ordinaria pœna foret puniendum (*c*). Eodemque retento principio, ætas delinquentis pœnæ minorationem exposcit, inchoando scilicet ab impubertate; infans enim usque ad ætatem quinquennii utpote ratione carens nullo modo punitur, quia sine dolo, ut alias innuimus, nec propriè delictum committitur, unde nec pœna debetur (*d*); Prout etiam ætate minoribus parcitur, hoc est de jure communi usque ad 25. ætatis annum completum, & juxta locorum diversas consuetudines vel ad 20., vel ad 18. etiam annum, ut *in Institutionibus Civilibus* fusius firmavimus. Imo minores ob defectum judicii, aut nunquam, aut raro fuisse morte damnatos, testatur *Farinaccius* (*e*), præsertim si municipali jure vel ad 20., vel ad 18. annos minoris ætatis complementum fuerit redactum.

9. Seni-

(a) *Noct. Attic. lib.6. cap.8.* (b) *Quæst.*2. *n.*12. (c) *Raynald. not.*66. *n.*10. (d) *L. qui injuriam ff. de Furtis*. (e) *Quæst.*92. *num.* 108.

9. Senibus etiam in pœnalibus aliquommodo parcitur, minorque pœna irrogatur, ex textu *in L. Divus Hadrianus ff. de termino moto*, ibi: *Et possunt in tempus cujusque patiatur ætas relegari, idest si junior in longius, si senior recisius, seu brevius*; Consonatque textus *in L. si quis in gravi 3. ff. ad Senatum Consultum Syllanum*; Qui tamen textus intelligendi sunt de senibus decrepitis, alias enim in pœnalibus senectutem ad evadendam pœnam non suffragari sustinet inter alios citatus *Carpzovius* (*a*); Intelligendique pariter sunt de pœnis illis corporalibus, quæ citra vitæ periculum senibus infligi non possunt, alias enim, si senes potèntes sint viribus, & nullum de eorum vita periculum timeatur, non excusantur (*b*). Itemque ob vitæ periculum, morbo, adversaque valetudine laborantes, mitiùs puniri notat *Scannarola* (*c*), qui etiam refert, Sacram Consultam pluries monuisse Gubernatores locorum, ne inhabiles ad triremes condemnènt, utque eandem Consultam de impedimento certiorent ad obtinendas facultates pro pœnæ commutatione, ne alias pro arbitrio suo iidem locales Gubernatores impedimenta confingant, & citra justam causam pœna delicto debita minuatur.

10. Subsequuntur autem aliæ causæ, quæ pœnæ minorationem promerentur. Huc enim spectant calor iracundiæ (*d*): justus dolor, ideoque ad provocationem alterius crimina commissa aliquommodo excusantur (*e*); ebrietas item (*f*), nisi forsan delinquens solitus sit inebriari (*g*): multoque magis fatuitas, & nimia, atque inusitata quædam simplicitas (*h*); Spontanea enim confessio, quæ nimiam simplicitatem præsefert,

(a) *Quæst.144. num.819.* (b) *Carpzovius loco citato a n.26. ad 31.* (c) *Lib.2. §.31. num.28.* (d) *Leg. Aut facta 16. §.2. ff. de pœnis.* (e) *Bonfin. append.2. ad cap.20. num.18. & 19.* (f) *Can. inebriaverunt 15. quæst.1.* (g) *Carpzovius q.146. n.48.* (h) *L.2. ff. Si quis in jus vocatus non venit.*

ſefert, cuidam legali fatuitati æquipollet (*a*). Quando autem ſpontanea dicatur confeſſio, expendit inter alios Conciolus (*b*), prout etiam quando qualitas a Reo confeſſioni adjecta poſſit a Fiſco ſcindi, & a confeſſione criminis ſeparari, ut minorem pœnam imponat, idem Conciolus exponit (*c*), noſque etiam ſupra de confeſſione Reorum agentes innuimus (*d*). Accedunt his aliæ cauſæ, quæ non videntur prætereundæ; Parentum enim juſſus pœnam imminuit (*e*): Numerus quidque filiorum delinquentis (*f*): Incertitudo delinquentis inter plures æque de eodem crimine indiciatos (*g*): Remiſſio Partis offenſæ (*h*): Felix eventus non correſpondens delinquentis conſilio, ut notat Matth. (*i*).

11. Ad hæc pars pœnæ ante ſententiam ſatisfactæ pro minoratione ſuffragatur, primo nempe quoties Reus grandem expenſarum jacturam fuerit paſſus, quæ in partem pœnæ computatur, ut notavit Bonfinius (*k*); Item ſi quis diu in carcere fuerit detentus, unde detentionem in carcere per annum æquipollere quatuor menſibus triremium, advertit citatus Bonfinius (*l*); Idque exemplificatur in exceſſive torto, quia tortura indebite illata ordinariæ pœnæ minorationem expoſtulat, ut notat Giurba (*m*); Et quod generaliter gravatus a Judice ordinariam pœnam evadat, ſuſtinet inter alios Raynaldus (*n*). Multitudini tandem delinquentium eſſe aliquommodo indulgendum, in delictis præſertim pœna mortis coercendis, & in iis caſibus auctores tantum

(a) *Farinac. quæſt.145. num.9.* (b) *Reſolut. Crim. verbo confeſſio reſolut.3. num. 4.* (c) *Reſolut.24. per totam.* (d) *Lib.3. tit.9.* (e) *Carpzovius quæſt.18. num.45.* (f) *Raynald. Vot.75. num.17.* (g) *Farinac. quæſt 90. num.30.* (h) *Raynald. Vot.75. num.20.* (i) *De criminib. tit. de Sicar. cap.3. n.11.* (k) *Bonfin. Junior ſuppletione ad cap.66. num.54.* (l) *Ad cap.45. num.211.* (m) *Conſil. Criminal.43. num.32.* (n) *In additione ad Vot.160. num. 54.*

tantum puniendos firmat Bonfinius Junior (a); Unde invaluit vetus proloquium:

Ob populum multum crimen remansit inultum.

Cui consonat Seneca (b); dicens: *In singulos Imperatoris severitas distinguitur, at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus, nam licet non tollat culpam, nec iram sapientis turba peccantium, intelligit tamen quam iniquum sit, & periculosum irasci publico vitio.* Unde merito Scipio Africanus, seditione inter milites exorta, in eos tantum, a quibus initium tumultus cœperat, animadvertendum censuit dicens: *ita fieri posse, ut pœna ad paucos, exemplum ad multos perveniret*, referente Plutarcho (c), & illustranteque Solorzano (d). Sed si multitudo in scelere perseveret, aut delictum commissum fœdissimum, gravissimumque sit, tunc totam quoque puniri posse, & deleri multitudinem, constat ex generali Sodomorum punitione, & ex illa, quam Moyses propter peccatum idololatriæ in viginti duo millia hominum fecit.

12. Præcipuè autem Judici in augendis, vel minuendis pœnis perspiciendum est, utrum dolo, an culpa lata aliquid sit admissum; nam quæ dolo committuntur, ea proprie crimina appellantur, & ordinaria pœna vindicantur (e); quod vero culpa lata admissum est, mitius, & extra ordinem punitur (f). Investigandum est insuper, utrum consummatum sit crimen, an inchoatum, & attentatum; attentatum enim non eadem pœna, qua perfectum, sed mitiori extra ordinem esse puniendum, communis est sententia, exceptis criminibus atrocissimis, in quibus voluntas sceleris eadem pœna, qua effectus punitur, uti de crimine læsæ majestatis est *Textus in l. quisquis cod. ad l. Juliam majestatis*, & de crimine Parricidii *in l. 1. ff. ad l. Pompejam de*

(a) *In suppletione ad caput 145. num. 132.* (b) *Lib. 2. de ira cap. 10.* (c) *In Scipione.* (d) *Emblem. 75. in fine.* (e) *L. 7. ff. ad l. Corneliam de Sicariis.* (f) *L. 5. 16. 28. ff. de pœnis.*

de Parricidiis; Nosque etiam de utroque crimine agentes adnotavimus. Demum præ oculis Judex habeat oportet, ut pœnæ interpretatione Juris potius sint emolliendæ, quam exasperandæ, ut tradit *Hermogenianus in l. penultima ff. de pœnis*, necnon *Paulus in l.* 155. *ff. de regulis juris*; & passim docetur in jure Pontificio, *ut in cap.* 11. 15. & 30. *de regulis juris in* 6. Ex quo quidem infertur communis doctrina, quod in pœnalibus de casu ad casum extensio fieri non debeat, ex eodemque principio docent citati per Menochium (*a*), pœnam commissam arbitrio Judicis nunquam usque ad mortem extendi, cum nimis arduum videatur, Judicis arbitrio tantum concedere, nullo statuto, aut lege concurrente, præsertim in materia pœnali, in qua in dubio mitior semper sententia est eligenda (*b*).

13. Illud verò pro hujus tituli coronide animadvertendum, pœnas scilicet bannimentales moderationem aliquam, seu discretam quandam, & æquitativam interpretationem expostulare, potius enim ad terrorem promulgantur, quam ut adamussim religioseque serventur (*c*). Cæterum cùm pœnæ supra attactæ in duas præcise *classes* dividantur, *in spirituales* scilicet, quæ ab Ecclesiastica potestate, & *temporales*, quæ a judice laico, vel etiam ab Ecclesiastico merum mixtumque imperium habente delinquentibus imponuntur; cumque inter easdem ecclesiasticas spiritualesque pœnas, de quibus primo loco agere oportet, principem sibi vindicent locum depositio, & censura, idcirco pauca quædam de depositione, de qua *in Institutionib. Canon.* (*d*) hic acturos promisimus, & de Censuris sunt proferenda.

TITU-

(a) *Lib.*1. *de arbitr. quæst.*86. (b) *Text. litteral. L. Interpretationem ff. de pœnis*. (c) *Raynald. Vot.*75. *n.*22. (d) *Lib.*1. *tit.* 17.

TITULUS III.

De Depositione .

QUemadmodum Imperatores, Principes, aut copiarum, exercituumque Duces militari ordine, & equestri cingulo spoliare consueverunt milites notatos infamia, aut quos indignos militari ordine judicabant (*a*); ita quidem Ecclesia exemplo hujus exauctorizationis inhærens, indignos improbosque ministros suos officiis, beneficiis, ac privilegiis clericalibus privat, eosque ab exercitio Ordinum arcet, in quo summa Ecclesiasticæ depositionis ex recepta Sacrorum Canonum doctrina consistit, atque versatur. Dixi, *ab exercitio Ordinum arcet*; Per depositionem quippe character clericalis animæ inhærens nec deletur, nec potest deleri, ut pluribus citatis advertunt Theologi apud Suarez (*b*). Ex quo sequitur, Clericum depositum debere recitare horas Canonicas, si in sacris sit constitutus, servare castitatem, aliaque omnia peragere, quæ characteri adnectuntur, ut advertit Passerin. (*c*); Aliàs enim commodum ex propria iniquitate reciperet, ut nemo non videt; idque locum habet etiam in eo depositionis genere, quæ degradatio dicitur, de qua infra disseremus. Itemque sequitur, Episcopum, aut Sacerdotem depositum valide sui ordinis actus exercere, quamvis ob contemptum Ecclesiæ majorem excommunicationem incurrant (*d*).

2. Dupliciter sane depositio exercetur: aut simpliciter declarando Clericum esse depositum, aut exequendo eandem depositionem cæremoniis, & ritibus ab Eccle-

(a) *Ad Text. in L. quia §. non omnis ff. de re militari*: (b) *De Censuris disp.39. sect.1. n.7.* (c) *In Cap.1. num.4 3. de Hæreticis*. (d) *Cap.1. de Cleric. excommun.*

Ecclesia præscriptis. Hinc dividi solet depositio in verbalem, & actualem, vel realem, seu in non solemnem, & solemnem, seu in simplicem depositionem, & degradationem. Quamvis enim nomina depositionis, & degradationis promiscue passim accipiantur, ut notant communiter *Canonistæ in cap. si quis Presbyter, de Clerico excommunic. &c.*, & advertit etiam Morinus (a), reipsa tamen distinguuntur. Verbalis enim depositio est sententia Episcopi, seu Judicis Ecclesiastici, qua Clericus, seu Prælatus Ecclesiasticus officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis perpetuo privatur; Degradatio contra est privatio eadem realiter acta, seu executioni commissa.

3. Olim quidem si degradandus erat Episcopus, ultra Metropolitanum requirebantur duodecim Episcopi (b); Si Presbyter, sex (c); Si Diaconus, vel Subdiaconus, tres (d); Totum vero Capitulum, si Clericus in minoribus constitutus foret degradandus (e); quod tamen subinde universim fuit a Tridentina Synodo innovatum, respectu enim depositionis Episcopi sacra Synodus statuit (f), quod causæ omnes Episcoporum criminales solius Pontificis judicio definiantur, itaut hodie depositio Episcoporum sit una ex majoribus causis Sedi Apostolicæ reservatis: quoad reliquos autem Clericos in sacris constitutos idem Tridentinum (g) inhærens *Textui in cap. quoniam, de hæreticis in 6.* decrevit, in locum Episcoporum totidem Abbates usum Mitræ, & Baculi habentes, vel in horum defectum alios in dignitate Ecclesiastica constitutos, ætate graves, aut juris scientia commendabiles posse subrogari; & demum quoad Clericos in minoribus, aut sola tonsura insignitos, solam Episcopi sententiam sufficere.

4. Di-

(a) *Lib. 2. exercit. cap. 21.* (b) *Can. si quis Episcopus 6. quæst. 4.* (c) *Cap. 1. de hæreticis in 6.* (d) *Cap. 2. de pœnis in 6.* (e) *Cit. cap. 2. de pœnis in 6.* (f) *Sess. 24. de reformat. cap. 5.* (g) *Sess. 13. cap. 4.*

4. Diximus, degradationem, ſeu depoſitionem realem, privationem eſſe Officiorum, & Beneficiorum realiter actam, & executioni commiſſam. Ea vero in hunc modum peragi conſuevit, juxta formam præſcriptam a Bonifacio VIII. *in cap. degradatio* 2. *de pœnis in* 6., ubi etiam verba referuntur, quibus poteſt Epiſcopus uti in auferendis veſtibus a Clerico degradando. Clericus igitur degradandus ſacris veſtibus decoratus, ac ſi in officio ſui Ordinis miniſtrare deberet, adducitur ante Epiſcopum Pontificalibus indutum; præmiſſa deinde criminis exprobatione, ſacris veſtibus exſpoliatur; Inſuper ne veſtigium ſuperſit Clericalis tonſuræ, caput, & manus cultello, ſeu vitro eidem leviter abraduntur; Et demum traditur Curiæ Laicali, precibus ſerio additis, ut citra mortis, & mutilationis periculum caſtigetur. Quoniam vero realis depoſitio eſt actus ex Eccleſiæ inſtitutione adnexus Ordini Epiſcopali, nequit Vicario Generali committi, ut notarunt *Gloſ. in cap. tranſmiſſum* 15. *de elect. verb. De talibus*, Abbas (*a*), Suarez (*b*), & Morinus (*c*).

5. Alterum vero diſcrimen eſt inter ſimplicem depoſitionem, & degradationem; hæc enim privat Clericalibus privilegiis tum Canonis, itaut ſi quis degradatum injuſte percuſſerit, Reus non fiat excommunicationis latæ *in can. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. tum Fori, itaut a Judice ſæculari puniri poſſit, ideoque, ut dictum eſt, traditur illi ab Eccleſia ipſius gladio puniendus; His autem privilegiis neutiquam privat ſimplex depoſitio.

6. Rurſus pœna depoſitionis pro iis tantum criminibus irrogatur, quæ gravem infamiam inducunt, ut ſunt adulterium, ſtuprum, furtum, ejuſque generis alia; Contra vero degradatio in ſolis delictis a jure expreſſis inducitur, nec ſatis eſt, ſi pœna ordinaria mortis forent punienda: Crimina autem ſunt hæreſis, præ-

(a) *In cap. non poteſt, de ſentent. & re judic. num.*3. (b) *De Cenſur. diſp.*30. *ſect.*1. *n.*18. (c) *Lib.*2. *exercit. cap.*11.

ſertim cum pertinacia (*a*) ; Falſificatio item literarum Apoſtolicarum (*b*) ; Conſpiratio pariter contra proprium Epiſcopum , & in ejus necem conjuratio (*c*) , & demum aſſaſſinium (*d*) . Hiſque alia addenda ſunt ex nonnullis Summorum Pontificum Conſtitutionibus , ut Sodomia frequentata, *ex Conſt. S. Pii V. incip. Horrendum illud, quæ exſtat tom.* 4. *p.* 3. *Bull. p.* 33. Sollicitatio mulierum in confeſſione, *ex Bulla* 34. *Gregor. XV. incipien.* Univerſi *in Bullar. tom.* 3. Crimen tondendi , & fabricandi monetas in Italia , atque adulterinas aliis ſcienter tribuendi , *ex Bulla Urbani VIII.* 25. *incipien. In ſuprema* ; Crimen itidem celebrandi Miſſam , & aliorum confeſſiones audiendi in eo , qui Sacerdos non eſt , ex *Conſtit.* 81. *Clementis VIII.* & Urbani VIII., quas innovavit Bened. XIV. *Conſt.* 97. *Bullarii tom.* 1. *p.* 342. ; Furtum ſacræ Pyxidis , in qua Euchariſticum Sacramentum aſſervetur , ex *Conſt. Alex. VIII. & Ven. Innocen. XI.* confirmatis ab eodem *Bened. XIV. Conſtit.* 93. *ejuſd. Bullarii tom.* 1. *p.* 314. de quibus conſulendi ſunt Fagnanus (*e*), Barboſa (*f*) , idemque Benedictus XIV. (*g*).

8. Quamvis autem Auctores citati apud Layman. (*h*) exiſtiment , poſſe aliquem degradari etiam pro aliis enormibus criminibus , prout eſſet homicidium qualificatum , v. g. Parricidium , vel Sacerdotis occiſio , & generaliter pro omnibus illis delictis , quibus jus civile pœnam mortis inflixit , ſi pluries , & iterato fuerint commiſſa , cùm hoc caſu enormitatem quandam contineant ; Hæc tamen ſententia communius rejicitur , exceptoque caſu , quo Clericus incorrigibilis ſit , degra-

(a) *Cap. ad abolendam ; & cap. excommunicamus, de hæretic.*
(b) *Cap. ad falſariorum 7. de crimine falſi* (c) *Can. ſi quis Sacerdotum 17. 11. q. 1. Gloſ. in cit. cap. ad abolendam.* (d) *Cap. 1. de homid. in 6.* (e) *In cap. cum non ab homine 6. & ſeq. de Judiciis.*
(f) *De Offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 110. num. 10.* (g) *De Synodo Diœceſ. lib. 9. cap. 6. per tot.* (h) *Theol. moral. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. n. 6.*

degradari eum non posse statuitur (*a*). Fatentur tamen omnes, posse Summum Pontificem pœnam debitam moderari, imo etiam degradatos in pristinum statum restituere.

9. Nemo tamen existimet, hæc inter simplicem depositionem, & degradationem discrimina jure novo invecta fuisse, nam cohærenter ad antiquam Ecclesiæ disciplinam fuerunt provide præfinita; Olim quippe depositi in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam vel ad tempus, vel in perpetuum detrudebantur, unde magis proprie dicebantur suspensi, quam vere depositi, quod nunquam in degradatis fieri consuevit, ut advertit Gonzalez (*b*); Itidemque simpliciter depositi privilegium Fori, & Canonis retinebant, ut amplissime eruitur *ex cap. cum non ab homine, de judic.* ibique advertunt Wiestner (*c*), & Schmalgrueber (*d*), quæ quidem unice amittebant, cùm solemniter per degradationem fuissent ab albo Clericorum expuncti. Demum depositos Clericos inferioribus civitatis ministeriis addictos aliqui affirmant (*e*), ut tali medio resipiscerent, quod in degradatis non contigit. Quoniam vero plures arbitrantur, depositos, aut degradatos pœna communionis laicæ, vel peregrinæ olim quoque punitos: antequam materiam hanc de depositione, seu degradatione absolvamus, præstat ad intelligentiam veterum Canonum duas hasce pœnas, de quibus non infrequenter mentio occurrit, ad examen revocare.

10. Porro Bellarminus (*f*), Salmeron (*g*), aliique apud Lindanum (*h*) in eam abierunt sententiam, laicam scilicet communionem nil aliud fuisse, quam communionem sub una panis specie, quo quidem sensu laica communio juxta hodiernum Ecclesiæ ritum re-

(a) *Videatur Bened. XIV. loc. cit.* (b) *In cit. cap. si quis Presbyt. de Cler. excomunic. &c.* (c) *Num. 73.* (d) *Num. 135.* (e) *In Novel. 83. Justin. Imperat.* (f) *Lib. 4. de Eucharistia cap. 24.* (g) *Tom. 9. in Evangel. tract. 35. fol. 369.* (h) *Lib. 4. Panoplia cap. 58.*

ëte ea diceretur, quæ laicis, vel ipsis Sacerdotibus extra Sacrificium communicantibus datur: Verum hujusmodi opinio insubsistens plane dignoscitur, cùm olim etiam ipsi Laici sub utraque specie communicaverint, ut in Instit. Canon. advertebamus (*a*). Baronius (*b*), Duarenus (*c*), Albaspinæus (*d*), aliique eam laicam communionem intelligunt, quæ non intra sanctuarium, seu (ut inquiunt) cancellos, ubi soli Clerici communicare consueverant, sed extra dabatur; Sed pœna laicæ communionis non de diverso tantum communicantium loco explicanda videtur, aliàs enim Sacerdotes, qui infirmitate detenti, domi communicassent, communionem laicam accepisse dicendi essent, quod nusquam scriptum reperitur. Unde Gibalin. (*e*), Morinus (*f*), aliique plurimi tradunt, laicam communionem accipere, idem fuisse, atque omnino deponi, & Laicorum jure censeri. Nunc de communione, quam Peregrinam vocant, aliqua sunt subjicienda.

11. Quamvis igitur aliqui existimaverint, Communionem peregrinam (cujus mentio occurrit *in Canonibus Conciliorum Regiensis*, *Agathensis*, & *Ilerdensis*, ex quibus patet, eam fuisse pœnam Clericorum) laicam pariter exstitisse, ideoque laicam, & peregrinam communionem pro eadem fore intelligendam; Opinio tamen hæc abunde refellitur *ex can. 2. dicti Concilii Agathensis*, ubi disertissime legimus, Clericos ad communionem peregrinam redactos, post actam pœnitentiam gradum suum repetiisse, nulla autem spe emendationis, & restitutionis in pristinum gradum, in laicam communionem detrusos, ut notavit inter alios *Gabriel Henao* (*g*), qui idcirco autumavit, peregrinam com-

(a) *Lib. 2. in tit. de Sacram. Eucharistiæ.* (b) *Tom. 2. Annal. an. 154. n. 91. tom. 5. anno* 400. *p. 119. & anno* 407. *p. 263.* (c) *De Ritibus Eccles. lib. 2. cap. 55. n. 7.* (d) *Lib. 2. obser. cap. 4.* (e) *De Censur. disq. 7. q. 12. consect. 7.* (f) *Lib. 2. Exercit. cap. 8. & 9.* (g) *Lib. de Sacrific. Missæ tom. 3. disp. 18. sect. 36.*

communionem fuisse peregrinationes, sive temporarias, sive perpetuas criminosis Clericis in pœnam injunctas. Cùm tamen hujus, aliorumque idem sentientium opinio nullo Ecclesiastico monumento fulciatur, hujusmodi hinc, aliisque sententiis, quas erudite refert, & confutat *Joseph Paschalis Cyrillus* (*a*), postpositis, probabilior, ac verisimilior sententia videtur, quæ tradit, communionem peregrinam pœnam fuisse, qua Clerici criminosi detrudebantur in conditionem peregrinorum Clericorum,qui sine litteris seu testimoniis suorum Episcoporum huc illucque evagabantur: in hoc autem hæc pœna præcipuè consistebat, quod isti Clerici criminosi alerentur quidem de redditibus Ecclesiæ, nullis tamen sui Ordinis muneribus fungerentur; quemadmodum vero etiam Clerici peregrini, qui sine litteris suorum Episcoporum evagabantur, si se vere Catholicos probassent, ad Eucharistiam admittebantur, ita Clerici ad communionem peregrinam redacti, si se Eucharistia indignos non præbuissent, ad eam admittebantur, ac demum condigna peracta pœnitentia officium suum repetebant, ideoque cum hujusmodi Clericis tamquam cum Christianis, non tamquam cum Clericis communicabatur.

12. Meritoque hinc putat *Albaspinæus* (*b*), hanc pœnam communionis peregrinæ similem illi fuisse, quam in jure Romano patiebantur deportati, de quibus *in Institut. Civilibus* egimus (*c*), qui quidem ea omnia, quæ juris civilis sunt, amittebant, quæ verò juris gentium, retinebant; Cumque, ut supra adnotavimus, *ex can. 2. Concilii Agathensis*, Clerici ad communionem peregrinam redacti, post actam pœnitentiam, gradum suum planè reciperent, tuto videtur affirmari posse, pœnam hanc peregrinæ communionis aliquommodo hodiernæ suspensioni exæquari. Exindeque

(a) *In suis Institutionibus Canonicis*. (b) *Loco supra cit*.
(c) *Lib. 1. tit. 4. & alibi*.

deque concludimus, licet Communionis nomen antonomaſtice Euchariſtiam deſignet, ut *in Inſtitut. Canonic.* (*a*) pariter adnotavimus, ex ſacrorum tamen canonum ſtylo paſſim pro ſocietate, quæ inter Fideles habetur, in rerum ſacrarum participatione, vel vitæ communione accipi ſolere; ideoque ſi Clerici ab aliorum Clericorum conſortio excluderentur, ad laicam communionem, ſi peregrinorum more viverent, ad peregrinam redacti dicebantur; Utrumque autem pœnæ genus licet depoſitioni ſimplici, vel verbali poſſet convenire, minime degradationi, ſeu depoſitioni ſolemni adaptari potuiſſe, ex hactenus expoſitis comulatiſſime intelligitur.

TITULUS IV.

De Cenſuris.

CEnſuræ, quæ non (ut hactenus expoſitæ pœnæ) ad ſolos Clericos pertinent, ſed ad omnes indiſcriminatim improbos compeſcendos ab Eccleſia adhibentur, ſic definiuntur: *pœnæ Eccleſiaſticæ, & medicinales, per quas homo baptizatus, delinquens, & contumax uſu quorundam bonorum ſpiritualium privatur* (*b*). Dicuntur autem pœnæ Eccleſiaſticæ, ſeu *ſpirituales*, ut ſignificetur, ad ſolos Eccleſiæ Prælatos, & ad ſolam Eccleſiaſticam poteſtatem ſpectare jus privandi ſubditos bonis ſpiritualibus; prout etiam dicuntur *medicinales*, ideſt inflictæ, ut Reus emendetur, & reſipiſcat, cùm Eccleſia per cenſuras primario, ac principaliter peccatoris contumacis reſipiſcentiam intendat, ideoque de ratione cujuslibet cenſuræ eſt, ut ſit vinculum diſſolubile, quod per abſolutionem ſolvatur, ſtatim ac peccator fuerit emendatus, & ad

(a) *Lib. 2. in tit. de Sacram. Euchariſt.* (b) *Navarrus cap. 22. Maſtrius cap. 13. de Cenſ. p. 1. art. 1. num. 3.*

& ad meliorem frugem redactus. Neque obstat, censuras impedire usum Sacramentorum, ideoque subtrahendo auxilia ad correctionem opportuna, videri non posse medicinales jure vocari; censuræ quippe sarta tecta adhuc relinquunt præcipua bona spiritualia, nimirum interna, cujusmodi sunt gratia, & habitus virtutum, quibus Ecclesia privare non potest; quamvisve bonis externis, ut sunt Sacramenta, Reus ab Ecclesia privetur, id ideo fit, ut pudore suffundatur, & ad resipiscentiam facilius incitetur; Præsertim quia in ejusdem hominis arbitrio semper positum remanet, satisfaciendo Ecclesiæ, hujusmodi detrimentum evitare.

2. Sequentia ulterius adductæ definitionis verba: *per quas homo baptizatus delinquens, & contumax*, apposité exprimunt conditiones illius, in quem ferri possunt censuræ, prout fusius infra explicabitur. Ultima demum verba: *privatur usu quorundam bonorum spiritualium*, indicant censuras privare dumtaxat iis spiritualibus bonis, quæ sunt in potestate Ecclesiæ, cujusmodi sunt Sacrificia, Sacramenta &c. Ecclesia enim communibus, & interioribus bonis gratiæ, virtutum infusarum, aliisque similibus nec privat, nec potest privare, ut mox innuebamus.

3. Sedulo tamen hic ad veteres, novosque Canones probe intelligendos animadvertendum arbitramur, in antiquis nempe Canonibus nusquam censuræ nomen occurrere eo sensu, quo nunc usurpatur; Veteres enim *pœnarum*, & *pœnitentiarum* passim vocabulum adhibuere, licet quoad substantiam censuras Ecclesiæ Patres etiam antiquiores inflixerint, ut solide, & erudite ostendit Bened. XIV. *(a)*.

4. Quoniam verò plura in hac materia censurarum quæri solent, nempè an Ecclesia potestatem habeat eas ferendi, a quonam censuræ fuerint inventæ, a quibus, & in

(a) *De Synodo Diœces. lib. 10. cap. 1. & 2.*

& in quos ferri possint, quæ sint in iis observanda, ut rite proferantur, ob quam causam, seu culpam infligi queant, aut debeant, quæ causæ ab iis excusent, ac denique quis ab iisdem absolvere valeat, & quomodo inter se dividantur, non inopportunum erit, si brevius quoad fieri potest, singula attingamus.

5. Quamquam igitur esse in Ecclesia potestatem ferendi censuras perperam neget Joannes Wicleff, quem sequutus fuit Joannes Hus, hocque ipsum Novatores Lutherani, & Calvinistæ in discrimen dubiumque redegerint, qui aliquam dumtaxat excommunicationis speciem, ac larvam admittunt ad solum effectum conservationis morum, & disciplinæ, quæ quidem excommunicationis species juxta ipsos, pure externa est, nec intus hominem ligat; Hujusmodi tamen potestatem residere in Ecclesia evidenter demonstratur ex sacris Scripturis, & præcipue ubi Christus Dominus alloquens S.Petrum hanc ipsi potestatem promisit, ac tradidit (a) ibi: *Tibi dabo claves Regni cælorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis &c.*: quod autem Petro nominatim promisit Christus, cæteris etiam Apostolis fuisse concessum pariter constat (b) ibi: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*: Quibus quidem verbis utrobique prolatis auctoritatem, ut inquiunt, clavium concreditam extitisse, unanimis, & perpetua docet Ecclesiæ traditio, sanctorumque Patrum consensus in eamdem veritatem concorditer conspiravit.

6. Hanc ulterius potestatem ferendi censuras exigit bene ordinata Ecclesiæ Constitutio, in qua *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ut dicitur *Actorum* 20. Optimum quippe cujuslibet societatis regimen poscit, ut legum severitate mali coerceantur; actumque omnino foret de jurisdictione ejusdem Ecclesiæ,

(a) *Matth.16.19.* (b) *Matth.18.18.*

clesiæ, aut observantia legum Ecclesiasticarum, nisi eadem Ecclesia posset refractarios, & contumaces spiritualibus saltem pœnis damnare, ut tali medio eosdem ad ovile reduceret; innocentes vero pœnarum saltem timore incitare, ut sancte & piè in eodem ovili perseverent (*a*).

7. Supposita igitur hujusmodi potestate, inquiri solet, quisnam censuras in Ecclesia introduxerit? Nullam porro censuram a Christo fuisse institutam tradunt Gibalinus (*b*), aliique. Quamvisque censuræ promanare dicantur a Christo quoad auctoritatem illas ferendi, ipsa tamen censurarum institutio humana est, quia nunquam legimus Christum Dominum hanc vel illam censuram instituisse; nec contrarium evincitur ex verbis illis, quæ leguntur apud Sanctum Matthæum (*c*), a quibus censurarum originem aliqui mutuantur, ibi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*, cum iis, quæ sequuntur, quod scilicet ibi excommunicatio designetur, ut aliqui autumant; cùm enim Judæi publicanos vectigalia redimentes, & Ethnicos utpote incircumcisos odio, & livore prosequerentur, per ea verba mandavit Christus D. sceleftos homines, ac si essent Publicani, & Ethnici, esse vitandos, non tamen præcise hanc pœnam excommunicationem esse sancivit.

8. Pronoque hinc alveo fluit, ab Apostolorum auctoritate, illis tamen a Christo Domino communicata, censurarum originem esse depromendam; Et re quidem verà, si de excommunicatione (cæteris censuris pro nunc prætermissis) sermo sit, institutionem ad ipsos Apostolos esse referendam, apprime demonstratur, tum ex facto Apostoli Pauli relato 1. *ad Corinth. cap.5. ver.3. & 1. ad Timoth.I. ver.20.*, tum ex textibus *In can. sicut 16. XI. q.3. & Can. multi 2. quæst.1.*

(a) *D.Thom.3. p. q.1. art. 2. S.Bonav.4. dist. p.7. Scotus dist.19. quæst.5.* (b) *De Cens. disp.3. q.1. sub. num.3.* (c) *Cap.8.*

tum ex aliis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis. Proindeque neutiquam audiendus est Philippus Melanchton, qui cum aliis ejusdem furfuris asseclis non minus impie, quàm imperitè ante exortam Christianam Religionem institutam fuisse excommunicationem effutiit, quia scilicet aqud Romanos improbi homines a sacrificiis arcerentur, & omnium aditu, & societate prohiberentur, ac diris furiisve infernalibus devoverentur (*a*); Parricidæ vero usu bonorum communium pariter privarentur, & apud Græcos communio cum cœtu hominum intediceretur, ut apud Herodotum (*b*), Tholosanum (*c*), Budæum (*d*), aliosque legere est. Æqualique insubsistentia gratis asseruit Polydorus Virgilius (*e*), excommunicationem a Judæis emanasse, quia scilicet apud illos publici peccatores e Synagoga ejicerentur, sicut refert S. Cyrill. Alexand. (*f*); siquidem hæc omnia, & quotquot hujusmodi proferri possunt veterum instituta, toto cœlo ab Ecclesiasticis censuris discrepare manifestissimum est. Eo vel maximè, quod inter effectus præcipuos nostræ excommunicationis adscribitur excludere a participatione Sacramentorum, communium satisfactionum, & illius thesauri, qui per indulgentias in Ecclesia dispensatur, nec non removere ab usu Sacramentalium, in quibus opes, & divitiæ spirituales amplissime continentur. Quorum quidem omnium dispensatio nemini ante Christum Dominum commissa fuit, aut potuit committi, ut notant Gibalinus (*g*), & Suarez (*h*). Neque profecto apud Hebræos, de quibus major difficultas proponitur, Pontifex Aaronicus privare poterat participatione Thesauri, qui tunc nondum dispensabatur, licet idem Pontifex rebelles, & contumaces aliorum societate, suffra-

(a) *Liv. lib.6. decad.3.* (b) *Lib.8.* (c) *In Syntagm. lib. 31. cap.8.* (d) *Annot. post. in Pandectas.* (c) *Lib.4. de Invent. rerum cap.12.* (f) *Lib.6. in Joan. cap.20.* (g) *De Cens. disquis 3. consect.3.* (h) *Tom.4. par.3. disp.51. sect.2. num.18.*

fragiis, & orationibus publicis privare potuiſſet, ut docet cit. Suazez (*a*).

9. Ut a quibus cenſuræ proferri poſſint, nunc diſcutiamus, eas ab omni, & ſolo Prælato Eccleſiaſtico, vel ejus Delegato, id eſt a Clerico juriſdictionem ordinariam, vel delegatam habente, in foro externo proferri poſſe, certum undique eſt, cùm enim poteſtas Eccleſiaſtica fori externi tota ordinetur ad ſervandam morum diſciplinam, utique otioſa omnino foret, & illuſoria, niſi propoſitis pœnis, ac cenſuris rebelles, & contumaces in obedientia contineri, & ad illam poſſent revocari; Nomine autem Prælati Eccleſiaſtici ad hunc effectum intelligitur quilibet Clericus, qui juriſdictionem habeat in foro externo, prout ſunt Romanus Pontifex in tota Eccleſia, Legati a Latere in Provincia ipſis commiſſa, Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante, Prælati etiam regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, aliique omnes ſub generali Ordinariorum nomine comprehenſi, ut notant Doctores communiter apud Bonac. (*b*), & expreſſe cavetur *in cap.* 1. *de major. & obed. cap.* 1. *de offic. Legati, cap.* 1. *de ſentent. excom. in* 6. & alibi paſſim.

10. Vicarii tamen Generales, ſi expreſſum mandatum non habeant, cenſuras ferre non poſſunt, argumento *Textus in cap. licet* 2. *de officio Vicarii in* 6. cùm juriſdictio Vicarii ad ea minime porrigatur, quæ ſpeciale mandatum deſiderant, ut ſatis innuimus in Inſtit. Canonicis (*c*). Multoque minus Parochi, qui ſub titulo, & appellatione Prælatorum non continentur, nec ulla ſaltem perfecta in Foro externo juriſdictione præpollent, ideoque nec cenſuras poſſunt proferre; Atque ex his quidem perſpicue patet, *jus cenſurarum* non a mera poteſtate Clavium, quæ in interiori Foro verſatur, ſed ab ea unice dependere, quæ in exteriore, & contentioſo Foro exer-

(a) *Tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 17. (b) *Diſput.* 1. *de cenſ. quæſt.* 1. *punct.* 2. (c) *Lib.* 1. *tit.* 13. §. 8. *&* 9.

exercetur, ſicque magis eſſe juriſdictionis, quàm Ordinis actum (*a*).

11. Diximus, cenſuras proferri poſſe ab omni, & ſolo Prælato Eccleſiaſtico, vel ejus Delegato, ideſt Clerico &c. quia ſcilicet a ferendis cenſuris Laici omnes arceantur, niſi forte a Romano Pontifice fuerint delegati; (poſſe enim eandem delegationem a Pontifice, Laico fieri docet inter alios Cardinalis Petra (*b*)); multoque magis fœminæ, quibus Clavium poteſtas, neque pro Foro interno, neque pro externo conceſſa ullatenus eſt; indeque ſequitur, a jure cenſurarum etiam Abbatiſſas excludi, quamvis alicubi, ſignanter verò in Germania, ex peculiaribus privilegiis juriſdictione fruantur, ut conſtat *ex cap. dilecta, de majoritate, & obedientia*, ubi ſtatuitur, ab Abbatiſſa Moniales, & Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos excommunicari non poſſe, ſed a Prælato Ordinis, vel Epiſcopo id unice fieri; & quamvis ibidem legatur, pertinere ad Abbatiſſam dictas perſonas propter inobedientias, & culpas officio, beneficioque ſuſpendere, nomen tamen ſuſpenſionis, prout recte notat Suarez (*c*), non propriè, & in rigore pro cenſura eccleſiaſtica, ex cujus violatione irregularitas contrahatur, ſed lato, & improprio ſenſu tantum accipitur, nempè pro præcepto, & ſententia, per quam ſcilicet Abbatiſſa Clerico ſuæ juriſdictioni per accidens ſubjecto ratione alicujus cappellæ, quæ ſive ex privilegio, ſive ex præſcriptione, ſive ex alio quocumque legitimo titulo ad ipſam pleno jure pertineat, celebrationem Miſſarum valeat prohibere, donec mandatis juſſiſque ſuis ſatisfecerit, atque interim eidem honorarium ſubtrahere (*d*).

12. In

(a) *Cit. Bonacin. diſt. 8. part. 4. Scotus 4. diſt. 19. & diſt. 25. part. 1., Faber. diſput. 4. de cenſ. cap. 2.* (b) *Ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom. 3. ad Conſtit. 7. Urbani IV. pag. 352.* (c) *Loco citato.* (d) *S. Thomas in 4. p. 1. art. 1. dub. 19. q. 3. ad 4., Diana p. 5. tract. 9. reſol. 16.*

12. In omnes vero, & solos homines baptizatos, viatores, rationis, & doli capaces, ac subditos ferri posse censuras, non dubitatur; ideoque cùm dicuntur locustæ, aliaque hujusmodi noxia animalia interdum excommunicari, vel anathematizari, id non de vera excommunicatione, quæ censura sit, debet intelligi, sed solum de quadam adjuratione, & oratione facta pro ipsorum interitu, vel expulsione. Pariterque solus homo baptizatus censuræ capax existit; Ecclesia enim nullam jurisdictionem in non baptizatos exercet: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* ait Apostolus (a). Unde Paganus, Judæus, & Turca, si forte violentas manus in Clericum injecerint, nequaquam in censuram prolabuntur (b). Eodemque retento principio etiam cathecumeni censuris innodari non possunt; licet enim habeant baptismum flaminis, &, si ita decedant, salutem æternam consequantur, tamen adhuc in Ecclesiæ gremium non fuerunt admissi, cùm nondum visibiliter per baptismum fluminis fuerint in eam ingressi, & idcirco sub dispositione *de Christianis* loquente non comprehenduntur, & cum Fideli matrimonium contrahere nequeunt; Neque obstat, pro cathecumenis defunctis orari posse, orari siquidem pro illis potest, quia cum baptismo flaminis decedere præsumuntur, non quia revera in Ecclesiæ gremio versentur. Hæretici tamen, Apostatæ, aliique hujusmodi, qui baptisma receperunt, Ecclesiæ jurisdictioni subjiciuntur, riteque censuris Ecclesiæ subduntur, ut constat *ex tit. de hæreticis, & schismaticis*, aliisque in corpore Juris existentibus.

13. Nedum tamen homo, ut censuræ sit capax, debet esse baptizatus, sed insuper viatorem eum existere oportet; non solum quippe in supra relatis verbis edicitur: *Quodcumque ligaveris super terram &c.* quæ sane

(a) *1. ad Corinth. 5. v. 12.* (b) *Can. Si quis suadente diabolo 17. q. 4.*

ſane verba ad mortuos non porriguntur, ſed ulterius qui obierunt, nec contumaces eſſe poſſunt, nec emendari, ideoque propriè, ac directè cenſura ligari non valent (*a*). Ex quo quidem ſequitur, quando legimus, mortuos excommunicari, id eſſe intelligendum vel de quadam execratione, aut deteſtatione, vel de declaratione illius excommunicationis, quam ante mortem fortè incurrerunt, & in qua deceſſerunt, vel de excommunicatione indirecta, qua Eccleſia vetat, ne pro ipſis Sacrificium offeratur, neque conſuetæ preces fundantur (*b*).

14. Eademque ratione, qua diximus mortuum excommunicari poſſe ab Eccleſia, etiam deſcendit, poſſe ab excommunicatione per Eccleſiam mortuum abſolvi (*c*), ſcilicet ſive permittendo, ut pro illo Sacrificium, & preces offerantur, ſive declarando excommunicationem latam fuiſſe in ipſum innocentem, ſive quia etiam ſuppoſita culpa ſinceram de illa antequam moreretur pœnitentiam præſtiterit; quæ proinde abſolutio, ut per ſe patet, non eſt juridica ſententia, ſed vel ſimplex declaratio ſtatus, in quo defunctus reperitur, vel reſtitutio ad honorem, & famam, etiam poſt mortem decreta, quod pluries fieri conſueviſſe in ſacris, profaniſque hiſtoriis refertur. Neque eſt prætereundum ulterius, ad cenſuram proferendam, & reſpective incurrendam requiri, ut homo ſit rationis, & doli capax, alias nec peccare, nec contumax eſſe poterit, quod ad cenſuram incurrendam eſt omnino neceſſarium; Et denique debere eſſe ſubditum ei, qui cenſuram infligit, cenſura ſiquidem actus eſt juriſdictionis, quæ non poteſt a Superiore niſi in ſubditos exerceri, ex vulgatiſſimis juribus.

15. Plura hinc opportunè quæruntur; Primò, an ex-

(a) *Ad Textus in can. 1. 2. 4., 24. quæſt. 2.* (b) *Can. ult. eadem cauſa, & quæſt.* (c) *Ex litterali Text. in cap. Nobis 21. de ſent. excommunicationis.*

extranei, advenæ, peregrini, aliique hujusmodi ligentur censuris eorum locorum, per quæ fortuito transeunt sine animo permanendi? Communis autem sententia docet, eos quidem censuris a jure communi prolatis, vel lege publica omnes afficiente ligari; secus vero, si agatur de censura hominis, seu quæ per sententiam Judicis ad evitanda futura crimina profeRatur; Ratio autem primæ partis est, quia quisque ratione delicti forum sortitur, & fit quodammodo subditus loci, ubi moratur, proindeque ubi peccavit, ibi & puniri, & corrigi potest; statutum quippe, seu lex publica, & communis immediatè afficit territorium, ita ut qui in eo quocumque modo versantur, ad pacem, & tranquillitatem ejusdem territorii, rationem vitæ suæ componere teneantur. Idemque confirmatur ex regula juris (a), *Qui sentit commodum, sentire etiam incommodum debet*. Unde cùm peregrini, forenses, & advenæ gaudeant commodis eorum locorum, in quibus versantur, etiam incommoda debent experiri, ac proinde censuris ligari; quod æquali jure procedit etiam si tempore promulgatæ legis, seu statuti nondum fuerit quis diœcesim ingressus, cùm eadem in hoc quoque casu ratio militet, ideoque idem judicium est proferendum (b). Si vero res sit de censura, quæ est ab homine, idest per sententiam Judicis pro peccatis futuris, ad eaque evitanda fuerit prolata, eo casu qui tempore latæ sententiæ nondum illius territorium ingressi fuerint, censura non ligantur; sententia enim refertur ad tempus, quo pronunciatur, & tunc vim omnem suam in eos, in quos fuerit irrogata, transfundit: unde ad illos, qui tempore latæ sententiæ subditi non erant, minime extenditur.

16. Quæritur ulterius, an quis ligari possit censuris sui Episcopi extra diœcesim existens? & communiter

(a) *L. secundum naturam 10. de reg. Jur. §. cum autem Instit. de empt. & vendit.* (b) *Juxta Text. in L. ille aut ille ff. de leg. 3.*

niter respondetur, censuras eum non afficere, qui extra territorium crimen commiserit, lex enim præsertim odiosa, & pœnalis extra illud non obligat; Aliqui tamen dantur casus, in quibus qui extra diœcesim versatur, censetur in illa delinquere, & ibi patrare peccatum sub censura prohibitum, ideoque etiam censuram incurrit. Quamobrem Ecclesiastici ubicumque sint, cogi possunt per censuras ad residentiam, vel ut ad Synodum statuto tempore accedant, tunc enim contumacia, seu delictum non residendi censetur consummari in loco, ubi residentia foret facienda; idemque dicendum, si lata fuerit censura sub conditione, seu cum ordine, seu respectu ad delictum præteritum, vel ad debitum contractum eo tempore, quo quis in diœcesi morabatur, ut si diceretur, *Nisi qui furatus est, intra mensem restituerit; Nisi delicti auctorem intra mensem non revelaverit, aut suo debito intra idem spatium temporis non satisfecerit, sit excommunicatus*; in hisce enim & similibus casibus si ante elapsum mensem domicilium mutaverit, elapso tempore si non obedierit &c. censuram incurret, quia censetur adhuc manere subjectio in ordine ad talem causam, utpote cœptam, atque inchoatam, ut cavetur *in Cap. proposuisti, de foro competenti*.

17. Quæritur 3. an Episcopus extra propriam diœcesim existens in suum subditum censuras valide proferat? Et negativa quidem responsio resultat ex Clem. *Quamvis, de foro compet.*, ubi cautum est, ne Episcopus jurisdictionem in aliena diœcesi possit exercere, censurarum autem prolatio actum esse jurisdictionis dubitari non potest; nec sanè refragatur, Superiorem existentem in aliena diœcesi subditum in foro conscientiæ absolvere posse, inde inferendo, quod ex eadem ratione possit etiam censuris ligare; in absolutione enim exercetur jurisdictio voluntaria, in censuris vero ferendis contentiosa; rursus in absolutione nullus inter-

-intervenit judicialis strepitus, nullum alteri damnum, aut præjudicium infertur, aliud vero in jurisdictione contentiosa contingit. Nunc quæ in censuris servanda sint, discutiamus.

18. Porro in censuris proferendis cum hac distinctione opportunè est procedendum; aut scilicet agitur de censura a jure statuta, aut ab homine lata; In prima quidem censuræ specie præcedens monitio minime exigitur, quia ipsamet lex, seu præceptum Superioris publicè, & continuo interpellat, *ad Textum, & Glossam in cap. reprehensibilis 26. de appellation.*; Idemque est affirmandum, quando censura per sententiam generalem pro futuris delictis fuit forte prolata. Si verò agatur de censura, quæ per sententiam specialem ab homine infligitur pro culpa præterita, aut præsenti, tunc triplex monitio requiritur, interposito inter unam, & alteram, duorum, vel trium dierum intervallo, aut saltem una monitio est præmittenda, quæ plura temporum intervalla præfigat; veluti si quindecim dies assignentur, quinque pro prima, totidem pro secunda, & tertia, juxta textum expressum *in cap. Constitutionem, de sent. excom. in 6.* Ratio autem invictissima est, quia, cùm censura sit pœna medicinalis, requiritur omnino, ut Rei possint illam præscire, ut a patrandis criminibus, vel a contumacia deterreantur; hinc qui sine monitione subjicit alterum censuræ, non solum nullitatis vitio censuram eandem reddit infectam, sed suspensionem incurrit (*a*).

19. In duplici autem casu potest censura subsistere, licet sine debita monitione proferatur; primo scilicet, si Ordinarius in exercitio jurisdictionis ordinariæ perturbetur, neque possit subsidiis opportunis sua jura tueri; Tunc enim potest etiam sine triplici

(a) *Cap. Sacro, cap. constitutum, de Sent. Excom. in 6. Amanus de del. & pæn. tit. 4. §. 1. n. 81. pag. 167.*

monitione repellendo vim vi, ſupponere cenſuris juriſdictioni ſuæ reſiſtentes (*a*); Cùm de cætero regulariter canonica monitio, de qua mox dictum eſt, Reo perſonaliter fieri debeat, &, ſi malitiosè latitet, cum comminatione ad ipſius domum eſt deferenda, prout etiam ſi ad ejus domum non pateat acceſſus, ad Eccleſiæ valvas, vel ad alium publicum locum affigenda eſt, ut ad Rei notitiam ſecurius perveniat; Reus autem non comparens etiam abſens poterit cenſuris innodari (*b*). Alter verò caſus eſt, quando delictum, & contumacia delinquentis notoria undique ſunt, cùm enim exceſſus notorius excuſatione, & probatione non egeat, nullam tunc cenſura præviam admonitionem requirit (*c*).

20. Verùm non ſolum valida, nulloque intrinſeco vitio infici, ſed juſta inſuper debet eſſe cenſura, ſcilicet non ob indignitatem animi, ſed ob veram contumaciam delinquentis irrogata (*d*); Ideoque Prælatus Eccleſiaſticus debet in ſcriptis cenſuras proferre, atque in iis cauſam exprimere, ut æquitas earum omnibus innoteſcat (*e*). Neque eodem modo de nullitate, ac de injuſtitia cenſurarum Judices cognoſcere poſſunt; Si enim nullitas earum publicè pateat, auditur Reus, licet abſolutus non fuerit, ad differentiam alterius caſus, in quo cenſuræ ſolius injuſtitiæ redarguantur; tunc enim Reus audiendus non erit, quin prius ab eo, qui intulit cenſuras, vel ab alio legitimo Superiore abſolutionem obtineat (*f*). Cæterum ſive cenſura fuerit in ſe juſta, ſive injuſta, a Reo contemnenda non erit, ne aliis ſcandalum præbeatur, ut di-

(a) *Cap. dilecto, de Sent. Excom. in 6. Trid. ſeſs. 25. cap. 3. de Reformat.* (b) *Ex cit. cap. dilecto cum aliis juribus.* (c) *Late Suarez diſput. 3. ſect. 10. n. 18.* (d) *Hoſtienſis in Sum. de ſent. Excom. §. qui ſunt effectus.* (e) *Cap. cum medicinalis cit. tit.* (f) *Cap. Romana §. cum autem, de appellat. in 6. cap. nuper, de ſentent. excommunic. Covarruvias in cap. Alma Mater, de ſent. excom. §. 7.*

ut dicitur *in can.*1. 11. *q.*3. Ob quam verò causam, seu culpam censuræ ferri possint, nunc, ut promisimus, expendendum.

21. Primo igitur indubium est, censuras infligi non posse, *nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia, & inobedientia*; Ratio primi est, quia peccatum merè internum non punitur ab Ecclesia, quæ de internis non judicat, & idcircò censuræ latæ adversus hæreticos eos non ligant, qui exterius hæresim non manifestant; ratio autem alterius est, quia Ecclesia non aliud per censuras intendit, quam Rei contumaciam frangere, eumque relicto peccato ad debitam obedientiam revocare (*a*); unde sequitur, censuram neutiquam imponi posse pro peccato præterito, nisi adnexam perseverantem aliquam contumaciam, vel conditionem alteram habeat, ratione cujus peccatum virtualiter adhuc durare videatur (*b*): Facilique hinc negocio intelligitur, quare excommunicatur, qui v.g. famosum libellum conscripserit (*c*), quamvis enim peccatum esset præteritum, cùm tamen auctor libelli excommunicetur, *nisi se prodat*, respectus futuri temporis consequenter, & illativè indicatur, ut scilicet famam restituat, interim vero *donec restituat*, continuo peccato implicatus, involutusque decernitur.

22. Censuræ vero *plerumque* infliguntur ob peccatum mortale, eæ saltem, quæ totales, & præcipuæ sunt, & præsertim excommunicatio major; gravissimas enim pœnas esse censuras, ultimumque ensem, quo Ecclesia delinquentes confodit, non dubitatur, ac proinde non nisi ex gravi causà esse infligendas; meritoque dixi *plerumque ob mortale peccatum*, præcipue Excommunicationem majorem infligi, quia excom-

(a) *Arg. can. Corripiantur* 24. *quæst.*3. (b) *Lamb. Bened.XIV. de Synod. Diœcesf. lib.* 10. *cap.* 9. (c) *In can. quidam maligni* 5. *quæst.*1.

communicatio, quæ dicitur minor, ac ſuſpenſio ad breviſſimum tempus, & ab aliquo dumtaxat officio, gravem culpam, aut propriam, aut alienam, nequaquam ſemper, & indiſtinctè ſupponunt, ad differentiam excommunicationis majoris, quæ omnium graviſſima eſt, quæque idcirco propriam, ac perſonalem culpam requirit, *ad text. in cap. Romana, de ſent. Excom.* Unde excommunicari non poteſt tota Communitas, Capitulum, aut Collegium, ſed tantum privatæ illæ Perſonæ, quæ peccarunt, ut animarum ſcilicet periculum evitetur, quod excommunicato univerſo aliquo corpore conſequi poſſet, cùm ſæpius contingeret, innoxios, & quavis culpa expertes hujuſmodi ſententia irretiri, quod Eccleſiæ pietas non patitur. Ad interdictum vero, & ſuſpenſionem propria culpa non ſemper requiritur, ſed ſufficit etiam aliena, & idcirco interdictum, vel ſuſpenſio in totum aliquod Collegium poteſt infligi propter grave peccatum, quod in ipſo fuit perpetratum, licet nonnulli ex eodem Collegio ſint forſan innoxii. Unde paſſim Civitates, & Regna interdicuntur propter peccatum ſive a Magiſtratu, ſive a Principe perpetratum. Neque eſt ultimo loco in hac materia prætereundum, cenſuras eſſe infligendas ob peccatum opere completum, & conſummatum, & idcircò nedum non ſufficit intentio faciendi peccatum, ſi non ſequatur effectus, cùm peccatum eſſe debeat externum, ut ſupra notavimus, verum nec etiam ſufficit peccatum, quod exterius inchoetur, niſi etiam fuerit conſummatum, quia in odioſis ſtricta fieri debet interpretatio, ex vulgato textu *in cap. odia, de R. J. in 6.*

23. Tranſeundo nunc ad ea, quæ a cenſuris incurrendis excuſant, triplici profecto de cauſa Reus poteſt ab incurſu cenſurarum excuſari. Primo ob errorem, ſi ſcilicet errore juris, vel facti invincibiliter cenſuram ignoraverit, v.g. ſi Ruſticus invincibiliter

liter nesciat percutienti Clericum statutam esse censuram, (dixi *invincibiliter*, ignorantia siquidem crassa, & supina non excusat), vel quatenus hoc sciat, deinde nesciat, eum, quem percussit, Clericali Ordine decorari (*a*). 2. Ob metum, si metu scilicet adactus contra Legem peccaverit (*b*). Excipitur tamen primò, nisi violatio præcepti sub censura cum contemptu Ecclesiæ, & Religionis jungeretur, cùm enim tunc metus ab observantia legis minimè excuset, neque a censura potest excusare (*c*); prout etiam excipitur, si Ecclesia sub censura prohibeat, quod alias jure naturali prohibitum foret, v.gr. adulterium &c., tunc enim probabilius etiam qui metu coactus tale crimen committit, censuram incurrit (*d*); cùm enim præceptum Ecclesiæ tale peccatum sub censura interdicens non adstringat ad aliquid agendum, vel omittendum, quod non secluso eo præcepto fieri, vel omitti deberet, non est ratio, cur illud Ecclesiæ præceptum cessare dicamus. 3. Tandem ob appellationem, si recepta præcedenti monitione *ante emanationem censurarum* ad Judicem superiorem quis apppellaverit (*e*). Dixi *ante emanationem censurarum*, si enim *post appellationem* censura fuerit forsan inflicta, integra stat, donec Judex superior eam infirmaverit; exploratum quippe est, ubi de disciplina, & morum correctione agitur, appellationem non quidem effectum suspensivum, sed tantum devolutivum habere, quatenus nempè non suspensa censura, quæ fuit inflicta, ea ad judicium superioris Judicis confirmanda, vel infirmanda devolvitur; unde si superior Judex priorem sententiam rescindat, non tenetur, qui appellavit, eam observare.

(a) *Cap. si vero, de sent.excomm.* (b) *Cap. sacris, de his, quæ vi, met. causa.* (c) *Reinfestuel in hunc tit. num.34.* (d) *Castropal. disput. 1. punct.8. num.51. de censuris.* (e) *Cap. a Judice, de appellat. in 6.*

re. Merito autem in tribus casibus memoratis censuræ evitantur, ex quo scilicet cùm desit contumacia, non incurritur censura, quæ propter illam infligitur ut pluries supra notavimus.

24. Diligenter tamen hic adnotandum, si is, contra quem fertur censura, sit undique innocens, eadem censura non obligari, quia, ut expresse dicitur *in cap.1. de sent. & re judicata in 6.* Tribunal æterni Judicis Reum non habet, quem injuste Judex condemnat. Verum dubium hic oritur, quando nam quis ob innocentiam excusetur? potest enim 1.contingere,ut aliquis non tantum in Foro interno,& conscientiæ quoad Deum,sed etiam in externo excusetur a culpa: Secundo, ut culpam quidem habeat, illa tamen exterius non sit undequaque probata: Tertio demum, ut culpa non adsit, sed probetur adesse. In primo sane casu omnes conveniunt, sic Innocentem censura ligari non posse, eo enim casu abutitur Judex potestate sua, & consequenter ejus sententia est undique nulla, nec pertimescenda (*a*). Idemque in altero casu est affirmandum, Judex enim ob scientiam privatam, censuram ferre non potest, cùm ejus prolatio ad publicum, & Forense Judicium pertineat (*b*); quod tamen intelligendum est de censura hominis, seu per sententiam ab homine latam, de qua infra sermo redibit; Aliud tamen est asserendum, si Summus Pontifex tamquam Pastor Ecclesiæ per legem, vel Episcopus per statutum ad extirpandum aliquod vitium censuram ferat, quæ ipso jure incurratur, tunc enim in foro conscientiæ, qui delictum perpetravit, ea afficitur, licet delictum in Foro probari non possit (*c*). In tertio demum casu probabilius Doctores existimant (*d*), sic condemnatum, in Foro animæ, & coram Deo ob censuram, communione Fidelium, Ecclesiæ suffragiis, aliisque bonis spiritualibus, qui-

(a) *Cap.6. & 7. de Testibus in 6.* (b) *Castropalaus de Censuris disput.1. punct.8. num.12.* (c) *Engel de sent. excom. n.109.* (d) *In locis supra citatis.*

quibus censura privat, non esse privatum, licet in Foro externo privatus his omnibus censeatur; ideoque ita censuræ suppositus tenebitur in publico ab omnibus actibus abstinere, qui per censuram vetantur, non quidem propter censuram, sed ad scandalum evitandum, & ex vi præcepti naturalis adstringentis obtemperare Judici suo juxta allegata, & probata aliquid præcipienti; atque ita intelligendus est *Textus in can. sententia 11. quæst. 3.* ubi Sanctus Gregorius *sententiam Pastoris sive justam, sive injustam timendam esse pronunciat*, scilicet in Foro externo servandam esse, nec contemnendam. Quoniam vero Ecclesiæ data est potestas non modo ligandi, sed etiam solvendi, præstat, ut de absolutione a censuris verba faciamus.

25. Censuræ porrò, quæ nonnisi in contumaces proferuntur, per solam cessationem contumaciæ, aut per satisfactionem non cessant, sed necessaria est absolutio, ut scilicet eadem publica potestate, qua fuerunt contractæ, dissolvantur; meritoque hinc ab Alexandro VII. proscripta fuit hæc propositio, *quoad conscientiæ Forum reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*: Pariterque non cessant per mortem infligentis, pœna enim per legitimam Judicis sententiam irrogata, transit in rem judicatam, nec proinde morte, aut depositione infligentis deletur; quod multo fortius procedit in censura a jure imposita, jus enim statim ac fuit promulgatum adstringit. Denique non cessant per mortem illius, in quem latæ fuerunt, unde excommunicatus etiam mortuus Ecclesiæ suffragiis, & Ecclesiastica sepultura privatur (a).

26. Cùm igitur censuræ nullis ex prærecensitis casibus cessent, plane descendit, per solam legitimam Judicis sententiam, seu absolutionem dissolvi. Quamobrem si censura fuerit ab homine, tunc ab illa poterit

(a) *Ut constat ex cap. Nuper, de sent. excom. & cap. Alma Mater, eodem tit.*

terit absolvere, qui eam tulit, ejus Superior, ejus Successor, seu Capitulum sede vacante, ad quod Episcopi jurisdictio devolvitur, & Judex appellationis, eorumque delegatus; Si vero censura fuerit a jure, & auctor eam sibi reservaverit, nemo tunc eam potest præter ipsum, ejusque Superiorem, Successorem, vel Delegatum relaxare; In articulo autem mortis quilibet Sacerdos vigore Concilii Trid. *Seff.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 7. potestatem habet absolvendi ab omnibus, & quibuslibet censuris quomodolibet, & cuilibet reservatis; Sed sic absolutus, elapso periculo, tenetur quamprimum Superiorem ad excipiendum illius mandatum adire, aliàs in easdem censuras, a quibus fuerat absolutus, reincidit (a). Si denique censura non fuerit reservata, omnis Sacerdos legitime approbatus ab ea absolvere poterit, *ex celebri Textu in cap. nuper* 19. *de sententia excommunicationis*, ubi Innocentius III. hæc habet: *Quia nimirum Conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso facultatem aliis relaxandi concessisse videtur*.

27. Quod tamen diximus, per solam legitimam Judicis sententiam, seu absolutionem censuras dissolvi, limitatur relate ad suspensionem, & interdictum, cùm nempe ad certum tempus feruntur, & cum aliqua conditione; ut si Sacerdos suspendatur, donec per mensem spiritualibus exercitiis vacaverit, vel si interdicatur Ecclesia, donec fuerit restaurata: cessant enim in his casibus suspensio, & interdictum, absque absolutione, statim ac conditio apposita fuerit adimpleta, ut notant communiter. Sed quoniam varias hactenus censurarum species generatim nominavimus, operæ pretium est, ut ante quam pressius ad excommunicationem, interdictum, ac suspensionem, in quas proprie censura dividitur, accedamus, easdam genericas censurarum divisiones uberius attingamus.

28. Omis-

(a) *Cap. eos, qui, de sent. excom. in* 6.

28. Omissis igitur divisionibus minus principalibus, quæ ex dictis facile colliguntur, tres præ cæteris peculiarem animadversionem exposcunt: Prima est, quod alia est censura a jure, ab homine altera; Censura a jure ea est, quæ per legem, seu statutum perpetuum generaliter in omnes subditos fertur, qui eamdem legem transgredi ausi fuerint: Censura vero ab Homine dicitur, quæ per Judicis sententiam, seu mandatum, aut præceptum temporaneum, & transitorium ordinariè ex causa, & facto particulari, & determinato, seu in particulares personas indicitur, v. g. *Paulus sit excommunicatus, nisi intrà mensem restituat, vel satisfaciat parti læsæ*; vel *Qui talem incendiarium non indicaverit, excommunicationi subjaceat*. Hæc autem inter utramque censuram, a jure nempè, & ab homine, præ cæteris differentia intercedit, quod prima est perpetua, & durat quamdiu lex, quæ censuram imposuit, non fuerit abrogata; Secunda vero per mortem, vel amotionem illius, qui eam protulit, cessat, itaut deinde non incurratur; quod tamen intelligendum est de censura ab homine propter peccatum futurum contrahenda, non vero de censura ante mortem Superioris propter peccatum præteritum forte contracta; hæc quippe etiam post illius mortem perdurat, & per absolutionem est revocanda.

29. Secunda divisio est in censuram latæ, vel ferendæ sententiæ; Prima est, quæ secum trahit executionem, quia statim, ipso facto, seu crimine admisso, & absque alia Judicis sententia incurritur; Censuram vero esse talem dignoscitur ex formulis; *ipso facto, ipso jure, eo ipso, noverit se excommunicatum*, aliisque similibus. Censura ferendæ sententiæ, quæ etiam vocari solet comminatoria, est, quam Superior infligendam comminatur, seu quam Reus non incurrit ipso facto, quando scilicet crimen patraverit, sed per Judicis sententiam debet infligi: id autem dignoscitur ex

formulis: *præcipimus sub pœna excommunicationis*, *sub interminatione anathematis*, *qui hoc fecerit*, *excommunicabitur*, aliisque. In dubio tamen num censura sit latæ, an ferendæ sententiæ, quia odia sunt restringenda, ferendæ sententiæ intelligi, & in mitiorem partem interpretationem faciendam esse, ex vulgatissimis juribus compertum habemus.

30. Tertia demum censurarum divisio est in tres notissimas species, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum, in quas proprie Censura dividitur, per divisionem omnino retinendam: Perperam enim nonnulli tribus relatis speciebus addunt cessationem a divinis, irregularitatem ex delicto, degradationem, & depositionem; quia cessatio a divinis non tam pœna est, quam signum luctus, ac tristitiæ; irregularitas vero ex delicto, depositio, & degradatio non sunt pœnæ medicinales, & ad tempus, quod pro fundamento, & basi in Censuris exigitur, cùm etiam post peccatoris emendationem ordinarie remaneant. Superest proinde, ut de excommunicatione, interdicto, & suspensione distinctim disseramus.

§. I.

De Excommunicatione.

1. Porrò Ecclesia inhærens præcepto Christi *Matt.* 8. 17. ibi: *Si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut Ethnicus*, *& Publicanus*: necnon verbis Apostoli 1. *ad Cor.* 5. 11. *&* 2. *ad Thessalonic.* 3. 14. ubi mandat, *perditos homines tradi Satanæ in interitum carnis*, vetatque *cum iis conversari*; justis exigentibus causis a communione aliorum Christifidelium nonnullos arcere consuevit, quod apud nos excommunicare significat. Excommunicatio igitur generatim definitur: *Censura Ecclesiastica privans externa communione*, *seu usu*, *& participatione bonorum spiritualium fidelibus communium*, *&*

ex

ex Ecclesiæ voluntate, ac dispensatione pendentium, sive ex toto, id est omnium bonorum, sive ex parte, nempe aliorum dumtaxat. Profectò verba illa *bonorum spiritualium Fidelibus communium, & ex Ecclesiæ voluntate, ac dispensatione pendentium*, denotant bona, quibus excommunicatus privatur, nempè Sacramenta, seu usum activum, & passivum eorumdem, publica Ecclesiæ suffragia, ac preces, Indulgentias, Ecclesiasticam sepulturam, convictum fidelium, sive in rebus sacris, v. g. divinis Officiis, jurisdictione, sive in rebus civilibus, & politicis, nempè negociis, contractibus, judiciis &c.; nonnulla siquidem sunt bona spiritualia, quibus non privatur excommunicatus, cùm ea non sint sub potestate Ecclesiæ, sed ab uno Christo interius ea subministrante dependeant, prout sunt gratia, virtutes infusæ, & alia interna bona: nonnulla sunt, quæ pendent a privata fidelis cujuslibet voluntate, seu intentione, & applicatione, quæ Fideles sibi invicem passim communicant, prout sunt opera bona virtutum, jejunia, pœnales satisfactiones, aliaque hujusmodi; unde nemo prohibetur pro excommunicatis etiam vitandis, privatim Deum exorare; & licet Sacerdos nequeat Missam, aut aliud publicum Ecclesiæ suffragium pro excommunicatis offerre, potest tamen privata intentione pro iisdem preces suas ad Deum dirigere, ut ipsis pœnitentiam, ac resipiscentiam elargiatur. Verba autem illa, *sive ex toto, sive ex parte*, majorem, & minorem excommunicationem designant, major quippe omnibus supra relatis bonis, minor vero aliquibus dumtaxat christianum hominem privat (a).

2. Primùm igitur verba facturi de majori excommunicatione, necesse est, inquiramus, an aliquod discrimen inter majorem excommunicationem, & anathema intercedat? Sane *anathematis* nomine denotatur gravissima pœna excommunicationis majoris, una

(a) *Cap. si quem, de Sent. Excom.*

cum aliqua execratione, ac indignatione, itaut sic excommunicatus omnibus detestationi, & abominationi habeatur, unde per *anathema* gravatur ipsa excommunicatio, non quasi substantia ipsius immutetur, sed quia horrorem, & abominationem piis fidelibus ingerit, & hoc præcisè sensu ab Ecclesia in Conciliis usurpatur, quando hæreticis *anathema* dicit.

3. Non omittenda tamen hic est explicatio alterius vocis, *Maranatha*, quæ usurpata legitur a Silverio Papa in Guilisarium his verbis, quæ habentur *in can. Guilisarius* 30. *caus.*23. *q*.4. ibi: *Anathema Maranatha fieret in conspectu Dei*; legitur etiam *in Concilio Toletano* 4. *can*. 75., & significat adventum Domini. Quocircà vox *Maranatha*, si de censuris sermo sit, iisque applicetur, significat, aliquem fore excommunicatum, usque ad diem Adventus Domini; idque anathemati adjici consuevit, cùm enormissimum aliquod, infandumque scelus patratum extitit, ut accidit quando Silverius Pontifex a Guilisario in exilium fuit temere ejectus, idque *in d. can. Guilisarius* 30. *caus.*23. *q*.4. refertur; Videatur Bened. XIV. (*a*).

4. His verò ad ampliorem eruditionem prænotatis, asserimus, majorem excommunicationem pœnam esse gravissimam, quod abundè colligitur tum ex bonis, quibus Christianum hominem privat, tum ex sacrorum Canonum expressionibus, inter quas prætereunda non est expressio *can. omnis* 11. *q*.3. ubi legitur: *Omnis Christianus, dilectissimi, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur*, id est potestati dæmonis, cui libera hinc fit potestas in excommunicatum sæviendi: Et quidem merito; is enim non amplius adjuvatur Ecclesiæ suffragiis, nec ab iis ejus spiritus vegetatur, juxta phrasim adhibitam *in can. Nihil sic* 33. *caus*. 11. *q*.3. Pariterque legitur *in can. Nemo Episcoporum* 41. *c*.11. *q*.3.: *Quia anathema est æternæ mor-*

(*a*) *De Synodo Diœces. lib*.10. *cap*.1.

mortis damnatio, quod intelligendum eſt, dum contemnitur, audacterque violatur.

5. Cùm itaque excommunicatio major, ſit pœna graviſſima, ea nonniſi ob peccata gravia eſt ferenda. Olim quidem gradatim ad excommunicationem procedebatur: Primum enim Reus privabatur oſculo pacis, ſecundo ingreſſu Eccleſiæ, tertio prohibebatur orare cum aliis Fidelibus, quarto denegabatur ei Euchariſtiæ participatio, quinto ab aliis Sacramentis arcebatur, ſexto demum a communibus Eccleſiæ ſuffragiis excludebatur: Modum hunc gradatim procedendi fuſius enarrat *Caſſianus* (a), quem refert *Alterius* (b). Hodie verò licet gradatim procedi non ſoleat, tamen nonniſi in ſubſidium, & aliis remediis deficientibus ad excommunicationem, aliaſve cenſuras plerumque devenitur; quantaque cum ſobrietate, moderatione, & cautela ad eas ſit procedendum, ampliſſime docet Bened. XIV. (c); non prohibetur tamen excommunicatus ingredi Eccleſiam, ibique privatim orare, dummodo ſine ſocio, & ſilentibus Eccleſiaſticis Officiis eam ingrediatur; imo poteſt etiam ibi concioni intereſſe, cùm hæc ſub divinis officiis in odioſis, & pœnalibus non comprehendatur, ut notant communiter.

6. Qui majori porrò excommunicatione innodantur, alii ſunt non tolerati, ſeu vitandi, alii verò tolerati, & non vitandi; Ut autem hujuſce diſtinctionis origo probe percipiatur, prænotandum eſt, ante ſæculum Eccleſiæ decimum excommunicationem, ac quamlibet aliam cenſuram nonniſi per particularem ſententiam decerni conſueviſſe in eos, qui alicujus criminis Rei convincerentur, & tunc quidem facile erat, quoslibet cenſuris innodatos dignoſcere, ac evitare,

(a) *De inſtit. Monach.* (b) *De Cenſur. to.1. diſp.2. lib.1. cap.3. lit. C col.1. verſ. Excommunicatio itaque.* (c) *Cit. lib.10. de Synodo Diœceſ. cap.2.*

tare, utpote qui nominatim per ſententiam fuiſſent damnati; at cùm ſubinde uſus, ac multitudo excommunicationum a jure, & quidem latæ ſententiæ, eodem ſcilicet decimo Eccleſiæ ſæculo invaluiſſet, indeque plura orirentur ſcandala, dum ſcilicet paſſim dubitabatur, in quos caderet excommunicatio illa ab jure lata, aliis ex malitia, aliis ex levibus, frivoliſque cauſis excommunicati notam huic, vel illi inurentibus, decreto Concilii Conſtantienſis *incipien. Ad evitanda ſcandala*, confirmato a Martino V. quod referunt S. Antoninus (*a*), Navarrus (*b*), Covarruvias (*c*), aliique, ſtatutum eſt, quod a commercio hominis excommunicati abſtinere non teneamur, niſi is expreſsè talis a Judice denuncietur, vel notorius ſit Clerici percuſſor; cujus Conſtitutionis vim licet aliqui Doctores conentur infringere, *ex altero Decreto Concilii Baſileenſis ſeſſ.* 20. *ſub tit. de excommunicatis non vitandis*, quod quidem decretum in hac ſaltem parte confirmatum extitit *a Concilio Lateranenſi* ſub Leone X., ſtatuitque, vitandam eſſe communicationem cujuſcunque excommunicati, ſive notorii, ſive publicè denunciati; tamen Suarez (*d*), Caſtropalaus (*e*), Guttierez (*f*), aliique, paſſim docent, ſtandum eſſe præfato Decreto Concilii Coſtantienſis, quia per conſuetudinem ubique receptam cenſetur approbatum, & confirmatum.

7. Non omittendum hìc ulterius eſt, *in præcit. Decreto Concilii Conſtantienſis* nedum requiri publicam denunciationem relate ad excommunicationem, verum etiam in ordine ad quamlibet aliam cenſuram, itaut v. g. non teneatur quis Eccleſiaſticum interdictum ſervare,

vare,

(a) 3. *part. tit.* 25. *cap.* 3. (b) *In Manuali cap.* 27. *num.* 59.
(c) *In cap. Alma Mater hoc tit. in* 6. *part.* 1. §. 2. *num.* 7.
(d) *De cenſuris diſput.* 9. *ſect.* 2. *num.* 4. (e) *De cenſuris diſp.* 2. *puncto* 4. *num.* 5. (f) *Canonic. quæſtion. lib.* 1. *cap.* 1.

vare, niſi ſententia lata contra Perſonas, Collegium, Univerſitatem, certumque alterum hominem, a Judice ſpecialiter evulgata fuerit, ac denunciata; Cumque in dicto decreto poſtmodum verba ſubjiciantur: *per hoc tamen non intendimus relevare, nec juvare ſic excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos*, ex iiſdem verbis jure deducitur, per hujuſmodi decretum favorem fuiſſe inductum pro innocentibus, non verò pro reis, & excommunicatis, qui licet non vitandi, ſe gerere debent, ac ſi eſſent vitandi.

8. Omnes vero Fideles tenentur excommunicatos vitandos, ſeu non toleratos evitare, eorumque conſortium non ſolum in rebus divinis, ſed etiam in prophanis effugere, quæ omnia hoc verſu exprimuntur: *Os, orare, vale, communio, menſa negatur*. *Os* ſignificat vitandum eſſe conſortium in colloquiis, oſculis, amicitiis, muneribus, litteris: *Orare* prohiberi excommunicatis uſum activum, & paſſivum Sacramentorum, communia ſuffragia, & communes, ac publicas preces, tam intra, quam extra Eccleſiam fieri ſolitas: *Vale*, nequidem honorificam ſalutationem excommunicato eſſe exhibendam, nec ipſi aſſurgendum: *Communio* omnem ſocietatem civilem, & omne commercium in contractibus &c. cum excommunicato vetitum eſſe. *Menſa* demum non licere cum excommunicato cibum ſumere, nec cohabitare in eodem hoſpitio, niſi neceſſi-tas forte coegerit.

9. Quod ſi quis in hiſce caſibus cum aliquo excommunicato vitando, ſeu non tolerato communicaverit, minorem excommunicationem incurrit, niſi forſan communicaverit in crimine, ratione cujus ille fuit excommunicatus, v. g. ſi concubina communicet in crimine cum ipſo viro ob concubinatum excommunicato: itemque niſi quis in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ cum excommunicato pariter communicaverit; niſi inſuper quis excommunicatum vitandum in loco

loco ſacro ſepeliverit ; & demum niſi Clericus aliquis ſcienter ad divina Officia illum receperit, qui a Papa nominatim fuerit excommunicatus ; in ſingulis enim hiſce caſibus non minor, ſed major excommunicatio contrahitur, *ad text. in cap. ſignificavit* 18. *cap. ſi concubinæ* 55. *de ſent. excomm. cap. ſtatuimus* 3. *eod. tit. in* 6. *cap. ſacris, de ſepulturis*. Non ſemper autem mortaliter peccat Fidelis, qui cum excommunicato vitando communicat, nam cum diſtinctione proceditur, nempe venialiter dumtaxat peccat, ſi communicet in rebus civilibus, ac temporalibus, atque abſit contemptus eccleſiaſticæ diſciplinæ ; mortaliter vero, ſi in rebus divinis, ob gravitatem ſcilicet materiæ, in qua poteſtas Eccleſiæ contemnitur, ut egregie diſtinguit S. Thomas *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 3.

10. Cùm autem jure antiquo inſpecto indiſtinctè vetitum eſſet omne, & quodcumque commercium cum excommunicato, tum in rebus ſacris, tum prophanis, & ex hoc rigore plures conſcientiarum perturbationes orirentur, prout præ cæteris teſtatur *Ivo Carnutenſis epiſtola* 82., qui enixè conatus fuerat, ut ejuſmodi rigor minueretur ; Opportune S. Gregorius VII. *in can. quoniam diſt.* 11. nonnullos excepit caſus, in quibus impune, & abſque incurſu excommunicationis minoris cum excommunicatis communicamus, ſi nempè ſuadet utilitas ſpiritualis, vel corporalis, tum noſtra, tum excommunicati, v. g. ut præſtemus eleemoſynam inopi excommunicato, aut monita ſalutaria eidem præbeamus, vel hæc ipſa ab eo recipiamus ; Si duo inſuper ſint matrimonio juncti, poteſt uxor cum viro, vel contra vir cum uxore excommunicata communicare ; Idemque dicendum de filiis, ſervis, ancillis, mancipiis, ruſticis, ſervientibus, aliiſque hominibus, qui parentibus, aut dominis excommunicatis ſubjiciuntur ; Eximit quoque ab excommunicatione communio ignoranter habita, ſi v. g. neſciat quis

quis eum, cum quo communicat, excommunicatione irretiri, quod tamen non procedit in ignorantia crassa, & affectata; Prout etiam certa res est, in dubio latæ in aliquem excommunicationis, non teneri quemquam eumdem vitare: secus si certa ipsi foret, & cognita illius excommunicatio, incerta verò absolutio. Tandem excusatur ab incursu minoris excommunicationis ille, qui adactus necessitate, cum excommunicato communicat, si scilicet sine gravi incommodo sibi providere non posset (a); Qui quidem omnes casus hoc versiculo continentur:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Hoc autem jure etiam hodie proceditur, itaut cum nominatim denunciatis, aut notoriis percussoribus Clericorum, qui duo dumtaxat juxta præcitatum decretum Concilii Costantiensis confirmatum a Martino V. sunt excommunicati vitandi, absque incursu minoris excommunicationis in singulis præmissis casibus agere permittatur. Reliquum modo est, ut ad minorem excommunicationem descendamus, quæ *minor* dicitur comparative ad majorem, nec privat iis omnibus Ecclesiæ bonis, quibus privantur, qui majori excommunicatione sunt innodati.

11. Definitur igitur excommunicatio minor: *Censura, qua quis privatur usu passivo Sacramentorum, & electione passiva ad beneficia, aut dignitates Ecclesiasticas:* Hujusmodi porrò excommunicatio minor hodie est solum juris, & in eo casu dumtaxat incurritur, quo quis cum excommunicato non tolerato, & vitando illicite, & extra casus supra expositos in divinis, vel in civilibus communicet; ex commercio enim cum excommunicato tolerato, & non vitando, nulla omnino post memoratum Constantiensis Concilii decretum excommunicatio contrahitur, prout nec, si quis com-

(a) *Cap. inter alia, de sent. excommunicat.*

municaverit in casibus, qui superius citato versiculo comprehenduntur.

12. Diximus, excommunicationem minorem hodie solum juris existere, quia olim erat etiam *ab homine*, & per sententiam Ecclesiasticæ potestatis ferebatur (*a*). Diximus etiam, tunc tantum incurri, cùm extra casus permissos cum excommunicato vitando quis communicet, quia olim excommunicatio minor incurrebatur ob sacrilegium, fornicationem, aliaque delicta, quæ referuntur *ab Innocent. IV. in cap. 1. de sent. excom.*; Nec etiam desunt, qui afferant, olim cum excommunicato communicantem eandem omninò majorem excommunicationem incurrisse, utpote qui in ipso crimine communicat; qui tamen rigor merito evanuit.

13. quamvis autem num olim minor excommunicatio majorem, vel minorem extensionem habuerit, ac nostris temporibus habet, & an fuerint diversæ speciei, disputent inter se, qui antiquam Ecclesiæ disciplinam attentius perscrutantur; Non videtur tamen posse negari, minorem excommunicationem fuisse solius Eucharistiæ privationem, ut eruitur ex *can. Nemo* 41. XI. *q.* 3., cujus hæc sunt verba: *Nemo Episcoporum quemlibet sine certa causa communione privet Ecclesiastica*: idest *Eucharistiæ perceptione*, qui quidem textus ad privationem universalis communionis deinde progreditur. Cumque veteribus idem omnino esset publicæ pœnitentiæ subjici, & excommunicari (*b*), nec etiam videtur posse in dubium revocari, quot olim pœnitentiæ publicæ, tot minoris excommunicationis gradus fuisse statutos. Morinus porro (*c*) quædam profert exempla, seu species minoris, aut minimæ, ut ipse vocat, excommunicationis, nempe cùm Episcopus a suo Metropolitano ad Synodum vocatus venire negligebat,

(a) *Can. miror 17. q. 4. Gloss. in cap. ult. de sent. excommunic.*
(b) *Augustin. epist. 108. & lib. post collat. contr. Donatist.*
(c) *Lib. 2. exercit. cap. 9. & 10.*

gebat, & a communione sui Metropolitani, & comprovincialium Episcoporum usque ad proximam Synodum excludebatur, suorum dumtaxat in sua Diœcesi communione contentus; Item cùm Episcopi, vel Ecclesiæ a mutua communione se separabant, sicque ita una alteram quasi excommunicabat, licet sibi minime subjectam, atque ita de facto S. Epiphanius Joanni Hierosolymitano sibi minime subdito communionem denegavit. Quamvis autem ista communionis separatio a veteribus excommunicatio diceretur, talis tamen proprie non erat, utpote quæ a potestate, & usu clavium minime dependeret, & circa non subditos exerceretur; quocirca hanc, & aliam separationem, de qua supra, placuit aliis melius *pœnas* appellare, quæ juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam exoleverunt. Plura de exceptione excommunicationis in Judicio habita congessimus in Instit. Canonic. (a). Nunc ad alteram speciem censuræ nempe Interdictum progrediamur.

§. II.

De Ecclesiastico Interdicto.

1. Dupliciter siquidem Sacramenta, Divina Officia, & sepulturæ, quæ in Ecclesia ministrantur, exercentur, & reperiuntur, inspici possunt; Quatenus nempe sunt bona in commercio Fidelium existentia, & quatenus sacro usui eorundem deputata. Horum sane privatio, in priori consideratione per excommunicationem, in posteriori vero per Interdictum infertur, quod communiter definitur: *Censura Ecclesiastica a perceptione, vel ministratione quorumdam Sacramentorum, a Divinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura certis in casibus Christifideles excludens* (b). Dicitur *censura*, ut distinguatur ab irre-

(a) *Lib. 3. tit. 8.* (b) *Cap. quod in te 11. de pœnit. & remission, cap. non est nobis 11. de sponsalibus, cap. is, qui, cap. Alma Mater, de sent. excom. in 6.*

irregularitate, & cessatione a divinis, quæ nec censura est, nec pœna, sed quædam simplex prohibitio, cujus vigore Clerici desistere debent a sacris officiis certa in Ecclesia solemniter celebrandis, idque in signum luctus, & mœroris, v.g. ob pollutionem ejusdem Ecclesiæ: Additur *a perceptione*, *vel ministratione quorumdam Sacramentorum &c.* his enim verbis satis apte explicatur discrimen inter interdictum, & excommunicationem, quæ si major fuerit, omnibus communibus Ecclesiæ bonis, & civili commercio Fideles undique privat, ut supra explicavimus.

2. Excludit igitur primò Interdictum a perceptione, vel administratione quorumdam Sacramentorum, nam in Ecclesia interdicta Baptismus, & Confirmatio administrantur, Pœnitentia verò, & Eucharistia permittuntur dumtaxat ea lege, ut non conferantur personis in Interdicto comprehensis, nec iis, qui caussam interdicto præbuerunt, nisi necessitas urgeat: quo quidem casu solum conferuntur, si præfatæ personæ quamprimum se satisfacturas esse promittant (*a*); Sacramenta autem Unctionis, & Ordinis prorsus denegantur (*b*), de Matrimonio tandem hinc inde Doctores disceptant *apud Sanchez* (*c*), & *Suarez* (*d*), quia illius celebratio expresse in Jure non prohibetur.

3. Excludit insuper a divinis officiis; quo nomine continentur singulæ sacræ functiones. Varia tamen in hoc fuit praxis Ecclesiæ; olim enim tempore Interdicti semel tantum in hebdomada ad conficiendam Eucharistiam pro Infirmis Missa celebrabatur, januis clausis, voce submissa, atque excommunicatis, & interdictis ejectis (*e*); deinde singulis diebus januis pariter clausis, & campanis tacentibus Missa celebrari con-

(a) *Cap. Alma mater, de sent. excom. in 6.* (b) *Cap. Quod in te, eod. tit. cap. non est nobis, de sponsalibus.* (c) *Lib. 7. de matrim. disp. 8. num. 2.* (d) *De Censuris disp. 33. sect. 1. num. 50. & seq.*
(e) *Cap. permittimus 57. de sent. excom.*

consuevit. Tandem indultum est, ut diebus festis Natalis Domini, Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & Pentecostes, ac Assumptionis B.Virginis singula divina Officia unà cum omnibus solemnitatibus peragerentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum, divinorum participatio permittitur, ita tamen ut illi, propter quorum excessum interdictum est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Quod quidem Summi Pontifices *Martinus V. in Constit. incipien. Ineffabile* 12., & *Eugenius IV. in Constit. incipien. Excellentissimum* 4., etiam ad Festum, & octavam Corporis Christi extenderunt, & ampliarunt.

4. Postremo tempore Interdicti sepultura Ecclesiastica denegatur (*a*); ii tamen, qui non fuerunt suppositi interdicto, possunt in loco non interdicto sepeliri, imo etiam in loco interdicto possunt tumulari Clerici nominatim non interdicti, quique interdicto sua culpa locum non dederint, dummodo id cum silentio peragatur, quod privilegium ad Monachos, & Moniales extenditur. Si vero alibi in loco non sacro sive Laici, sive Clerici humati fuerint, cessante interdicto, vel ob lapsum temporis in eo expressi, vel impletà conditione, ob cujus defectum prodierat, vel per concessionem absolutionis, ad locum sacrum transferuntur (*b*).

5. Dixi, eos, qui non fuerunt suppositi interdicto, posse in loco non interdicto sepeliri; Aliquando enim in personas tantum, aliquando in loca, aliquando in personas simul, & loca interdictum profertur: Ex quo divisio Interdicti in Personale, Locale, & Mixtum communiter recepta profluxit. Personale est, quod.

(a) *Cit. cap. quod in te* 11. *de pœnit.*, *& remission.* (b) *Cap. a nobis, de sent.excom. Gloss. in cap. ex parte* 2. *de sepulturis*, *Suarez de censuris disp.*35.*sect.* 1. *num.*3. 4. *& sequen.*, *Layman. lib.* 1. *tract.*5. *cap.*2.

quod ad ſolas perſonas dirigitur ; Locale, quo locus tantum afficitur ; Mixtum denique , quod perſonas ſimul , & loca comprehendit , ideoque ſi ſolus locus interdicatur , poſſunt perſonæ ſacris myſteriis alibi intereſſe ; Contra verò ſi aut perſonæ tantum , aut locus ſimul cum perſonis interdicatur , nequeunt alibi Fideles functionibus ſacris adſiſtere (*a*) .

6. Præcipuè tamen notandum diſcrimen , quod inter interdictum Perſonale , & Locale verſatur . Nam interdicto uno genere perſonarum , v.g. Clero, alterum genus , v. g. Populus , interdictus non intelligitur (*b*) : & viciſſim interdicto populo , Clerici interdicti non intelliguntur ; ſi tamen familia integra interdiceretur , Clerici in ea contenti interdicto comprehenderentur , familiæ enim nomine ii omnes intelliguntur , qui eam componunt ; pariterque interdicto toto Clero alicujus Diœceſis , non intelligitur comprehenſus Epiſcopus ejuſdem Diœceſis , niſi fuerit expreſſe nominatus : Contra verò interdicto loco , quæcunque ædes eidem adnexæ interdictæ cenſentur , ideoque interdicta Civitate , etiam ſuburbia , atque interdicta Eccleſia , etiam Cappellæ , Cœmeterium , aliaque Ædificia contigua , & adnexa interdicta intelliguntur , ne aliter in proximis mœniis ſententia interdicti vilipendi videatur (*c*) .

7. Quoniam verò aliquando ſubjicitur interdicto tota aliqua Provincia , vel Civitas , vel etiam Regnum , aliquando verò determinata tantum perſona , hinc oritur altera diviſio interdicti in generale , & particulare ; cujus diſcrimen eſt , quod in particulari ſolum comprehenduntur perſonæ in eodem expreſſæ , at generale ad omnes in Civitate , vel Regno commorantes etiam innocentes extenditur , ut ſic nocentes corrigantur , & populus interdicti tœdio victus clamori-

(a) *Cap. præſenti, de ſent. excomm.* (b) *Cap. ſententia 16. de ſent. excom. in 6.* (c) *Cap. ſi Civitas, de ſent. excom. in 6.*

moribus suis Principem, aut Magistratum, aut eos, qui suo delicto interdicto causam dederunt, ad officium revocet, exceptis tamen ab hac regula parvulis, & amentibus, qui cum non sint capaces pœnarum Ecclesiasticarum, non prohibentur sacris interesse *(a)*. Interdictum pariter generale, & particulare in eo distinguuntur, quod a generali absolvere potest solus Episcopus, qui toti Communitati censuræ obstrictæ præficitur: particulare verò, seu personale, a quocunque Confessario potest relaxari, ut plures docent *apud Castropalaum (b)*.

8. Accedit his altera divisio Interdicti, in Interdictum scilicet a jure, & Interdictum ab homine; Primum est, quod a jure ipso sine ministerio Judicis profertur; secundum, quod justa, certaque de causa exprimenda scripto, non tamen pecuniaria, aut alicujus privati hominis a Judice Ecclesiastico emittitur *(c)*. Coguntur sane omnes exequi interdictum a Judice latum; Unde si Clerici actus Ordinis, a quibus interdicti sunt, exercuerint, fiunt irregulares; Laici verò, atque Regulares exempti, qui illud violare præsumpserint, ipso facto excommunicationem incurrunt *(d)*.

9. Est sane altera interdicti species, quæ ab ingressu Ecclesiæ vocatur, quod præcipuè incurrunt simoniace ordinantes, qui a solo Papa, qui sibi hoc reservavit, possunt absolvi *(e)*; sed cùm interdictum hoc partiale sit, nec sub nomine interdicti, de quo agimus, comprehendatur, innuisse sat est. Nunc de suspensione tractandum.

§. III.

(a) *Vallens. hoc tit. §.11. n.8.* (b) *De censur. disp.5. punct.7. §.2. num.7.* (c) *Cap.1. & 2. de sent. excom. Covarruvias in cap. Alma mater part.2. §.1. num.5. eod. tit. in 6.* (d) *Clementina gravis 2. de sent. excom. cap. is qui, eod. tit. in 6. Trid. sess.25. cap.12. de Reform.* (e) *Lauren. lib.5. tit.3. quæst.113.*

§. III.

De Suspensione.

1. Suspensio, quæ ante Concilium Aurelianense *Abstensio* dicebatur, inducta est a sacris Canonibus similitudine juris civilis, cujus dispositione olim Decuriones ad certum tempus a suo ordine amovebantur (*a*), estque *censura*, *qua Personæ Ecclesiasticæ exercitium sui Ordinis*, *Officii*, *vel Beneficii in totum*, *vel in partem interdicitur* (*b*).

2. Convenit sanè suspensio cum excommunicatione, & Interdicto, de quibus supra locuti sumus; Nam etiam suspensio a Judice Ecclesiastico proferenda est scripto, expressa certa causa, & monitione præcedente, aliter enim Judex suspensionem a divinis incurrit, & per mensem ab Ecclesia removetur (*c*). Convenit insuper, quia suspensio iisdem modis deletur, aut scilicet per lapsum temporis, aut per implementum conditionis, aut per absolutionem legitimi Superioris (*d*). Convenit tandem, quia excommunicatus, suspensus, & interdictus æque irregularitatem incurrunt, si actus Ordinis exercuerint (*e*).

3. Distinguitur verò suspensio ab aliis censuris supra explicatis; quia interdictum, & excommunicatio in omnes, sive Laicos, sive Clericos potest proferri: Contra verò soli Clerici, & Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ possunt suspendi (*f*). Reliquis autem de Clero suspensis, Episcopus a pœna suspensionis eximitur, nisi nominatim exprimatur (*g*); quod etiam ad S.R.E. Cardinales extenditur.

4. Ani-

(a) *L.2. ff.de decurionibus*. (b) *Cap.tuarum, de privileg. cap. quicunque, de sent.excom. in 6.* (c) *Cap.1. de sent. excomm. in 6.* (d) *Cap. nuper, de sent.excom. cap. sacro, eod.tit.* (e) *Cap.1. de sent.excom. in 6. cap.1. de sent., & re judicata in 6.* (f) *Gloss. in cap.quicunque, verbo Ministros, de sent.excom. in 6.* (g) *Cap.quia periculosum, de sent.excom. in 6.*

4. Animadvertendum tamen hic eſt, Suſpenſionem aliquando imponi in modum puræ pœnæ tantum, ſcilicet in meram punitionem culpæ præteritæ, aliquando non ſimplicem pœnam, ſed remedium, & medicinam continere, qua emendatio delinquentis procuratur (a). Triplex autem occurrit diſcrimen inter utramque ſuſpenſionis ſpeciem: primò enim ſuſpenſio, quæ fertur in modum *puræ pœnæ*, tempus habet definitum; quæ autem eſt *cenſura* propriè dicta, pendet ab emendatione, & contumacia: ſecundò ſuſpenſio, quæ *mera pœna* eſt, non requirit præviam monitionem, ſicut ſuſpenſio, quæ vera ſit cenſura: tertiò demùm hæc tolli non poteſt niſi per abſolutionem, illa verò per lapſum definiti temporis ceſſat.

5. Suſpenſio igitur, quæ vera eſt *cenſura*, aliquando a jure, aliquando ab homine infligitur, prout de excommunicatione, & interdicto dicebamus. Suſpenduntur a jure Clerici fornicarii (b), Simoniaci (c), aliove gravi crimine publicè infames (d); Suſpenduntur ab homine, qui per ſententiam Judicis ab Ordine, vel Officio, aut Beneficio ſuſpenduntur. Intereſt autem, an aliquis ab Ordine, Beneficio, vel Officio ſuſpendatur; Cùm enim odia, & pœnæ non ſint extendendæ, ſed coarctandæ (e), ſequitur, ut ſuſpenſus ab uno, non intelligatur ſuſpenſus ab altero prorſus cum illo inconnexo, unde ſuſpenſus a Beneficio, nequit fructus ejuſdem percipere, actus autem Ordinis validè exercet (f). Inſuper ſuſpenſus ab Officio, ſeu a juriſdictione validè Ordines adminiſtrat, ſed actus juriſdictionis exequi non poteſt, unde v.g. Epiſcopus ſic ſuſpenſus non valet ferre cenſuras, concedere in-

(a) *Cap. tam literis, de Teſtibus.* (b) *Can. nullus Can. præter hoc, diſt. 32.* (c) *Can. ſi quis a Simoniacis 1. q. 1.* (d) *Sylveſter verbo ſuſpenſio num. 6. Navarrus in Manuali cap. 27. num. 1. & 4.*
(e) *Cap. odia, de regulis juris in 6.* (f) *Cap. 25. de electione.*

dulgentias, eligere ad beneficia, delegare ad munera Sacerdotalia obeunda, v.g. Sacerdotes ad audiendas confessiones approbare, & similia; potest tamen solemniter, & in Pontificalibus celebrare, Ordines conferre, Ecclesias, & Altaria consecrare, quia hæc ad potestatem jurisdictionis, a qua suspensus supponitur, minimè pertinent. Tandem suspensus ab Ordine impunè fungitur jurisdictione, illicite tamen in Ordinis exercitio se ingerit, nec ea potest explere, in quibus officium Ordinis, a quo fuit suspensus, includitur: Unde Sacerdos suspensus ab Ordine inferiori, suspenditur a superiori, quia in functionibus Ordinum superiorum continentur functiones inferiorum, v.g. in celebratione Missæ Officium Diaconi, & Subdiaconi includitur: Contra verò suspensus ab Ordine superiori, non est suspensus ab inferiori. Eademque ratione si Sacerdos a celebrando Missæ Sacrificio fuerit suspensus, alia nihilominus Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ ministrare libere potest, ut etiam Verbum Dei prædicare, Evangelium, & Epistolam in Missa cantare, aliaque his similia peragere. Pariterque Episcopus suspensus ab officio Sacerdotali, nec Missam celebrare, nec Pontificalia potest exercere, v.g. ordinare, Ecclesiam consecrare, quia in his functionibus includitur Officium Sacerdotale; si verò a Pontificalibus tantum fuerit suspensus, poterit more simplicium Sacerdotum sine Pontificali apparatu Missam celebrare.

6. Opportunè tandem hic pro coronide investigandum, quando jus, vel sententia Judicis absolutè, ac indeterminatè suspensionem decernit, quænam suspensio debeat intelligi, totalis ne, an partialis? Et totalem intelligi debere, non est dubitandum, *ex cap. 2. de sentent., & re judicat.*, prout diximus de excommunicatione, quæ cùm absolutè, & generatim infligitur, major intelligitur, *ex cap. si quem, de sent. excommun.*

Nec

Nec obstat Juris illud proloquium, in pœnis benigniorem interpretrationem faciendam, hoc enim locum non habet, ubi lex, aut consuetudo repugnat.

7. Cæterum quum non solùm ex nonnullis delictis aut factis, depositio sive simplex, sive solemnis, prout etiam censura contrahatur, sed etiam incurratur irregularitas, quæ ex delicto, vel ob suspicionem delicti vocatur, ad differentiam alterius irregularitatis, quæ vel ob vitium corporis, vel ex subjectione proficiscitur, *de qua in Institut. Canon.* (*a*) differuimus; Hinc pro complemento pœnarum Ecclesiasticarum, de irregularitate ex delicto, vel ex delicti suspicione orta, pœnisque cum ea connexis agendum, ut deinde ad pœnas sæculares transeamus.

TITULUS V.

De Irregularitate ex delicto, vel delicti suspicione orta, aliisque pœnis censuras, eandemque irregularitatem plerumque comitantibus.

QUoniam in Institutionibus Canonicis (*b*) in quatuor classes dividi posse asseruimus eos, qui ad Ordines non possunt ascendere, ideoque irregulares existunt (prætermissis infidelibus, seu non baptizatis, qui extra Ecclesiam sunt, & mulieribus, quas ratione sexus promoveri non posse exploratissimum est, ideoque peculiarem mentionem non merebantur), nempe ob subjectionem, ob defectum corporis, ob delictum, & ob suspicionem delicti; ibique expositis primis duabus irregularitatis speciebus, de irregularitate ex delicto, vel delicti suspicione orta in hisce Institutionibus tamquam in sua sede nos acturos promisimus; Quamvis hinc sparsim in iisdem Institutionibus Canonicis, præcipue verò *lib. 1. tit. 23.*, reli-

(a) *Lib. 1. tit. 21.* (b) *Ibidem.*

reliquos, qui ex delicto, vel suspicione delicti irregulares sunt, attigerimus; ut tamen datam fidem religiosè servemus, de duplici hac irregularitate ex delicto, vel delicti suspicione profluente amplius differendum assumimus. Utque accuratiùs singula perstringantur, in quatuor §§. universam rem redigemus, in quorum primo de irregularibus ex delicto, in secundo de irregularibus ob suspicionem delicti, in tertio de modis, per quos irregularitas in genere cessat, in quarto demum de pœnis cum eadem irregularitate plerumque connexis pertractabimus.

§. I.

De Irregularibus ex delicto.

1. Sanè cum nihil antiquius habuerit Ecclesia, quàm quod viros morum præstantia, & vitæ integritate præditos ad Altare proveheret, eosque, quos indignos deprehenderet, prorsus excluderet, probe optimeque edocta, vitæ innocentia, optimoque aliorum testimonio præpollentes esse oportere eos, qui ad Sanctuarium adspirant, ut cæteris omissis inquit S. Johan. Chrysostomus (a); merito hinc irregularitatem invexit ex delicto nominatam, cujus nomine intelligitur impedimentum ad Ordines ascendendi, atque in susceptis Ordinibus ministrandi, ut constat ex pluribus textibus juris canonici sub diversis titulis tam in quinque libris decretalium, quam in sexto, & in Clementinis contentis. Quamvis autem in veteribus canonibus irregularitatis nomen fuerit undique incognitum, postea tamen receptum fuit ad significandos eos, qui ad Ordines ascendere nequeunt, vel in susceptis Ordinibus non possunt ministrare. Erat enim olim ab Apostolis, & a SS. Patribus certa regula constituta de illis, qui admittendi erant ad sacra ministeria,

(a) *Lib. 2. de Sacerdotio cap. 7.*

steria, & in illis poterant sese exercere, ut præcipuè colligitur *ex Can. unum orarium §. nunc autem 25. dist. can. 2. 48. dist. can. si qui sunt 4. 81. dist.*, aliisque similibus, qua quidem regula qui comprehensi non erant, quia extra regulam reperiebantur, irregulares dici consueverunt; eodemque nomine ad eos significandos, qui impedimentum habent, ne possint ordinari, sæpissimè Summi Pontifices, in suis Decretalibus, & Apostolicis Constitutionibus utuntur. Unde sicut regularis dicitur, qui juxta regulam vivit (*a*), & primis Ecclesiæ temporibus omnes Clerici dicebantur regulares, aut Canonici a Canone, cui erant inscripti, & juxta quem vivere cogebantur (*b*); Ita aptissimum irregularitatis vocabulum institutum est ad eos designandos, qui extra sacra ministeria ratione alicujus delicti, aut alterius Canonici impedimenti versantur.

2. Cæterum non obstante, quod plerumque loquendo delicta occulta, seu undique interna irregularitatem non pariant, cùm Ecclesia de iis, quæ foris non sunt, seu extrinsecus non apparent, judicium proferre non soleat, ut alibi diximus: Dantur tamen nonnulla delicta, quæ quamvis occulta, irregularitatem inducunt, ut sunt iteratio baptismi scienter, & serio collati, usus improbus Sacramentorum, censurarum violatio, homicidium, ac mutilatio; qui enim ex culpa baptismum iteravit, illud conferendo, vel suscipiendo, irregularis efficitur (*c*); ex illicita insuper Ordinum susceptione, vel collatione irregularitas nascitur, cùm quis promovetur per saltum, vel furtive, aut una die plures gradus accipit, vel si eodem modo Ordines

(a) *Cap. quod Dei 57. cum aliis de statu Monachorum.*

(b) *Conc. Laodic. can. 24. can. si qui vero cum seq.* (c) *Can. quos. can. eos de consecrat. dist. 4. can. illo 10. quæst. 7. DD. citati apud Thesaur., de pœn. v. Bapt. c. 1. num. 1., & ad cap. 2. de Apostas.*

dines contra Sacrorum Canonum diſpoſitiones quomodolibet advertenter conferuntur (*a*); ſicuti etiam contrahitur irregularitas ab eo, qui non ordinatus audet miniſtrare, *per Textum in cap. ſi quis, de Clerico non ordinato miniſtrante*; Ex violatione item cenſuræ irregularitas incurritur, cùm quis cenſuram violat per actum ſolemnem ſibi per cenſuram prohibitum, ut ſi Miſſam celebret majori excommunicatione ligatus (*b*); Et tandem ex homicidio etiam occulto, vel mutilatione irregularitatem præcipuè contrahi ſæpe ſæpius in jure noſtro deciditur, & præcipue in *cap. ſicut 5. cap. ad audientiam, & paſſim, de homicidio*, ut amplius infra explicabimus.

3. Ultra vero iſtos caſus, in quibus etiam ex delicto occulto irregularitatem contrahi affirmavimus, delicta recenſentur, quæ, præſertim ſi ad forum fuerint, delata eandem inducunt. Hanc quippe contrahunt Hæretici, Schiſmatici, & Apoſtatæ a Fide, eorumque fautores, defenſores, receptores (*c*); Ordinari pariter prohibentur, qui a religioſa profeſſione apoſtataverint (*d*); Item uſurarii, (*e*), fures, ſeditioſi, pertinaces, injuriarum ultores (*f*), nec non publici pœnitentes, cùm nonniſi ob enorme & publicum crimen publica pœnitentia imponi conſueverit (*g*). Quibus omnibus accedit, ſeu verius aliis ſupereminet irregularitas ex voluntario homicidio, vel mutilatione ſecuta, quam licet ſupra nominaverimus, cùm tamen peculiarem indaginem poſtulet, præſtat, ut aliquantulum fuſius eam exponamus; Ea igitur irregularitas definitur: *Canonicum impedimentum ex homicidio proveniens, quo quis prohibetur ad Ordines Eccleſiaſticos promove-*

(a) *Cap. unic. de clerico per ſaltum, cap. 1. & 2. de eo qui furtive.*
(b) *Cap. 1. cap. ſi celebrat. de clerico excommun.* (c) *Can. nos, diſt. 12. cap. quicunq. 2. de hæreticis in 6.* (d) *Cap. fin. diſt. 50.*
(e) *Can. de Petro, & can. ſi quis diſt. 47.* (f) *Can. ſeditionarios diſt. 46.* (g) *Can. ex pœnitentibus diſt. 39.*

moveri, *& in eisdem ministrare*, ut fuse ostendunt Villadiego, Majol. Gibal. & alii communiter scribentes de Irregularitate. Dixi *Canonicum impedimentum*, quia hæc irregularitas omnino est juris Ecclesiastici, non vero divini, nam in lege veteri homicidæ poterant in Sacerdotio ministrare, ut cæteris omissis patet *ex can. nos §. ista 2. quæst. 7.* Neque huic sententiæ obstat, quod Apostolus (a) prohibuit homicidam ministrare in Sacerdotio, unde dubitari posset, impedimentum hoc esse juris divini, nec Pontificem in eo posse dispensare; Nam respondetur, licet in his, quæ pertinent ad articulos Fidei, non possit quidquam Pontificis auctoritate immutari, contra Apostolorum tamen decreta, ad quæ spectat Apostoli prohibitio in objecto Canone, dispensare Summum Pontificem posse, ut docet Glossa (b) communiter recepta.

4. Non solum autem homicidæ, qui quomodolibet per se ipsos vitam homini adimunt, sed quicumque homicidii sunt complices pœnam irregularitatis incurrunt, ut definitur in *can. perniciosæ, de pœnit. dist. 1.*, ubi præbens consilium, ut homicidium fiat, dicitur homicida, idemque ex aliis textibus comprobatur (c). Sola tamen deliberata voluntas occidendi, homicidio non sequuto, irregularitatem non parit, ut post Navarrum (d) docet Gibalinus (e). Dixi, *ex homicidio voluntario* irregularitatem incurri; Quemadmodum vero hujus delicti nomine intelligitur id, quod voluntate directa commissum est ab habente animum occidendi, vel causam actioni voluntariæ præbente (f), ita adnotandum opportunè est, pro irregularitate incurrenda requiri, quod dolo malo, animoque occidendi homicidium

(a) *Ad Timot. cap. 3.* (b) *V. Apostoli in can. sunt quidam 25. quæst. 1.* (c) *In c. si quis viduam 50. dist. cap. 2. de Cleric. pugnant. c. sicut dignum §. qui vero, & §. ultimo de homicid.* (d) *Cap. 2. num. 23.* (e) *De irregularit. consect. 11.* (f) *Ad Text. l. 1. l. 7. l. divus 14 ff. ad l. Corneliam de sicar.*

cidium perpetretur, atque ſequatur: Actus enim occiſionis ſemper requiritur, unde ſævientes in cadaver inimici, aut illud truncantes etiam eo animo, ut ſi vivum reperiiſſent occiderent, nullo modo irregulares efficiuntur, ut firmat citatus Gibalinus (*a*); Qui ſimiliter docet, eum, qui odio concepto, teloque armatus exit animo alterum occidendi, non tamen occidit, in foro externo irregularem non eſſe, licet quoad legem divinam homicida cenſeatur, ut diſerte loquitur D. Hieronymus (*b*) dicens: ***Cum homicidium ex odio ſæpe naſcatur, quicumque odit, etiamſi nedum gladio percuſſerit, animo tamen homicida eſt.*** Nemo tamen inde crediderit, irregulares illos non eſſe, qui homicidium fieri juſſerunt; imo & ſi quis tantum mandaverit verberari, irregularitatem incurret, ſi verberatus ex verberatione moriatur (*c*); quod quidem æque procedit, ſive homicidium ſtatim ſequatur, ſive poſtea, imo etiamſi mandatum mandans revocaverit, inſcius tamen mandatarius illud exequatur, ſemper enim mandans irregularis efficitur, ut advertit Diana (*d*).

5. Inter homicidas porro voluntarios merito etiam homicidio cooperantes adnumerantur, ut ſupra innuebamus; Ad hos autem dignoſcendos generalis regula traditur, eam ſcilicet cooperationem irregularitatem inducere, quæ contra quintum Decalogi præceptum culpam producit, ut eſt conſulens homicidium, conſilii enim ratione quis ut homicida tenetur, quia conſulens delictum, eadem pœna damnatur (*e*); Atque hoc quidem ſenſu eſt intelligendum, quod ſupra dicebamus, complices ſcilicet irregularitatem incurrere.

6. Tranſeundo nunc ad homicidium caſuale, quod caſu, & præter intentionem agentis committitur, ut dice-

(a) ***De irregul. 4. p. c. 4. conſect. 1.*** (b) ***Lib. 1. Epiſt. 39. ad Catharinam.*** (c) ***Ad text. in cap. final. de homicid. in 6.*** (d) ***Tom. 2. reſol. 14.*** (e) ***L. ſi quis uxori §. cum Titio ff. de furtis, l. non ſolum §. ſi mandati ff. de injuriis.***

dicebamus in titulo de homicidio, certa plane, & explorata res est, distinguendum esse pro incurrenda irregularitate inter homicidam rei licitæ, & homicidam rei illicitæ operam dantem: Primus enim irregularitate est immunis, alter vero ea irretitur, ut docuerunt Covarruvias (*a*), Ugolin. (*b*), Avil. (*c*); juxta quam distinctionem commode explicantur *Textus in cap. Presbyterum 7. cap. continebatur 8. cap. significasti, cum aliis 18. de homicidio.*

7. Num vero quis in dubio censeri debeat irregularis, anceps, & implexa res est. Negant Innocent. (*d*), Covarruvias (*e*), Garcias (*f*), aliique: affirmant è contra Sanchez (*g*), & Azor. (*h*); Alii tandem distinguunt inter irregularitatem ex homicidio, & illam, quæ ex aliis causis provenit, prout etiam alii inter Forum externum, & internum. Sed in hoc opinionum, & sententiarum conflictu verior sententia est illorum, qui distinguunt inter dubium juris, & facti; In dubio sane juris, nemo irregularis est judicandus, ex generali regula tradita in *cap. is qui 18. de sententia excommunicationis in 6.* ubi dicitur, *irregularitatem nonnisi in casibus a jure expressis incurri*: in jure autem expressum non est, quemquam in dubio juris irregularem censeri; Si vero dubium sit facti, iterum est distinguendum inter dubium facti homicidii, & inter dubium circa alia facta, quibus constat de jure irregularitatem adnecti; In dubio sane facti homicidii, v. g. si constet de homicidio, & dubitet quis, an illud sua actione patraverit, debet se tamquam irregularem judicare ad effectum se abstinendi a celebratione, & dispensationem quærendi, *ad Textum expressum in cap. ad*

(a) *In Clement. si furios. 2. p. §. 4. num. 2.* (b) *De irregularitate cap. 18.* (c) *Eod. tract. 7. p. disp. 6. sect. 1. opin. 5.* (d) *In cap. ad audientiam de homicidio.* (f) *In Clement. si furios. 1. part. in initio.* (f) *De benef. 7. p. c. 1. n. 21.* (g) *Tom. 1. Summ. lib. 1. cap. 10.* (h) *1. part. l. 2. cap. 19. q. 20.*

audientiam 12., *& cap. significasti* 19. *de homicid.* Si vero dubium facti in aliis materiis occurrat, nemo irregularis est judicandus, ob regulam supra indicatam *ex cap. Is, qui de sentent. excom. in* 6. ubi, deciditur, irregularitatem non contrahi, nisi in casibus a jure expressis, in jure autem expressum non est in dubio facti ultra casum homicidii irregularitatem incurri.

8. Non solum autem ex homicidio, sed etiam ex membri mutilatione Irregularitas nascitur, ut supra notavimus; nomine vero mutilationis intelligitur abscissio alicujus membri, quod speciale munus in corpore gerat, ut pes, manus, oculus, unde juxta aliquos Doctores, si quis digitum (exceptis, prout multi opinantur, pollice, & indice) alicui abscinderet, mutilationem non patraret, cùm digitus sit potius pars membri principalis, nempè manus, aut pedis, quam membrum principale; Pariterque si quis aliquem visu privaret, illi oculum excæcando, non vero e sua naturali sede eruendo, mutilare non diceretur, quia verè separaret oculum a corpore, quod cæteroquin ad propriam mutilationem requiritur; Et demum non mutilaret, qui vulneraret aliquem, unde mors, aut abscissio alicujus membri non sequeretur, licet membrum debile, aut infirmum redditum foret, ut late ponderat Gibal. (*a*).

§. II.

De iis, qui Irregulares sunt ob criminis suspicionem.

1. Porrò ut Ecclesia non solum ostenderet quanto zelo delinquentes, & criminosos ab Altari expellere conaretur, verum etiam criminis suspicionem quamlibet a suis Ministris eliminaret, plures etiam ab Ordinibus, eorumque ministerio rejecit, in quibus criminis

(a) *De irreg. cap.* 4.

nis suspicio concurreret; atque huc primo spectant illegitime nati (*a*), qui ad sacros Ordines promoveri minime possunt, cum in iis Ecclesia parentum delicta detestetur. Illegitimorum autem duplex est genus, alii enim *physice, & naturaliter* illegitimi sunt, alii vero *Canonice*; Illegitimi *physice, & naturaliter* dicuntur, qui ex parentibus vero matrimonio non conjunctis fuerunt procreati; *Canonice* illegitimi, qui suscepti fuerunt ex vero quidem, & legitimo conjugio, sed cujus usus evasit illicitus per solemne castitatis votum, seu in Ordinis sacri susceptione, seu in Professione religiosa legitime emissum. Utrique tamen illegitimi irregulares sunt, sive eorum illegitimitas occulta, sive publica fuerit.

2. Ex his vero, quæ diximus, satis intelligitur, qui pro illegitimis habeantur; ut autem id melius intelligatur, qui pro legitimis haberi debeant, ne irregulares habeantur, est expendendum. Igitur primo in legitimorum albo sunt adscribendi, qui nati sunt de matrimonio vero, sive in ratione Sacramenti verum sit, ut esse solet Matrimonium, quod contrahunt Fideles, sive solummodo in ratione contractus civilis, quale est matrimonium infidelium, quorum filii essent legitimi, quamvis eorum parentes in gradibus ab Ecclesia prohibitis matrimonium contraxissent, ut docet *Innocentius III.* (*b*). Secundo qui nati sunt de matrimonio nullo quidem, & invalido, propter aliquod impedimentum dirimens, sed invincibiliter saltem ab uno contrahentium ignoratum; quod æque subsistit, licet impedimentum postea innotuerit, & partes per Judicis sententiam a se invicem fuerint separatæ (*c*). Tertio, qui ex fornicatione nati per subsequens Matrimonium legitimantur. Qui plura hac super re optat, adeat

(a) *Cap. 1. & toto tit. De Fil. Presbyteror.* (b) *Cap. 15. qui filii sint legitimi.* (c) *Cap. 2. & 4. eod. tit.*

adeat recentiores Canoniſtas, Wieſtner, Schmalzgrueber, Van-Eſpen, ac potiſſimum Franciſcum Schmier (a).

3. Licet autem primis Eccleſiæ ſæculis irregularitatem ex defectu natalium cognitam non fuiſſe ſciamus, ſolique illi illegitimi arcerentur ab Ordinibus, qui pravis moribus, & vitiis notabantur, ideoque ob improbos mores magis, quam ob natalium defectum; ad quæ tempora referendæ ſunt auctoritates a Gratiano congeſtæ in *diſt.* 56.; Poſt decimum tamen ſæculum Urbanus II. tum in pœnam paternæ incontinentiæ, tum quia filii paternæ indolis ſectatores præſumuntur, provide ſtatuit, ne filii Presbyterorum ſacris Ordinibus initiarentur, niſi in Cœnobiis, aut Canoniis Regularibus probati, fuiſſent laudabiliter converſati. Poſtea vero Patres Concilii Pictavien. ſub Paſchali II. Urbani II. Succeſſore protraxerunt hanc prohibitionem ad filios quoſcunque illegitimos, ſive ex Laicis, ſive ex Presbyteris procreatos; huncque Concilii Pictavienſis Canonem *in cap. ut filii, de filiis Presbyt.* relatum confirmarunt alia Concilia, nempe Claramontanum ſub Urbano II. *can.* 25. Bituricenſe *can.* 8. Lateranenſe *ſub Alexandro III. pag.* 19. *cap.* 2. & tandem Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 6.

4. Bigami etiam ab Altaris miniſterio ob criminis ſuſpicionem arcentur. Hæc enim irregularitas non ideò inducta eſt ab Eccleſia, quia ſecundæ nuptiæ in ſe peccatum contineant, ſed tam propter defectum ſignificationis, ut notat D. Auguſtinus (b), ratione cujus a contrahente ſecundas nuptias, aut ſemel cum vidua matrimonium ineunte delictum datur abſque tamen ullo reatu, ſeu verius videtur dari defectus, qui ipſum bigamum ad Ordines abſque Apoſtolica diſpenſatione conſcendere impedit, juxta textum Apoſtoli (c): *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*: & in-

(a) *Lib.* 1. *Jurisprud. Canonico Civilis tract.* 5. *cap.* 6. *ſect.* 1.
(b) *De bono Conjugii cap.* 18. (c) *Ad Timot.* 3.

& infra: *Diaconi sint unius uxoris viri*; Tum etiam quia Bigami imaginem quandam insignis incontinentiæ præseferre videntur, ut late Jacobatius (*a*), aliique ostendunt.

5. Triplex verò bigamiæ species recensetur, propria, interpretativa, & similitudinaria; Propria dicitur, cùm quis cum duabus legitimis uxoribus matrimonium consummavit; si enim tantum contraxerit, bigamus non erit, ut decidit Innocentius III.(*b*). Interpretativa est, cùm quis viduam, vel ab alio cognitam in uxorem assumit, & cum ipsa copulam habet, sive propriam uxorem in adulterium delapsam cognoscit (*c*). Pariterque bigamia interpretativa est, cùm quis ante uxoris suæ mortem, bona, vel mala fide contrahit cum alia, eamque cognoscit; seu, ut plures contendunt, cùm quis duo matrimonia contrahit, & consummat, unum de jure, hoc est validum, alterum de facto, hoc est invalidum; vel cùm quis duo contrahit matrimonia de facto, id est ambo invalida, ut si duas ducat consanguineas, aut eas, cum quibus propter aliquod impedimentum dirimens contrahere non poterat, & cum ipsis copulam habeat. Vocatur autem bigamia interpretativa, quia licet quis duas uxores revera non habuerit, tamen interpretatione juris perinde se habet, ac si duplex matrimonium contraxisset. Demùm bigamia similitudinaria dicitur, cùm quis post emissum Castitatis votum in professione religiosa, aut juxta veriorem, & in praxi tenendam sententiam, post etiam emissum votum in sacrorum Ordinum susceptione, carnale matrimonium consummat. Cujus bigamiæ species, ut faciliùs memoria retineantur, his versiculis tradi consueverunt:

Si du-

(a) *De Conciliis lib. 7. art. 7. pag. 499.* (b) *In cap. debitum 5. de bigamis.* (c) *Can. si Laici 13. distinct. 34. Can. si quis viduam dist. 34. cap. delictum, de bigamis.*

Si ducas viduam, vel quam corruperit alter,
Unam post aliam, binas simul, aut tua Conjux
Cognita si fuerit, Bigamiæ lege teneris:
Et si pollicitam violasti Virginitatem.

6. Idcircò autem in bigamia juxta casus supra expositos requiritur consummatio, seu copula, quia seclusa consummatione, aut copula, non datur divisio carnis in plures, caro enim nonnisi per copulam dividitur, ubi verò non est divisio, non potest esse defectus Sacramenti, etenim conjunctio Christi cum anima justa, seu cum Ecclesia per gratiam, & charitatem repræsentatur quidem per matrimonium ratum, at ejusdem conjunctio cum Ecclesia per carnis assumptionem non nisi per matrimonium consummatum exprimitur, quia per solam commixtionem vir, & uxor fiunt una caro, & idcircò ubi deest multiplex corporum commixtio, sive ex parte viri, sive ex parte mulieris, non potest adesse defectus Sacramenti. Accedit, non præseferri illam incontinentiæ & libidinis speciem, propter quam Bigami ab Ordinibus excluduntur, ut supra notavimus.

7. Non omittendus tamen videtur in hac bigamiæ materia specialis casus, de quo olim Ecclesiæ Patres inter se disputarunt, an scilicet irregularis ex bigamia censeri debeat, qui duas duxit uxores, alteram ante, alteram post Baptismum, vel utramque ante, vel unam tantum ante, sed viduam, seu ab altero cognitam. Negarunt sane Græci, quos sequutus fuit S. Hieron. citatus a Gratiano *in can.* 1. 28. *q.*3.; ratio ipsis erat, quod hujus irregularitatis causa sit suspicio incontinentiæ, quam omnino dispellit baptismus, ac proinde homini baptizato, qui novus homo est, vitio verti non debeat, quod fecit ante baptismum; Solidioribus tamen momentis innixa dignoscitur contraria opinio, nempe irregularem fore censendum; primò enim eam viriliter tenent SS. Augustinus, Ambrosius, & Tho-

Thomas; secundò, quia irregularitas ex bigamia non est absolute ex delicto, sed ex defectu significationis Matrimonii, seu Sacramenti, ut diximus, qui quidem defectus non minus reperitur in eo, qui plures, seu unam ante baptismum, quam in eo, qui plures post baptismum duxit uxores; tertiò, quia sicut fœmina, ut habetur *in C. 2. dist. 26.*, si Cathecumena vitiata est, non potest post baptismum inter Virgines consecrari, ita videtur is, qui ante baptismum duas uxores, vel corruptam unam accepit, bigamus esse, & irregularis: per baptismum enim supervenientem, etsi peccata dimittantur, neutiquam tamen indivisio carnis, vel virginitas recuperatur; Neque ulterius penitus cessat illa incontinentiæ imago, quam supra retulimus (*a*).

8. Accedunt Neophyti, qui pariter ob suspicionem criminis promoveri non possunt, *ne in superbiam elati in judicium incidant diaboli*, ut inquit Apostolus (*b*); Item illiterati, ne sua imperitia Fidelibus occasionem scandali ingerant (*c*); Ægri pariter in lecto baptizati, qui Clinici dicebantur, *ex Can. 12. Concilii Neocæsariensis*, quippe qui non sponte, sed mortis metu baptismum suscepisse videntur; nec non Hystriones; Pariter filii hæreticorum usque ad primum, & secundum gradum per paternam lineam, & per maternam ad primum: si tamen tales sint actu, vel tales decessisse probentur, non autem quos emendatos, & reincorporatos unitati Ecclesiæ esse constiterit, vel si ad recipiendam humiliter pœnitentiam fuerint parati (*d*); Filii itidem parentum, qui crimen perduellionis commiserint, aut hostiliter S.R.E. Cardinales fuerint persecuti (*e*); Et demum infames irregulares existunt, sive jure, sive facto infamia habeatur,

(a) *Latè Gonzalez in cap. debitum 5. de Bigamis non ordinandis.* (b) 1. *ad Timoth. cap. 3.* (c) *Can. Illiteratos 2. distinct. 36.* (d) *Cap. 15. de hæret. in 6.* (e) *Cap. Felicis, de pœnis in 6.*

beatur, cùm *Ordo* honor amplissimus extet, quem infames non promerentur. Latè Gibalin. (*a*), Barbosa (*b*), aliique.

9. Agunt hic Canonistæ de altera irregularitatis specie, quæ ex defectu lenitatis vocatur; Ne tamen extra sphæram criminalis materiæ vagari ex una parte in universo jure Canonico videamur, ex alia verò, ne quidquam huic tractatui desiderandum supersit, e re credidimus eum quoque paucis attingere, & reliquis irregularitatis speciebus superaddere; Præsertim quia licet ex delicto, vel delicti suspicione minime profluat, oritur tamen ex defectu illius virtutis, quam in suis Ministris Ecclesia justè requirit, qui quidem defectus lato saltem modo, ad suspicionem criminis redigi potest. Quoad ergo hanc irregularitatem, illam incurrunt Judices reum capite damnantes, carnifices id exequentes, accusatores, & testes in causa sanguinis deponentes, aliique inferiores ministri, qui aliqua ratione sese in alieno sanguine immiscuerint, dummodo mors, vel mutilatio sequatur (*c*), non quod id crimini imputetur, sed quia dedecere videtur, ut qui alienum sanguinem fuderint, repræsentent in Altari personam Christi proprium sanguinem pro nobis effundentis.

10. Immunes tamen sunt ab Irregularitate quicumque alios accusant pro damno sibi, familiæque illato, protestatione præmissa, ut citra pœnam sanguinis condemnentur (*d*); similiter furiosi, amentes, pueri, dormiendo alios involuntariè necantes, & demum se defendendi causa alios offendentes (*e*), ut notant Suarez (*f*), Schmier (*g*), & Canonistæ passim, qui

(a) *Cap. 1. de obligat. ad ratiocin.* (b) *De irregul. cap. 5. dub. 2. quæst. 3.* (c) *Cap. ex literis 10. de Excep. Prælat. & cap. postulasti, de homicidio. Suarez de Cens. disp. 47. sect. 1.* (d) *Cap. 2. de homicidio in 6.* (e) *Clement. unic. de homicid. can. illud 15. q. 1.* (f) *De Cens. disp. 47. sect. 5.* (g) *Lib. 1. tract. 4. cap. 3. & seq.*

qui etiam expendunt, quid dicendum ſit de militibus alios in bello occidentibus; Homicidium tamen neceſſario, & ad propriam defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ commiſſum irregularitatis eſt expers, ad textum *in cap. ſignificaſti* 18. *cum aliis*, *de homicid.*, licet ad cautelam diſpenſatio Apoſtolica poſtuletur, ex Tridentino (a), ut amplius in titulo de Homicidio *libro ſecundo* harum Inſtitutionum adnotavimus.

11. Illud vero pro coronide hujus §. animadvertendum, immerito ſcilicet irregularitatem inter cenſuras a nonnullis adſcribi, quia irregularitas in genere non eſt vinculum, nec ſententia, nec pœna, ſed inhabilitas, & canonicum impedimentum, aliquando etiam ſine culpa contractum (b); Accedit ulterius, cenſuram medicinam eſſe, & ex ſui origine eò unicè tendere, ut ſuum ultimum finem obſtinati, & pertinaces, reditumque in ſemitam rectam obtineant (c); Irregularitas autem non dicitur medicina, cùm non indiſtinctè præſupponat opus peccaminoſum, imo aliquando meritorium, quo gratia comparatur; Differtque inſuper in remotione, quia cenſura ſola abſolutione, aliis vero diſtinctis modis irregularitas tollitur, ut infra videbimus.

§. III.

De modis, per quos irregularitas tollitur.

1. Variæ profecto ſunt cauſæ, per quas irregularitas ceſſat, primò ſcilicet per profeſſionem religioſam, quæ irregularitatem ex defectu natalium exortam licet removere nequeat pro obtinendis Prælaturis, ſive ſint ſæculares, ut Epiſcopatus, Abbatiæ Commendatæ &c., ſive Regulares; pro ſuſcipiendis tamen Ordini-

 bus

(a) *Seſſ.* 14. *de Reform. cap.* 7. (b) *Can. ſi quis viduam* 50. *diſt.*
(c) *Can. audi* 11. *q.* 3. *cap.* 1. *de ſent. excom. in* 6.

bus undique suffragatur (*a*). Ulteriùs irregularitas *ex quovis delicto commisso ante baptismum* per baptismum ab adulto susceptum submovetur, & cessat; Dixi *ex quovis delicto*, nam in bigamis, & illegitimis etiam post baptismum irregularitas perseverat, ut supra notavimus. Tertio irregularitas quævis ex defectu proveniens cessat ipso facto defectu cessante, unde qui ex defectu legitimæ ætatis, vel sufficientis literaturæ irregularitatem contraxerunt, legitima ætate, vel sufficienti literatura adveniente irregulares amplius non sunt, juxta vulgatum juris proloquium, *Causa cessante, effectus etiam cesset oportet* (*b*); ideoque communiter censent, irregularitatem exortam ex infamia facti, publica, & constanti emendatione saltem per triennium continuata cessare (*c*); idque etiam innui videtur *in can. 4. dist. 56.* ubi ista leguntur: *Fornicatorem ipsum ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat*. Ultimo per dispensationem irregularitatis labes abstergitur.

2. Primo autem Summus Pontifex ut universalis Ecclesiæ Pastor dispensare potest in qualibet irregularitate, *quæ in se sit dispensabilis*. Dixi, *quæ in se sit dispensabilis*, sunt enim nonnullæ irregularitates, quæ nullo modo dispensationem patiuntur, ut si Sacerdos mutus evaderet, cum eo enim Pontifex dispensare non posset, ut Missam celebraret, cùm mutus illius celebrandæ incapax, & impar existat; Idemque multo magis affirmandum de non baptizatis, & mulieribus, jure nedum Ecclesiastico, sed divino ab altari, sacrisque ministeriis exclusis, ut ostendimus in Institutionibus Canonicis (*d*).

3. Se-

(a) *Ad Text. in cap. 2. de Filiis Presbyterorum*. (b) *Cap. cum cessante, de reg. juris in 6.* (c) *Abb. in cap. 21. num. 2. de accusat. aliique apud P. Schmalzgrueber de pœnis num. 174.* (d) *Lib. 2. tit. 8.*

3. Secundo de Episcopis respectu suorum subditorum ita statuit Concilium Tridentinum (a) : *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare* : Hanc autem facultatem competere etiam Capitulo, Sede Episcopali vacante, asseruit inter alios Barbosa (b) ; aliique conveniunt. Imo sub nomine Episcoporum in hoc decreto Tridentini omnes illos intelligi, qui jurisdictionem ordinariam in subditos exercent, tradit Castropal. (c). Rursus Episcopi cum suis subditis illegitimè natis dispensare possunt quoad Tonsuram, minores Ordines, & Beneficia simplicia tantum, dummodo hæc beneficia Ordinem sacrum actu non exigant, nec sint Dignitates, vel Personatus, quæ sub nomine beneficiorum simplicium non comprehenduntur. Quamvis vero etiam Prælatos Regulares saltem Mendicantes cum suis subditis super quavis irregularitate etiam ex bigamia, & homicidio voluntario contracta, dummodo notorium non sit, saltem pro foro conscientiæ dispensare posse tueantur Reinfestuel (d), Rodriguez (e), aliique; Res tamen difficultate non caret: Imo communius existimant, facultalem hanc fuisse posterioribus Constitution. Apostol. revocatam.

§. IV.

De Pœnis censuras, & irregularitatem ex delicto, vel delicti suspicione ortam plerumque comitantibus.

1. Quamvis certa regula præfiniri nequeat, quænam pœnæ censuris, & irregularitati *in genere* jungantur,

(a) *Seß.24. cap.6. de Reform.* (b) *Ad Concilium loco citato.* (c) *Par.6. oper. Moral. tract.29. disp.6. punct.7. n.6.* (d) *Tit. de pœnis num.97.* (e) *Tom. 1. quæst. regular. q.24. art.13.*

tur, id enim ex diversis censurarum, & irregularitatis speciebus dependet: Duæ tamen *plerumque* censuris, & irregularitati ex delicti suspicione ortæ junguntur, infamia scilicet, & beneficiorum privatio, de quibus modo tractandum. Dixi *plerumque*; Ex irregularitate enim in genere, & in specie a defectu lenitatis exorta infamia indistincte non nascitur, nec semper beneficiorum privatio resultat, cùm aliquando ex opere necessario, utili, aut pio, possit eadem Irregularitas promanare. Addidi, *Censuris, & irregularitati infamiam adnecti*; Etenim censura, & irregularitas ex delicto, vel quasi, potius infamem supponit, quam quod talem efficiat, ideoque merito adnectitur.

2. Infamia in abstracto concepta, quam etiam innuimus in Institutionibus Canonicis (*a*), est *Mala de aliquo opinio apud Communitatem, vel majorem ejus partem, in re gravi, & ex fundamento gravi producta*: Dividitur autem in infamiam facti, & juris, ut in Instit. Canonic. innuebamus. Infamia facti est, quæ oritur ex probroso facto scienter, seu ex delicto admisso, vel alio gravi defectu manifesto, itaut nullatenus excusari possit, quin apud probos, & honestos viros notam, & maculam imprimat, & boni nominis existimationem diminuat (*b*). Infamia juris est, quæ auctoritate Legis, vel Canonis ob turpe factum decernitur; & hæc tribus modis contrahitur; Primo scilicet ipso jure, nempe si quis committat delictum, cui ipso jure etiam ante sententiam condemnatoriam infamia cohæreat, quo tamen casu, ut incurratur, requiritur, ut tale delictum notorium fiat, & evulgetur; Secundo sententia Judicis, si quis nempe in judicio de crimine publico, quod quilibet de populo accusare potest, uti est crimen læsæ majestatis, perduellionis, falsi &c., aut etiam de quibusdam privatis, uti est furtum, rapina, injuria, calumnia in judicio, dolus in mandato, deposito, tutela,

(b) *Lib.1. tit.21.* (c) *L.2. cod. de dignit.*

tela, vel ſocietate, damnetur, dummodo ſententia de tali crimine ſit valida, & in rem judicatam tranſierit (*a*): Tertio ratione pœnæ, quæ propter delictum infligitur, v. g. ſi quis ignominiæ cauſa exauctoratur militia, dignitatibus interdicitur, fuſtibus cæditur &c.

3. Inſuper infamia quandoque etiam ex delicto alieno contrahitur, unde ſpurii, filii parêntum perduellium, percuſſorum S. R. E. Cardinalium in ordine ad aliquos effectus in jure expreſſos infames reputantur (*b*). Item naſcitur infamia etiam ex macula tantum civili, v. g. ex quibuſdam officiis, v. g. ex officio carnificum, lictorumque quorundam, quæ quidem labes etiam ad illorum filios extenditur; neque eſt hoc loco prætereundum, eos indiſcriminatim, qui ſunt infames jure civili, pro talibus in jure Canonico etiam judicari, niſi forte hoc jure expreſſe, & literaliter infamiæ labes fuerit ſublata (*c*).

4. Merito igitur affirmavimus, infames hoc modo genericè acceptos irregularitatis notà irretiri, ratione cujus nec ad Ordines promoveri, nec in ſuſceptis Ordinibus poſſunt miniſtrare (*d*). Ex eodemque juris principio profluit privatio beneficiorum, & Eccleſiaſticorum officiorum, quæ pariter cum infamia connectitur, & plerumque irregularitati quoque conjungitur. Quemadmodum enim de jure civili infames ab actibus legitimis, publiciſque muneribus excluduntur (*e*): ita Eccleſia eoſdem ab Eccleſiaſticis officiis, & beneficiis excluſit. Eſt tamen hic opportune notandum, ex communiori ſententia (*f*) beneficiorum collationem irregulari factam non ipſo jure irritam eſſe, ſed irritandam, multoque minus irregularitatem primum

(a) *Schmalzgrueber num.167. de pœnis*. (b) *Wieſtner num.58. tract.de pœnis*. (c) *Ad textum in can.2. 6. quæſt.1.cum aliis relatis apud P. Schmalzgrueber de pœnis n.166. & ſeq.* (d) *Cap.45. de ſent.excom. cum aliis juribus*. (e) *L.2. cod. de dignit.Reg.&c.* (f) *Vid. Reinfeſtuel tit. de pœnis n.97.*

mùm supervenientem, beneficio jam prius possesso, quemquam privare, sed si irregularitas ex delicto forsan existat, Judicis sententia debet beneficium auferri, nisi desuper dispensatio obtineatur. Et merito quidem, quia *in cap. fin. de Cleric. excom. ministr.* aliud expressum non legitur, neque in Tridentino (*c*). Quamobrem etsi irregularis quoad Ordines suscipiendos, eorumque usum actu, seu de facto inhabilis sit, relate tamen ad beneficia, vel officia Ecclesiastica sententia Judicis prærequiritur, ut inspectis circumstantiis irregularem beneficio, vel officio Ecclesiastico privet. Id tamen ita debet intelligi, nisi scilicet aliunde irregularis aliquis sit, vel ex censura, vel ex delicto, cui beneficiorum privatio de jure nectatur, eandemque privationis pœnam ipso jure subierit; Unde cautum habemus, ob homicidium, privationem beneficiorum incurri; obtentaque dispensatione ab irregularitate (quæ tamen raro ex hoc capite conceditur) retentionem beneficii denegandam resolvit S. Congregatio aliis omissis *in Salamantina Irregularitatis* 19. *Aprilis* 1740.

5. Dantur tamen aliqui casus, seu peculiaria delicta, quibus etiam absque censura, & irregularitate privatio beneficiorum, saltem ministerio, & sententia Judicis jungitur; Ut contingit in Prælatis, qui intra præscriptum a jure tempus confirmationem postulare neglexerint (*b*); Item ob crimen læsæ majestatis humanæ (*c*); Ulterius ob non servatam formam concursus, juxta *Constitutionem* 33. S. Pii V., nec non ob non factam publicationem resignationis juxta *Constitutionem* 85. Greg. XIII. Præterea ob captam possessionem per simplex transumptum, ex *Constitutione* 50. Innoc. X. Necnon ob apprehensam possessionem beneficii, & exactionem pensionis literis Apostolicis non expeditis, ex *Constitutione* 33. Julii III. prout etiam asserendum est

(a) *Sess. 14. cap. 7.* (b) *Ex textu in cap. quam sit §. ceterum de Electione in 6.* (c) *Cap. vergentis, de hæreticis.*

est de privatione, quæ incurritur ex ebrietate, concubinatu, aliisque similibus excessibus (a); vel ob non factam residentiam (b); vel ob alia his similia, quæ vel de jure privationem inducunt, vel saltem sententia Judicis indigent, ut audito, defensoque Reo ejusdem Judicis auctoritate privatio incursa declaretur; quæ omnia cùm uberiori forent calamo exponenda, consulto prætermittimus, tum quia studiosos adolescentes remittimus ad Advocatum de Nigris in egregio, quod edidit, Opere *de vacatione beneficiorum, & pensionum*, ubi quando ipso jure, & quando post sententiam privatio inducatur, diligenter explanat, tum quia materia isthæc est undique Canonica, nec instituti Criminalis ratio patitur, ut plus æquo in Canonicis materiis immoremur.

TITULUS VI.

De pœnis non corporalibus, & corporalibus, sive a Sæculari foro, sive ab Ecclesiastico Judice mero, & mixto Imperio pollente infligi consuetis.

CUM prætermissis antiquis pœnarum speciebus, vel expresso jure abolitis, vel in desuetudinem revocatis, pœnæ omnes, quæ in viridi nunc sunt observantia, vel non corporales, vel corporales existant, non corporales quidem, ut privatio dignitatum, mulcta, seu pœna pecuniaria, aliæque, quæ corporis afflictivæ proprie non sunt: corporales verò, ut carcer, funis, fustigatio, quæ non capitales dicuntur, quia pro delictis non capitalibus sunt statutæ, ad differentiam aliarum pœnarum, quæ cùm pro delictis capitalibus plerumque imponantur, capitales vocantur, cujusmodi sunt ultimum supplicium, triremes, exilium, ban-

(a) *Tota tit. de vita, & honest. Clericorum.* (b) *Ex censura textus in cap. ex tuæ, de Cleric. non residente.*

bannum, confiscatio, seu publicatio bonorum; ut in principio hujus Libri præmisimus; Fusius idcirco nunc easdem exponemus.

2. Primo igitur loco inter pœnas non corporales se offert dignitatum, graduumque privatio, neque enim solo jure canonico, de quo agentes de beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum vacatione in fine præcedentis tituli pertractavimus, sed etiam civili plura ejus occurrunt vestigia; certa quippe res est, Judices, tabelliones, & Procuratores, qui indebitè munus suum exequuntur, si moniti non resipiscant, ad exercenda officia inhabiles reddi, ipsosque Judices, quos ex suo munere sanctissimos, integerrimos, ac inexorabiles esse decet, si aliquando delicta in officio patraverint, gravi pœna coercendos esse providentia legum edixit. Cætera tamen crimina in Judice supereminet, si sacrum justitiæ munus ære accepto corrumpat, omni enim jure Judicum venalitas improbatur, ut fusius advertimus superius in secundo libro (*a*); atque inter pœnas Judicis pecunia corrupti merito adscribenda est Magistratus privatio (*b*).

3. Ab Advocatis etiam debitam in causis agendis moderationem exercendam non dubitatur, eosque abstinere debere a conviciis, injustas causas rejicere, & indistincte turpe lucrum effugere, sive per declamationes in foro versentur, sive Judicum domos petant, qui proinde si munere abutantur, interdictione fori, & forensis togæ honoris privatione puniuntur (*c*); Id namque inconsultæ linguæ pretium est, ut impudentes viri coerceantur (*d*). Idemque dicendum, si quotam litis in contractum deducant, paciscentes enim de

(a) *In titul. de crim. repetund.* (b) *Ex l. solet 6. ff. de offic. Proconf. l. Plebis. 18. de offic. Præsid. & auth. ut Judices sine quoquo suffragio §.1., & auth. de mandatis Principum.* (c) *L. moris 9. ff. de pœnis & leg. 1. & leg. quisquis 6. Cod. de postulando.* (d) *Gentil. de jurisdict. lib. 1. cap. 15.*

de quota litis advocandi munere abdicandos esse cavetur *in L. Si qui Cod. de postulando*, *& L. item 15. cod. de Procuratoribus*. Eademque juris censura Procuratoribus est applicanda, in quibus similis ratio concurrit; insuperque Tabelliones, sive actitantes, & relationes nunciorum in actis non redigentes, vel a litigantibus pecuniam extorquentes, vel cum eis colludentes, & de exitu litis paciscentes, officii privatione pari Jure puniuntur, ut notat Sanfelic. (*a*).

4. Ultra vero graduum, & dignitatum privationem, in numero pœnarum non corporalium, Mulcta, seu pœna pecuniaria succedit. Mulctari quidem, & pœna pecuniaria delinquentes puniri consuevisse habemus, non solum ex historicis monumentis, verum etiam ex ipso legum testimonio. *Multa* autem est quædam pœna pecuniaria latina voce ita dicta, ut docent *Varro* (*b*); & *Aulus Gellius* (*c*), & ex eis notavit etiam *Govean.* (*d*). Licet enim Romæ antequam signaretur, cudereturque moneta, in pecoribus delicta perpetrantes mulctarentur, duabus videlicet ovibus in delictis levioribus, in gravioribus verò triginta, nec ultra excedere Judici permitteretur (*e*); postquam tamen pecunia cudi cœpit, prædicta pecudum mulcta ita æstimata fuit, ut singulæ oves denis assibus, boves verò centum æstimarentur, qua æstimatione delinquentes mulctabantur in pecunia, ita tamen ut mulcta quantitatem trium millium & viginti assium minime excederet, ut ex Petro Crinito (*f*) docent Brissonius (*g*), & Bodinus (*h*); quæ quidem æstimatio juxta probabiliorem sententiam, quam tenet Brisson. facta fuit Lege Tarpeja, postquam mul-

(a) *Decis.45.* (b) *Lib.4. de ling. latin.*, *& lib.19. de re rustica.* (c) *Lib.2. noctium c.1.* (d) *In l.2. ff. de jurisdict.* (e) *Fest. Pompejus verb. mulcta*, *Plinius lib.18. hist. cap.3.*, *& ex eis Barbosa in d. l.2. ff. de Jurisd. num.83.* (f) *Lib.25. de honesta disciplin.* (g) *Lib.1. select. cap.34.* (h) *Lib.3. de repub. cap.3.*

cta poena pecuniaria esse cœpit, unde J. Consultus *in l. aliud* 131. §. 1. *ff. de V. S.* ait, mulctam hodie pœnam pecuniariam existere; Recentiori tamen jure hæc potestas mulctandi extensa fuit ad majorem quantitatem (*a*).

5. Adsunt tamen adhuc discrimina inter pœnam, & mulctam; Primò enim pœna ignominiam affert (*b*), Mulcta verò damnum famæ non irrogat (*c*); Mulcta insuper fisco addicitur, aut publico infertur (*d*), pœna verò pecuniaria Adversario, aut ejus hæredi adjudicatur (*e*); pœna itidem a lege definita mutari non potest (*f*), Mulcta ex arbitrio Judicantis dependet (*g*); A pœna tandem provocatio non datur, cùm a mulcta liceat appellare (*h*).

6. Neque est prætereundum, licet primis Reipublicæ Romanæ temporibus, sine jussu Populi non licuisset Magistratibus mulctam indicere, ut dixit *Cicero lib. 3. de Legibus* ibi: *Magistratus inobedientem civem mulcta, verberibus, vinculis ne coerceto, ni par, majorve potestas prohibuisset, ad quos provocatio esto; cum Magistratus judicasset, irrogassetve per populum, mulctæ certa ratio esto*: Postea tamen mulctæ dicendæ potestatem Consulibus fuisse concessam, docet *Cujac.*(*i*). Eandemque potestatem Ædilibus, & aliis Magistratibus Romanis competiisse, testatur *Dionysius Halicarn.* (*k*); immo non solum Ordinariis Judicibus, sed etiam Delegatis hoc jus posteriori jure civili attributum fuisse, actuque competere, obsoletis jam, & abolitis antiquis illis Legibus, quibus, vel rarius mulcta imponebatur, vel

(a) *L. fin. Cod. de mod. mulctarum, l. certa ratione C. quomodo provocare.* (b) *L. non potest* 63. *ff. de furtis, l. Divus ff. de injur.* (c) *L. 1. cod. de mod. mulct.* (d) *L. penult. c. cod. tit.* (e) *L. omnes* 26. *l. constit.* 33. *de O. & A. l. ultima ff. de furtis.* (f) *L. servos in fin. C. ad l. Juliam de vi.* (g) *L. si qua* 244. *ff. de V. S.* (h) *Cit. l. si qua, ubi Gentilis, & Fornerius.* (i) *In d. l. aliud §. 1. Prætoribus, l. 2. ff. si qui in jus vocatus, l. 1. §. 1. de ventre &c.* (k) *Lib.* 10.

vel non omnes Magiſtratus jure eam inferendi fruebantur, firmat inter alios *Menochius* (*a*). Urgetque ratio, quod ſcilicet cùm hæc poteſtas ob mixtum Imperium ſingulis Magiſtratibus competat, hinc Delegati, in quos tranſeunt omnia Magiſtratuum ordinariorum jura, quæ expreſſe non excipiuntur, mulctam imponere non prohibentur, ut contumaces coerceant.

7. Ut vero nihil ſcitu dignum prætermittatur, eſt advertendum, exemplo juris civilis etiam Eccleſiam poteſtatem inferendi mulctam Judicibus Ordinariis Eccleſiaſticis tradidiſſe, ut conſtat *ex canone ſi vos 23. q. 5. cap. Dilectus 18. de Officio Ordinarii, cap. licet 3. de pœnis*, decrevitque etiam Trident. Synodus *ſeſſ. 23. de reformat.*; Mulctarum autem Eccleſiaſticarum nomine non hìc intelligimus pecunias illas, cum quibus olim a Pœnitentibus pœnæ Canonicæ redimebantur; neque inſuper eleemoſynas, aliaſque pias ſubventiones, quæ etiam ex præſenti diſciplina a Confeſſariis Pœnitentibus aliquando imponuntur, ſed potiùs pœnas illas pecuniarias, quæ in foro externo a Judice Eccleſiaſtico in vindictam patrati criminis ſæpe infliguntur; circa quas quidem licet antiquitus in uſu fuerit pro omnibus peccatis eos imponere, ut conſtat cæteris omiſſis *ex Concilio Berghaſtenſi anno* 697. celebrato (*b*), nè tamen anſa delinquendi ſub prætextu ſolutionis pecuniæ Fidelibus dari videretur, effrœnata iſta praxis coercendi omnia peccata pœnis pecuniariis abolita eſt, ut patet ex pluribus Canonibus relatis *a Thomaſſino* (*c*), qui tamen (gratis cæteroquin, & ſine ſolido fundamento) antiquos canones intelligit de commutatione pœnitentiæ in eleemoſynam in foro tantum ſacramentalí, nulloque ad forum externum intuitu.

8. Quidquid verò ſit de variis opinionibus, quæ in hanc

(a) *De arbitrariis caſu 348. num. 24.* (b) *In Collectione Spelmanni tomo primo pag. 194.* (c) *De veteri Eccleſiæ diſciplina c. 74. num. 7.*

hanc rem circumferuntur, certa plane res est, cum debita moderatione, & habito Personarum, criminumque criterio, posse Episcopos, aliosque Ordinarios mulctas, seu pœnas pecuniarias imponere; Alexander enim III. (*a*), & Honorius III. (*b*) mulctas easdem imponi, & percipi posse permittunt, omnemque controversiam sustulit citata Tridentina Synodus *sess.25.cap.3. de Reform.*, ubi potestatem decernendi, & imponendi easdem mulctas *locis Piis applicandas* Episcopis, aliisque Ordinariis competere sanxit.

9. In hac insuper mulctarum impositione ab Ordinariis facienda adnotandum primo est *cum Fagnano* (*c*), hujusmodi pœnas per judicialem tantum sententiam exigi posse, non verò extra judicium a diffamatis de aliquo crimine, vel alio quovis modo suspectis, ut forsan tali medio judicialem inquisitionem evitent. Debet insuper Episcopus a novis Constitutionibus abstinere, nisi aliud novæ circumstantiæ suadeant, quibus contra Transgressores pecuniaria pœna inferatur, ne aliàs quæstus gratia videatur imposita mulcta, & avaritiæ labes facile possit in Ecclesiæ Prælatos impingi, ut solide, & erudite notat *Bened.XIV. in egregio opere de Synodo Diœcesana* (*d*). Ultimoque loco est animadvertendum, quascunque mulctas, seu pœnas pecuniarias, cùm primum exactæ fuerint ab Episcopi, vel alterius Ordinarii Ministris, penes probatum virum esse deponendas, ut constat ex decreto V. Innocentii XI., quod Sacra Congregatio Episcoporum Encyclicis literis sub die quinta Februarii 1678. ad omnes Ordinarios transmisit, ut testatur idem Benedictus XIV. (*e*).

10. Di-

(a) *In cap. in Archiepiscopatu 4. de raptoribus.* (b) *In Cap. Dilectus 18. de Offic. Judicis Ordinarii.* (c) *In cap. Irrefragabili §. Cæterum n.13. de Officio Ordinarii.* (d) *Tom.12. lib.7. cap.52. num.8.* (e) *Loco citato.*

10. Diximus supra, ex decreto Tridentini in usus pios mulctas erogandas; num verò eæ, quas in certa mensura, & pro certis casibus sacri Canones, vel Synodales Constitutiones designant, egenti Episcopo possint applicari, dubia res est, & quidquid in puncto juris hinc inde afferi posset, tutius esse advertit *Fagnanus* (*a*), ut Episcopus egens consulat Sacram Congregationem Concilii, quæ juxta circumstantias, inspectaque paupertate, & indigentia Episcopi, vel alterius Ordinarii, nunc concedere, nunc negare eamdem applicationem consuevit, ut relatis decretis testatur idem Bened. XIV. (*b*).

11. Pœnis autem expositis aliæ superadduntur, quæ corporis afflictivæ, seu corporales non sunt, ut pœna detrusionis in Monasterium ad pœnitentiam agendam, de qua *in can. Sacerdos cum seqq.* 16. *q.* 1. Item pœnæ dupli, tripli, vel quadrupli, de quibus fit mentio in jure civili, & præcipuè *in tit. de actionibus* ex professo tractatur, quarum pœnarum exemplo mulcta pecuniaria ab aliquibus jure Canonico instituta censetur. Pœnæ item conventionales, de quibus agitur in eodem jure civili *in tit. de Contractibus*, nec non apud Criminalium materiarum Interpretes, quando agitur de Transgressoribus pacti, seu cautionis de non offendendo, de quarum pœnarum applicatione consuli potest Bonfinius Senior (*c*). Pœnæ ulterius indignationis Principis, quæ quousque extendantur, notat Sabellius (*d*); quibus accedunt pœna delationis publicæ ante fores Ecclesiæ alicujus infamis ligni, vulgo *mordacchia*, quæ contra Blasphemos statuitur, de qua agit Miglioruccius (*e*); necnon pœna privationis immunitatis Ecclesiasticæ localis, de qua agitur in Jure canonico *sub tit. de immunit.*; & quo se extendat hæc pœna

(a) *In cap. Presbyteri, de pœnis num.* 22. (b) *Loco citato.*
(c) *Cap.* 68. *num.* 4. (d) *Tom.* 5. *ver. Pæna.* (e) *In Instit. Canon. lib.* 4. *sub tit. de Maledicis.*

pœna Jure novissimo, antiquioribus constitutionibus prætermissis, videri potest in Constitutione Benedicti XIV. incip. *Pastoralis Officii*, quæ est in ejus Bullario tom. 1. a nobis in Instit. Canonicis (*a*) amplissime exposita. Pœna item demolitionis Domus, quæ quando inferatur, & quando impediri possit, præsertim a Creditoribus delinquentis, vel ab iis, qui jus in alterum habent, expendunt Barbosa (*b*), & Bonfinius uterque (*c*); Pœna etiam, ut inquiunt, Berlinæ, seu catenæ infamis, Pœnæ delationis Mitræ infamis, infamisque picturæ, de quibus Scannarola (*d*), & demum Palinodia, seu onus retractandi a Judice injunctum, quod præsertim contra Calumniatores statuitur, & de quo Olea (*e*); quas omnes, aliasque similes pœnas innuisse sat est, cùm fere omnes in desuetudinem abierint. Nunc ad pœnas corporales est transeundum.

12. Inter pœnas autem corporales, seu corporis afflictivas aliquæ non capitales, aliquæ capitales vocantur, ut supra innuebamus. Non capitales præcipuè sunt carcer, funis, & fustigatio, quæ delictis non capitalibus respondent; Capitales tres recensentur, ultimum nempe supplicium, per quod Reus libertatem, civitatem, & vitam amittit, ideoque pœna maxima coercitus olim dicebatur; damnatio item in metallum, qua cùm Reus civitate, & libertate privaretur, vita retenta, dicebatur media capitali pœna damnatus; & demum minima, qualis est deportatio, vel relegatio, per quam sola civitas amittebatur, vita, & libertate servata (*f*). Sicuti vero, ut diximus, primi generis pœnæ non capitales nuncupantur, quia pro delictis non capitalibus infliguntur, ita posteriores pœnæ capi-

(a) *Sub tit. de Immun. Ecclesiar.* (b) *In cap. Felicis, de pœnis in 6.* (c) *Senior ad bannim. cap. 36. num. 5., Junior ibidem n. 34.* (d) *De visit. Carcerat. §. 12. cap. 7. num. 9. lib. 1.* (e) *De cessat. Jurium tit. 5. quæst. 8. n. 23.* (f) *Leg. capitalium, cum aliis ff. de pœnis.*

capitales vocari promerentur, quia pro delictis capitalibus imponuntur; quamvis excepto ultimo supplicio, quod inter corporales pœnas principem sibi vindicat locum, reliquæ capitales indirecte, accessorie, & illative tantum corporales possint vocari, quia per eas indirecte saltem corpus affligitur. Cæterum damnationi in metallum pœna triremium, deportationi vero, exilium successit (*a*), quod si in Reos præsentes exilium, in absentes bannum vocatur (*b*); iisdemque pœnis bonorum confiscatio passim, vel ex censura Juris adnectitur, vel per Judicis sententiam adjungitur, de quibus seorsim est differendum (*c*).

13. Agentibus autem de pœnis, quæ capitales non sunt, primo loco carcer occurrit; Antiquissimam sane esse carcerum originem ad retinendos Reos institutorum, testantur inter alios Pancirol. (*d*), Pinto (*e*), Poletus (*f*), & Salgad. (*g*); ac Ecclesiam ipsam consuevisse ne dum Laicos pro delictis ad Ecclesiasticum Forum pertinentibus, sed etiam Clericos carceribus in perpetuum, vel ad tempus mancipare, constat ***ex cap. excommunicamus, de hæreticis, Clementina prima §. Porrò eodem tit.***, & ex aliis Juribus; & notat Salcedo (*h*). Imò intra Monasteriorum quoque septa pœnales carceres pro Monachis fuisse retentos, & in Canonicorum claustris pro Clericis, exploratissimum est; de eorumque horrore circa medium sæculi XIV. scribit Stephanus Archiepiscopus Tholosanus in sua epistola ad Joannem Regem. Carceres verò, quibus Clerici olim includebantur, peculiari quodam nomine Diaconiæ, vel Decaniæ vocabantur (*i*).

14. Cæ-

(a) *Caball. resol. Crim. cas. 146. num. 14., & seq.* (b) *Farinac. q. 19. n. 15., & 16., Scannarola de visit. Carcer. lib. 1. cap. 2. 3., & 5.* (c) *Zuff. Instit. crim. lib. 4. tit. 9.* (d) *Lib. 1. var. cap. 41.* (e) *In specileg. cap. 26. n. 1.* (f) *Lib. 5. histor. forens. Rom. cap. 11.* (g) *De reg. potest. 2. p. cap. 4. n. 122.* (h) *In prax. cap. 124.* (i) *L. 30. Cod. Theodos. sub tit. de hæret. Cironius lib. 2. obser. cap. 51., & Gothofredus in d. l. 30.*

14. Cæterum, quamvis carcer plerumque ad custodiam deserviat (*a*), perpetuique carceris pœnam, utpote inducentem liberi hominis servitutem improbatam censeat Carpzovius (*b*), de jure tamen canonico tam temporalis, quam perpetui carceris pœna sustinetur (*c*). Qua tamen perpetui carceris pœna nonnisi pro delictis gravissimis, & atrocissimis, ex censura ejusdem juris Canonici, Rei condemnantur, forte quia gravioribus pœnis nequit Ecclesia delinquentes ob mansuetudinem, quam profitetur, punire, ut testatur Raynald. (*d*); Plura de carceribus in titulo de Reorum captura congessimus; De cætero consulendus Ursaya, qui in suis Institut. (*e*) de iisdem carceribus amplissime agit.

15. Ultra carcerem, vulgares præsertim, & vilis conditionis homines tormento funis damnantur, quod quidem non solum datur in experimentum innocentiæ, vel reitatis Reorum, ut in præcedenti libro docuimus (*f*), sed constito de delicto in ejusdem pœnam etiam infertur, quod ita est intelligendum, ut qui per viam experimenti fune, seu elevatione in altum torqueri non possunt, nec in pœnam valeant hoc tormento damnari. Non incongrue vero superaddendum, tormentum funis in pœnam, ultra tres ictus non inferri, ut notat Bonfinius junior ad seniorem (*g*), atque si Reus propter morbum, vel aliquod impedimentum torqueri non possit, funi alligatum publice eum exponi, ut advertit Scannarol. (*h*). Nunc ad fustigationem progrediamur.

16. Fustigatio sane, quæ apud antiquos Romanos invaluit, dum propter graviora crimina Rei verberibus publi-

(a) *Ad text. in l. aut damnum §. solet ff. de pœnis.* (b) *Q.3. num.56. & seq.* (c) *Juxta text. in cap. noverit, de sentent. excommunicationis, cap. item, de hæreticis, cap. quamvis, de pœnis in 6.* (d) *Cap.7. §.1. num.153.* (e) *Lib.4. tit.3.* (f) *Tit. de Reorum Tortura.* (g) *Supplet. ad cap.4. num.60.* (h) *De visit. Carcer. cap.1. lib.1. §.12. num.12.*

publice ad vocem Præconis juxta veterem ritum afficiebantur (*a*); Fustigatio, inquam, gravissima pœna reputatur, & nedum pœnam triremium excedit, propter infamiam, quam continet, ratione cujus eandem passi a testificando repelluntur, & ad omnes gradus redduntur inhabiles (*b*); eademque de causa semper fustigati, in exilium mittuntur (*c*); verum etiam pœnæ mortis illam æquiparari, tradunt plures apud *Farinac.* (*d*). Nedum verò eadem de causa evadendi infamiam Nobilibus fustigatio non infertur, quibus in ejus locum relegatio imponitur, ut advertit citatus *Bonfinius junior* (*e*); sed etiam si agatur de Personis honestis, vel ætate minoribus, vel si alia causa concurrat, non publicè, sed per aulam carcerum sæpe solet inferri, ut testatur *Scannarola* (*f*), qui etiam advertit, imberbes nonnisi per aulam Carcerum fustigari consuevisse.

17. Sed ut aliqua de veteris Juris censura hic proferamus, non est prætereundum discrimen, quod olim inter fustes, & flagra intercedebat, etenim ex quibus causis liberi homines fustibus cædebantur, ex iisdem servos flagris cæsos fuisse legimus *in l. ultima ff. de injuriis, l. 4. ff. de incendio, ruina, & naufragio, l. servorum ff. de pœnis*; eandemque fustium á flagris differentiam fusius exponunt *Gothofredus* (*g*), & *Matthaeucc.* (*h*). Subinde verò æque exploratum est, legem Sfortiam, & Valeriam prohibuisse Magistratibus, ne in Cives Romanos verberibus animadverterent, eòque pertinet *Textus in l. 7. ff. ad l. Juliam de vi publica*; & illa Divi Pauli exclamatio, quæ refertur *Actuum Apostolorum cap. 23. Ego Civis Romanus*

 sum,

(a) *In l. Fustis ff. ex quibus causis infamia, cum aliis congestis a Cujacio lib. 7. observationum cap. 1.* (b) *Bonfinius Junior cap. 62. num. 60.* (c) *Carpzovius quæst. 129. num. 21.* (d) *Quæst. 119. num. 29.* (e) *Loco mox allegato.* (f) *Lib. 1. cap. 2. §. 12. n. 13. & seq.* (g) *In l. Metallum 12. cod. de jure Fisci.* (h) *De re criminal. controv. 2. num. 72. & seq.*

sum; quo quidem principio retento merito plebeii dumtaxat, vulgares, vilisque conditionis homines pœna fustium, vel verberum recentiori Jure damnantur. His tamen non obstantibus, non incongrue superaddendum arbitramur, antiquitus etiam sacros Ecclesiæ Ministros privatis verberibus pœnas suorum delictorum luere consuevisse, præcipue in Ecclesiis Canonicorum Regularium, ut solide probat *Giballinus* (*a*); quo spectat factum Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani, relatum a *Nicephoro* (*b*), qui Carisium ob scelera delatum Ecclesiastica censura flagellari permisit.

18. Illud tamen perpetuo, & constanter Ecclesia curavit, ne flagellatio ad sanguinis effusionem perveniret, atque ideo forsan pro una vice 39. ictus præscripserunt *Patres Concilii Matisconensis primi can.*8., ubi jubetur, ut Clericus junior, qui alterum Clericum ad sæcularem Judicem traxerit, unum minus de 40. ictibus accipiat, ut refertur in *can. nullus* 11. *q.*1., aitque hinc Divus Cyprianus (*c*), nunquam illum hunc numerum excedi permisisse, sed potius ut iterum Reus verberaretur demandasse. Imo ista numeri præscriptio satis etiam innuitur ab Apost.(*d*), qui de se ipso testatur: *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*; sive enim hoc fieret ad abstergendam infamiam, quam uberiorum verberum irrogatio delinquenti intulisset, sive quia eorundem verberum inflictio gravissimum potuisset vitæ hominis præjudicium inferre, praxis Judæorum erat non ultra 40. ictus imponere, ut testatur Theodoretus (*e*), consonatque S.Johannes Chrysostomus (*f*), unde S.Gregorius M. (*g*), succensuit

(a) *De Clausura Regularium disquis.*2. *cap.* 4. *num.* 41.
(b) *Lib.*15. *historiæ Ecclesiasticæ cap.*13. (c) *In vita S.Cæsarii apud Surium die* 27. *Augusti*. (d) 2. *ad Corinthios cap.* 11.
(e) *Quæst.*30. *in caput* 25. *Deuteronomii*. (f) *Hom.*25. *in prædict. epistolam* 2. *ad Corinthios*. (g) *Lib.*2. *epist.*52. & 83.

fuit Episcopo Constantinopolitano ob Monachum in Ecclesia Constantinopolitana fustibus cæsum, & Andream Tarentinum Episcopum ab administratione Sacrorum per duos menses suspendit, quum Mulierem crudeliter fustibus cædi jussisset.

19. Quod tamen diximus de usu flagellandi in particulares Ecclesias invecto, intelligendum est de iis, qui sacris Ordinibus, vel Ecclesiastica aliqua dignitate non præfulgerent, etenim nisi illi degradati publice fuissent, propter honoris fastigium, verberibus, aut flagellis cædi Ecclesia minime est passa, ut satis eruitur, cæteris omissis, *ex can.* 134. *cap. super eo, de sententia excommunic. cap. universitatis, eodem tit. in* 6. disertum. que extat *decretum Concilii Narbonensis sub Recaredo can.* 12. ibi: *Presbyteri increpentur, ut redeant, Diaconus, & Subdiaconus execrandos, & stipendio privandos, reliquos flagris coercendos*. Imo etiam in casibus a Jure permissis nunquam licuit Episcopo propria manu aliquem verberare, ut cautum fuit *in can.*3. Synodi Nicænæ, atque in aliis sacris canonibus, extatque novella 123. Justiniani ibi: *Propriis aliquem manibus verberare Episcopo non licet, hoc enim a Sacerdotibus alienum est*.

20. Jure tamen novo abolita est consuetudo alios flagellandi, exceptis nonnullis Religionibus, in quibus ob quosdam excessus, vel ob incursum Apostasiæ crimen delinquentis flagellatio a Prælato Regulari facienda statuitur; item excepta occasione absolutionis publicæ ab excommunicatione, pro qua unus vel alter ictus ab Episcopo infertur; exceptoque pariter uno vel altero Germaniæ Capitulo, signanter Ecclesiæ Herbipolensis, ubi cùm primum Canonici Domicellares in possessionem Canonicatuum mittebantur, flagellari, & denudatis humeris sub ferularum ictibus recipi consueverunt, quem tamen ritum a Friderico Carolo Episcopo vigilantissimo rescissum Benedictus XIV.

provide revocandum, abolendumque fore decrevit, ut ipſemet diſertiſſime advertit (*a*).

21. Retinuit vero Eccleſia, plurimumque commendavit ſtylum ſponte ſua, propriiſque manibus ſe flagellandi, tum in propriorum reatuum pœnitentiam, tum in exemplum & memoriam Chriſti Domini, qui pro reparatione noſtra ita voluit cruentari; unde Sodalitates illæ, quæ id ex inſtituto agunt, inter loca religioſa, & pia deſcribuntur a Guttierez (*b*); moremque iſtum antiquiſſimum, & religioſiſſimum eſſe plurimis fundamentis oſtendit Lantmeter. Videatur Benedictus XIV. (*c*), qui ampliora in hanc rem fusè congeſſit.

22. Cæterum his pœnis non capitalibus corporalibus aliæ ſuperaccedunt, ut ſunt pœna impreſſionis alicujus ſigni in fronte, vel in facie delinquentis, de qua inter alios Solorzanus (*d*); quamquam eam imponendam amplius non eſſe ſtatuatur *in l. ſi quis in metallum cod. de pœnis*, ne facies, quæ ſupernam beatitudinem repræſentat, maculetur; Pœna ulterius amputationis manus contra falſarios ſcripturarum, de qua agit Gibal. (*e*); Item perforationis linguæ contra blaſphemos, vel maledicos conſtituta, de qua Migliorucci ſupra citatus. Quas quidem pœnas innuiſſe ſat eſt, cùm fere omnes in deſuetudinem abierint. Abſolutis jam pœnis corporalibus non capitalibus, ad pœnas capitales, & primo ad ultimum ſupplicium erit progrediendum.

23. Ut autem ultimi ſupplicii materia accuratius pertractetur, iterum oportet in memoriam revocare, quæ diximus ſupra *lib. 2. tit. de homicid.* competere ſcilicet ſupremis Principibus jus, & facultatem mor-

(a) *In tract. de Synod. Diœceſ. lib. 2. cap. 3. §. 7.* (b) *Lib. 2. de Veter. Cleric. par. 1. cap. 87. 88. & 109.* (c) *Tom. 8. oper. de Servor. Dei Beatif. & Canoniz.* (d) *De jur. Indiar. part. 2. lib. 3. cap. 74. num. 10.* (e) *Reſol. crim. 56. num. 116.*

morte damnandi delinquentes, & reos, qui si diutius viverent, universam Rempublicam excessibus suis verosimiliter perturbarent, quod quidem anctoritate sacrarum paginarum, & S. Thomæ (*a*) abunde probavimus: unde merito Seneca Tragicus (*b*) inquit, Principes alloquens: *Vos, quibus Rector maris atque terræ jus dedit necis, atque vitæ*.

24. Variis vero nominibus ultimum hoc supplicium in jure exprimi solet; dicitur enim pœna gladii, pœna ferri, vel capitis, & antonomasticè supplicium amarissimum, severissimum, novissimum, & quandoque simpliciter supplicium appellatur (*c*). Modus autem inferendi est vel igne, vel rota, vel furca, vel capitis abscissione, vel malleo ferreo, vel aliis similibus modis, juxta varias regiones receptis, de quorum quidem, & signanter de furcæ origine consulendus Covarruvias (*d*). Nobiles tamen, & gradu aliquo insigniti sola capitis abscissione puniuntur, si delictum capitale commiserint, *juxta Glossam in L.3. §.1. ff. de re milit.*, firmatque Bartolus *in L. Mores §. sed etiam ff. de pænis*; & ita de universali pene consuetudine servari testantur cit. Covarruvias (*e*), Jul.Clar. (*f*), & Tiraqu. (*g*).

25. Quod unicè limitatur in delictis atrocissimis, præcipue verò læsæ Majestatis, proditionis, aliisque similibus, in quibus licet ex consuetudine, & praxi aliquorum Regnorum etiam Nobiles pœna capitis condemnentur, nec ignominiosas pœnas sustinere cogantur, ex dispositione tamen Juris communis contrarium præscribitur, quia proditionis crimen, aliudve hujus generis quodvis veræ Nobilitati repugnat, atque

(a) 2. 2. *q.64. art.2.* (b) *In Thiestem.* (c) *Ad textus in L. qui cum nato §. iisdem ff. de Bon. libert. L. Relegatis ff. de pœnis.* (d) *Lib.4. variar. cap.7.* (e) *Lib.2. variar. Resol. cap.9. num.33.* (f) *In prax.Crim. §.Fine q.60.* (g) *De Nobil. cap.20. num.120. & 125.*

atquè a Nobilium albo Nobiles dejicere, & deturbare videtur, *ad Text. in L. eos, qui ff. de pœnis*, quem dicit singularem Romanus (*a*); idque eo fortius asserendum est, in terminis Doctorum, & Advocatorum, qui quidquid sit, an in genere, & attento jure communi iisdem pœnis, quibus plebeii homines subjiciantur in crimine tamen hæresis, læsæ Majestatis, atque altero quovis enormi, revocata, abolitaque quavis contraria consuetudine adinstar plebejorum sunt condemnandi, ut notant Decian. (*b*), Flam.Chartar.(*c*), aliique, quos sequitur Farinac. (*d*).

26. Inquiritur hic, atque in controversiam revocatur, an damnati ad mortem, quovis pœnæ genere condemnentur, Testamentum condere valeant; & cum distinctione communiter quæstio resolvitur, quod scilicet, aut condemnatus est præsens, ita ut post sententiam facienda statim sit exequutio, illoque casu, cùm factus sit servus pœnæ, testari non poterit, saltem quoad bona in territorio sita, in quo condemnatur; imo, si prius Testamentum condidisset, irritum fieret (*e*), ad differentiam alterius casus, in quo damnatus abesset, atque in contumacia, sententia prodiisset, ut distinguit Baldus (*f*). Ex beneficio tamen Principum a Juris rigore receditur, & si Testamentum non respiciat bona propter confiscationem ultimo supplicio plerumque adnexam in eosdem Principes devoluta, damnatis hisce permitti consuevit solatium disponendi de rebus suis ultimo elogio, ut tali forsan medio mortis licet promeritæ dolor minuatur, ut de consuetudine servari testatur Imola (*g*), quem refert Natta (*h*).

27. Ne-

(a) *Notabili 466., & 669.* (b) *Consul.53. num.135. lib.2.*
(c) *In praxi interrog. Reos lib.2. cap.1. num.49.* (d) *Q.Crim. p.1. q.41. num.56.* (e) *L. si quis filio §. Irritum ff. de Testam.*
(f) *In L. fin. num.15. Cod. si a non competente Judice.* (g) *In cap. Qui ingredientibus num.30. in fine de Testamentis.* (h) *Consit.117. num.4.*

27. Neque illud hoc loco præteribimus, ultimum præsertim supplicium cujuscumque sit generis, neque in die Festo, neque in feria sexta cujuslibet hebdomadæ apud Christianos in memoriam Passionis, & Mortis Christi posse inferri, ut decernitur *in cap. 1. de Feriis*. Consentaneumque id omnino est Juri Civili, quo a Reorum suppliciis diebus Festis abstinendum esse præscribitur, ut advertit Seneca *lib. 5. declam. 4.* ibi: *Diebus. Festis intercedentibus, pœnam ex Lege differri*; & *Svet. in Tib. cap. 62.* inter Tiberianæ crudelitatis exempla profert: quod *nullo die, ne Religioso quidem, ac sacro ab hominum cæde cessaverit*: Illudque ulterius ad designandum, exprimendumque odium, quo Cultores Christianæ Religionis illius hostes singulari tyrannide persequebantur, recensetur, quod cùm delinquentes quoslibet occidere festis diebus abstinerent, cùm de Christianis tamen agebatur, ne festis quidem diebus ab eorum cæde cessabant, ut refert inter alios Philo Judæus *in lib. quem scripsit in Flaccum Ægypti Præsidem*, & ex aliis monumentis certissimum est. Hæc quidem de ultimo supplicio dixisse sit satis; sequitur nunc pœna triremium.

28. Triremium porrò nomine intelligitur princeps aliqua navis, prout remiges appellantur, qui remorum usui ad ejusdem navis cursum agendum destinantur ob patrata crimina. Antiquissima verò est hæc pœna, ejusque meminit Valerius *lib. 1. cap. ult.* scribens, quemdam jussu Augusti, quod se Octaviæ Sororis utero genitum simularet, remo publicæ triremis affixum fuisse. Quamvis autem pœnam triremium ignominiosam, & infamatoriam non esse, censeat Riccius (a), eo quod, ut inquit, *cautum id de jure non reperitur*; Contrarium tamen est verius, quod enim damnati ad triremes a publicis honoribus arceantur, etiam remigatione completa, textus est expres-

(a) *Decisionum Neapolitanarum, decisione 119. part. 1.*

preſſus *in l. ad tempus* 8. *cod. ex quibus cauſis infamia irrogetur*; quodque in locum depoſitionis cum detruſione in arctum Monaſterium de jure Canonico pro gravibus delictis impoſitæ ſubſtituta ſit, firmat Raynaldus (*a*); & propter hoc forſan Nobilibus pœna triremium imponi non ſolet, ut ſcilicet magis, quam fieri poteſt, eorum famæ parcatur; & ſi de honeſtis etiam Perſonis agatur, ſolent Principes, niſi de delictis atrocibus pertractetur, arbitrari, & loco triremium exilium, & pecuniariam mulctam Fiſco applicandam ſubſtituere, ut notat Thoro (*b*). Nonniſi porrò ſupremus Princeps, ad quem triremes pertinent, poteſt hanc pœnam remittere, ſublata quavis Baronum facultate, ut advertit Scannarola (*c*); atque in Statu quidem Pontificio non minùs, quam ſpatio quinquennii triremium pœna decernitur, juxta circularem epiſtolam Sacræ Conſultæ *die* 23. *Januarii anni* 1600. Quod ſi forte contingat in hanc pœnam damnatos de Partibus ad Carceres Urbis tranſmitti, ut deinde ad triremes relegentur, ob æſtivi aeris periculum ab incœpto menſe Julii uſque ad menſem Octobris id fieri non poteſt, ut decrevit Sacra Conſulta in literis circularibus editis *die* 12. *Septembris anni* 1695.

29. Hic quæri ſolet, an pœna triremium poſſit ſummariè decerni; & licet in puncto juris *negativè* reſpondendum videretur, ut notat inter alios Diana (*d*), contrarium tamen aliquando ſervatur, attenta notorietate criminis pœnam hanc promerentis, vel etiam attentis privilegiis particularibus alicujus Judicis, inter quos Gubernator Urbis adſcribitur, ut innuimus, cùm de eo ageremus. Si quis verò ulterius quærat,

(a) *Voto* 129. *num.*8. (b) *In compendio Deciſionum Neapolitanarum part.*1. *verbo pœna*. (c) *De viſitatione Carceratorum* §.31. *cap. unico num.* 22. *lib.* 2. (d) *Tomo* 6. *tractatu primo reſol.* 124.

rat, cujus ætatis hominibus pœna triremium possit imponi, consulat Narbonam (*a*).

30. Nunc ad exilii pœnam transeundum, quod communiter definitur *Commutatio loci cum ignominia*, ut eruitur ex Seneca (*b*): Gravissimum sane damnationis, & pœnæ genus est exilium, quippe quia naturalis est in nobis amor, desideriumque illius loci, qui nos primùm nascentes excepit, aut gremio deinde fovit, quo quidem loco quoties ob delicta privamur, nemo non videt hujus pœnæ gravitatem. Ad retrahendos autem homines a delicto eandem accommodatissimam esse, divinum confirmavit exemplum in Adamo Protoparente, ab æterno Judice non solum mortalitate, sed etiam relegatione punito, ut *ex Genesi cap.*3. Roma vero ab ipsa penitus origine pœnam hanc exilii in Tarquinio, cujus Tyrannidem Populus excutere conabatur, amplexa est, ut inquit Livius *in fine libri primi* ibi: *Clausæ Portæ, exiliumque indictum*; Plebisciti insuper verba refert Dionysius Halicarnassæus *in quarto antiquitatum Romanarum* ibi: *Placet nobis exulare Tarquinios Urbe Romana*. Quamvis verò exilii nomen tam relegationi, quam deportationi conveniat, cùm pœna utraque Patriæ, vel loci privationem importet; strictè tamen, proprioque juris vocabulo, magis deportationi, quam relegationi accommodatur, juxta vulgatum Ovidii versiculum; *Unde relegatus, non exul dicor ab illo*: Ratio autem depromitur ex discrimine, quod inter utramque hanc pœnam versatur, quod nempe Relegatus spem habet, quàm primum, aut completo relegationis tempore, Patriam remeandi; Deportatus autem nullam, nisi forsan ex beneficentia Principis revocetur, quo casu postliminii jure, omnia quæ præcedenter habebat, privilegia recuperat, ut fusius advertitur in Instit. Civilibus (*c*).

(a) *De ætate anno 115. quæst.28.* (b) *Libro de Consolatione.*
(c) *Lib.1.in titulis de libertinis,capitis diminutione,& alibi passim.*

31. Cum manifesta tamen veritatis injuria in dubium revocaretur, an Ecclesia, & Judices Ecclesiastici possint Clericos, immo etiam Laicos, pro delictis ad Ecclesiasticum Forum delatis exilio punire; pluribus quippe Sacrorum Canonum actoritatibus jus istud firmatur, & signanter *Can. in Synodo* 33. *dist.* 63. *Can. vendendum* 13. 17. *quæst.*4. *cap. Pastoralis, de Officio Ordinarii*, cum aliis juribus *relatis a Barbosa* (*a*); Disertius verò rem definitam habemus a *Tridentino sess.*24. *de Reform. cap.*8. ubi concubinarios contumaces exilio puniri posse statuitur, nosque etiam advertimus supra *lib.*2. *tit. de vi publica, & privata*; Actumque revera foret de Ecclesiæ juribus, nisi Papa saltem a Ditione sua temporali, Archiepiscopus a Provincia, Episcopus a Diœcesi delinquentes homines possent ejicere; Præsertim quia ex diuturniore eorum mora reliquos etiam Cives inficere, & corrumpere possent, quod nec Sacerdotii, nec œconomica, & politica gubernandi ratio fieri permittit.

32. Cæterum in praxi sciendum, duobus modis Sacram Consultam rescribere consuevisse, dum exilium injungit, vel scilicet jubendo carceratum relaxari *cum exilio*, eoque casu Gubernator simplici decreto, & absque expressione tituli causæ mandat eundem cum exilio dimitti; Vel mandando in pœnam exilii condemnari, & tunc Gubernator per sententiam cum enarratione facti, & patrati criminis, relatis circumstantiis, ad exilium damnare tenetur, citato semper carcerato, eique per Notarium coram Testibus sententia Judicis intimata, prout de ordine S. Consultæ cautum habetur in nonnullis Instructionibus impressis apud Setam (*b*).

33. Porrò si exilium fuerit a Reo contraventum, tunc

(a) *De potest. Episcopi part.* 1. *tit.* 4. (b) *De Offic. Locumt. cap.*4. *num.* 10.

tunc aut simpliciter fuit pœna statuta, v. g. pœna triremium in casu contraventionis incurrenda, &, si nihil superaccesserit præter exilii transgressionem, ex quo aliunde Reus pœnam triremium mereatur, prima vice novum exilium injungitur, seu injunctum aliàs exilium renovatur, & pœna incursa remittitur; Aut injungendo exilium pœna fuit triremium, vel alia *irremissibiliter* incurrenda statuta, eaque contempto exilio immediate decernitur, ad quem effectum debet de identitate personæ constare, quam vel ipse Reus affirmat, & incursa pœna statim punitur, aut negat, & per duos Testes, qui injunctioni exilii interfuerant, si adsint, aut per alios eadem identitas comprobatur, ut notat citatus alias Mirogl. (*a*).

34. Si autem Reus non est præsens, aut desint Insulæ, ad quas is valeat deportari, Bannum succedit. Hoc sane Bannum plerumque pro denunciatione, & edicto usurpatur, ut *in cap. 13. de præscript. cap. tua 27. de sponsalibus*; ideoque etiam pœna, seu mulcta edicto non obtemperantis, vel mandato Judicis non obedientis bannum vocatur, ut notat Lindebrogius (*b*); frequentius vero juxta datam banni intelligentiam in genere banniti nomine ille comprehenditur, qui cùm intra legitima tempora coram Judice vocatus non comparuerit, cùm esset de capitali crimine inditiatus, pœna mortis, vel triremium in contumacia damnatur. Et quidem bonorum confiscatio adjungitur, vel juxta circumstantias bona præservantur, ut fusius explicant Carleval. (*c*), & Peregrinus (*d*).

35. Utrum vero Banniti hujusmodi, deportatis, vel relegatis, de quibus jura loquuntur, æquiparandi sint, necne, inter DD. ambigitur, certumque videtur,

 quod

(a) *Instruct. Crim. cap. 4. num. 1. & seq.* (b) *In Glossario legum antiquarum verbo Bannum.* (c) *De Judiciis tit. 1. disp. 2. num. 744.* (d) *De jure Fisci lib. 3. tit. 7*

quod si de Bannitis Capitalibus sit sermo, cùm ii impune possint occidi, ut *in tit. de homicidio* advertebamus, deterioris longe conditionis existunt, quàm veteres deportati, vel qui aqua, & igne interdicebantur; bannitos vero non capitales, qui non offenduntur impunè, Relegatis merito assimilat Peregrinus (*a*).

36. Illud etiam inquiritur, an banniti capitales absque alicujus pœnæ incursu recipi possint, & hospitio donari; Dubitatque merito Gibal. (*b*), quia nisi id fiat vel casu, vel cum ignorantia banni, vel ex honesto aliquo motivo, ex hujusmodi hospitio indirectè saltem contemnitur lex Principis, qua fuit ille bannitus; id tamen fieri omnino posse extra Territorium Principis, a quo bannum fuit evulgatum, firmare videtur Menochius (*c*).

37. Dixi supra, banno aliquando confiscationem bonorum adjungi, seu publicationem; diversa porrò Fiscus sortitus est nomina; Olim Bursa Cæsaris, seu Principis dicebatur; Successu temporis *Saccus Regius*, & ab aliquibus *sine conscientia* vocari consuevit, forsan ex eo, quod turpia lucra, & male acquisita sibi attribueret; Hodie vero passim pro Camera Principis usurpatur, & ad rem nostram a Gaillio definitur: *Jus Principis damnatorum bona capiendi, iisque utendi in delictorum vindictam*. Bona autem Fisco acquiruntur (neque enim de Patrimonialibus loquimur) vel ex testamento, vel ab intestato, vel ex inventione Thesauri, vel ex delicto, de qua acquisitione hic pertractamus; in eoque consistit, quod bona privatorum ab iis auferantur, & Fisco ratione criminis acquisita declarentur. Hæc verò pœna, quæ regulariter ultimum supplicium, vel pœnam triremium perpetuarum subsequitur, nonnisi auctoritate Supremi Principis potest imponi, ut probat Alfarolus (*d*).

38. An-

(a) *Loco cit. num.5.* (b) *Cas.355.* (c) *Lib.2. de arbitrar. casu 348.* (d) *De Offic. Fiscalis gloss.20. lib.2. observ.86.*

38. Antiquitus ſane latius patuit confiſcationis pœna, nam paſſim publicatione bonorum damnati ad mortem afficiebantur, ut ex toto *tit. ff. de bonis damnatorum*. Jure tamen noviſſimo authenticorum *Cod. de Bonis Proſcriptorum*, delinquentium bona eorum deſcendentibus, aſcendentibus, & lateralibus primi gradus relinquuntur, ſi ſuperſint, ſi vero non extent, eo tantum caſu Fiſco addicuntur. In praxi tamen uſu receptum eſt, ut excepto crimine hæreſis, & læſæ majeſtatis, ob nullum aliud bona publicentur, & Fiſco attribuantur, niſi Statuto aliquo, vel particulari Conſtitutione jubeatur (*a*). Romæ juxta Status bannimenta, in aliis etiam caſibus, quos in decurſu ſecundi libri tetigimus, eadem confiſcatio irrogatur, ut ſignanter accidit in homicidio præmeditato, proindeque eadem bannimenta in iſtis caſibus ad jus antiquum redire videntur, ut notant communiter; Quando autem de jure communi Confiſcationi ſit locus, ampliſſime diſcutit Farinac. (*b*).

39. Ex tribus verò caſibus confiſcatio reſultat, ſcilicet ex annotatione, applicatione, & incorporatione. Annotatio eſt quædam ad confiſcationem præparatio, per quam a Judice deſcribuntur, & ſequeſtrantur bona delinquentis, ne probato delicto occulta remaneant (*c*). Applicatio eſt decretum, quo bona delinquentis Fiſco applicantur (*d*). Incorporatio demum eſt bonorum delinquentis effectiva occupatio, ſeu realis apprehenſio, & in corpus Bonorum Fiſci facta redactio (*e*). Cæterum confiſcatio comprehendit tantùm bona præſentia tempore commiſſi criminis, quæque ad hæredes extraneos poterat delinquens traſmittere; unde

(a) *Peregrin. de jure Fiſci tit.1. num.8.*, *& Farinac. quæſt.25. num.10. & ſeq.* (b) *Quæſt.25.* (c) *Leg.1. ibique Gloſſ. ff. de requirendis Reis.* (d) *Maſſin. de confiſcatione quæſt. 41. num. 5.* (e) *L. Incorporatio Cod. de bonis vacantibus.*

de bona aliena apud Reum reperta, eidemque non obligata Domino restituuntur, *argumento textus in lege in fraudem ff. de jure Fisci*.

40. Quæstio est, utrum jura conditionalia Rei Fisco incorporentur; & communiter distinguitur inter bona debita ratione ultimæ voluntatis, & ea, quæ debentur ratione contractus. In primo enim casu cùm similia bona ad hæredes extraneos non transeant, ad Fiscum non pertinent, ad differentiam alterius casus, in quo etsi jus sit conditionale, Fisco incorporatur, nisi forsan de conditione potestativa tractetur, ut egregie distinguunt Castil. (*a*), Olea (*b*), aliique, qui eo præsertim fundamento moventur, quod in contractibus substantia obligationis initæ conventionis tempore spectatur, quod in Testamentis æque non militat, ut latius explicat Julius Caponus (*c*).

41. Non subjacent verò confiscationi bona alienari prohibita (*d*). Item bona filiifamilias delinquentis, tam castrensia, quam quasi, adventitia, & profectitia, quæ pariter confiscationi non subjacent, & Patri reservantur, ut dixit *Rota coram Merlino* (*e*); Imo ipsa legitima filii familias, quæ juxta Constit. Marchiæ regulariter confiscatur, confiscari non poterit, quoties filius delinquens filios superstites habeat, vel ejus pater alios filios, & respective fratres delinquentis retineat (*f*).

42. Cessat præterea confiscatio bonorum delinquentis tres filios habentis (*g*), & dato, quod pauciores, quàm tres filios haberet, adhuc dimidia pars iisdem reservatur, ut notat Bonfin. Junior (*h*), qui etiam advertit,

(a) *Tom. 3. controversiarum cap.* 14. (b) *De cessione jurium tit. 3. quæst.* 10. *num.* 8. (c) *De pactis, & stipulat. quæst.* 12. *disp.* 8. *n.* 76. (d) *Lege jura ff. de jure patronorum*. (e) *Decis.* 168. *num.* 12. *& seq.* (f) *Bonfinius junior suppletione ad cap.* 24. *num.* 63. *&* 64. (g) *L. cum ratio §. si plures ff. de bonis damnatorum*. (h) *Loco proxime cit. num.* 61.

vertit, si medietas pro filiorum sustentatione non suppetat, Fiscum nihil accipere debere.

43. Non habet insuper locum eadem confiscatio in jurepatronatu mere hæreditario, nisi in casu, quo esset adnexum alicui fundo particulari in confiscatione comprehenso, quia tunc transiret in Fiscum durante vita damnati, ut concludit Bertachin. (*a*); In dote pariter uxoris ob delictum mariti (*b*); Neque ob crimen ejusdem uxoris, quinque casibus exceptis numeratis *in l. quinque legibus* 3. *ff. de bonis damnat.* ibi: *Quinque legibus damnatæ mulieris dos publicatur, Majestatis, Juliæ vis publicæ, Parricidii, Veneficii, de Sicariis*; in dictis tamen quinque casibus jus mariti in dote, seu in lucro dotali, & filiorum, quibus reservata sit dos materna, & dotantis, qui stipulatus fuerit ad se dotem, reverti sartum, tectumque relinquitur (*c*).

44. Ad hæc non admittitur confiscatio in bonis emphyteuticis, quæ neque in præjudicium comprehensorum in Investitura, neque quoad fructus vivente bannito confiscata intelliguntur (*d*); sed nec in bonis feudalibus, quæ vel ad agnatos, vel ad dominos devolvuntur, nec etiam in bonis a marito uxori donatis, vel e contra, confiscatio comprehenditur, ut late ostendit Farinacc. (*e*), qui etiam amplissimè examinat, an confiscatio ad bona sita extra Territorium porrigatur.

45. Atque hæc de pœnis omnibus, sive ab Ecclesiastica potestate, sive a sæculari Judice infligi consuetis, juxta divisiones jam explicatas, dixisse sit satis. Si quis vero pœnas explicatis hactenus delictis adnexas ex utriusque Juris censura nosse uberius desiderat, adeat

(a) *Vot. decis.* 3. (b) *L. quisquis §. Uxores sane C. ad Leg. Jul. Majest.* (c) *Guazzinus de confiscat. conclus.* 13. *limit.* 27. *num.* 4. *& seq.* (d) *Dict. Guazzinus loc. cit. limit.* 33. (e) *Quæst.* 25. *n.* 127. *& sequen.*

adeat Antonium Riccardum (*a*), qui alphabetico ordine singula delicta, pœnasque eis debitas mira facilitate, & eruditione recenset. Nos interim Institutionibus nostris Criminalibus ad majorem Dei O. M., & Deiparæ gloriam finem imponimus.

(a) *In praxi Institut., seu in manuductione ad praxim in causis criminalibus part. 3. fol. 90.*

FINIS.

INDEX.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Alia

E

Expi-

Ille-

I

L

Oscu-

S

ER-

		ERRORES	CORRECTIONES
Pag. 9	lin. 25	ſubſciptionem	ſubſcriptionem
23	6	proſequeretur	perſequeretur
35	17	expieſſe	expreſſe
39	6	alioſeve	alioſque
41	4	Notarios	notorios
49	20	habetis	habet is
65	16	In inquiſitione	inquiſitione
68	19	Congregationia	Congregationis
76	1	apprehendatur	apprehendantur
104	25	etiam	etiamſi
119	13	fuerint	fuerit
156	15	Repetendarum	Repetundarum
211	7	adultetinum	adulterinum
216	34	vel	ut
219	1	ab	ad
248	29	intedicitur	interdicitur
264	18	ſin	in
ibid.	19	olumque	ſolumque
265	22	reſtituturum	repetiturum
294	20	animaverſio	animadverſio
297	11	ſangninulento	ſanguinolento
298	20	toquendum	torquendum
311	28	carcerium	carcerum
348	10	quidque	quinque
349	12	illuſtranteque	illuſtrante
362	11	intediceretur	interdiceretur
407	19	Ægri	Ægroti
419	23	eos	eas